ACTA ET DOCUMENTA CONCILIO OECUMENICO VATICANO II APPARANDO

SERIES II
(PRAEPARATORIA)

VOLUMEN III

ACTA COMMISSIONUM ET SECRETARIATUUM PRAEPARATORIORUM CONCILII OECUMENICI VATICANI II

PARS I

COMMISSIONES: THEOLOGICA, DE EPISCOPIS ET DIOECESEON REGIMINE, DE DISCIPLINA CLERI ET POPULI CHRISTIANI, DE RELIGIOSIS, DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

(SUB SECRETO)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXIX

MONITUM

In hoc volumine, quo clauditur Series II (Praeparatoria) operis, cui index Acta et Documenta Concilio Vaticano II apparando, *ea omnia schemata collegimus, quae Coetus praeparatorii Concilii redegerunt.*

Huiusmodi schemata maxima ex parte impressa sunt in quattuor tomis voluminis secundi huius Seriei secundae una cum discussionibus in sessionibus Commissionis Centralis de iisdem habitis. Nihilominus ea denuo imprimi ob duas potissimum causas necessarium visum est. Primo quidem ut sylloges systematica offerretur ad studium pervestigationemque peragenda. Aliquando enim factum est ut, propter laborum singularum Commissionum rationes, capita unius eiusdemque schematis discussioni seorsim et in diversis sessionibus subiecta sint: quapropter in diversis tomis dispertita ea inveniuntur. Insuper aliqua schemata in Commissione Centrali discussa non fuerunt, vel quia ea sero eidem Commissioni exhibita sunt, vel quia ipsa Commissio Centralis inter schemata discutienda in Concilio Oecumenico inserenda ea non censuit: eapropter illa in tomis voluminis secundi Seriei Praeparatoriae non apparent, at rite prostant in hoc volumine tertio, quod idcirco exhibet omnia et singula schemata quae in Concilio Vaticano II apparando redacta sunt.

Hoc volumen in duas dividitur partes, quarum prima exhibet schemata apparata a Commissionibus: theologica, de episcopis et dioeceseon regimine, de disciplina cleri et populi christiani, de religiosis, de disciplina sacramentorum; altera vero pars continet schemata ab aliis Commissionibus vel Secretariatibus apparata.

Commissiones et Secretariatus eo ordine disponuntur ut in M. P. Superno Dei nutu, *quo iidem Coetus instituti sunt. In cuiusque autem Commissionis ambitu schemata exhibentur secundum ordinem temporis quo in Commissione Centrali discuti coepta sunt. Pro qualibet Commissione, in appendice, referuntur schemata, quae in Commissione Centrali discussa non fuerunt.*

Ad pervestigationem faciliorem reddendam, pro omni schemate vel, si res ferat, pro diversis eiusdem capitibus, indicavimus opportunis notis, asterisco signatis, tomos et paginas, quibus schematis discussio, in Commissione Centrali facta, continetur.

Valde confidimus fore ut hoc extremum volumen, quod non solum historiae Concilii scribendae valde proderit, sed tendit ad eiusdem studium facilius reddendum, rerum Ecclesiae cultorum favore excipiatur.

Die XIX martii MCMLXIX.
In festo S. Ioseph, Ss. Concilii Vaticani II Patroni.

COMMISSIO THEOLOGICA

I

FORMULA NOVA PROFESSIONIS FIDEI *

1. Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

2. Firmiter quoque recipio omnia et singula, quae ab inerranti Ecclesia sive sollemni iudicio definita, sive ordinario et universali magisterio adserta et declarata sunt: praesertim ea quae erroribus huius temporis adversantur.

3. Ac primum profiteor Deum personalem, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine, per ea quae facta sunt, tamquam causam per effectus, certo cognosci adeoque demonstrari posse, eumdemque ut Dominum supremum non tantum a singulis hominibus, sed etiam a civili societate esse agnoscendum.

4. Indubitanter quoque credo unum eundemque esse Iesum Christum, quem fide verum Deum profitemur et cuius vitam in terris Evangelia testantur; ipsumque Mediatorem agnosco, qui sacrificio Crucis pro totius humani generis peccatis divinae iustitiae satisfecit.

5. Immaculatam semperque Virginem Mariam, Dei Genitricem hominumque Matrem, ab Ecclesia singulariter colendam testificor, eiusque cultu genuino cultum Dei et Iesu Christi non minui, immo potius augeri declaro.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in congregatione altera sessionis secundae, die 9 nov. 1961. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars I, pp. 495-523.

6. Unicam Iesu Christi Ecclesiam, salutis arcam, fide admitto: eam nempe quam Ipse condidit et sanguine suo acquisivit, et pascendam tradidit S. Petro, Apostolorum Principi, et successoribus eius, Romanis Pontificibus: quibus veram oboedientiam spondeo ac iuro, quorumque supremo magisterio, etiam in lege naturali explicanda, sincere me subiicio. Episcopos autem in communione et sub auctoritate Romani Pontificis, Apostolorum successores esse agnosco.

7. Credo esse septem vere et proprie dicta Novae Legis Sacramenta, a Iesu Christo instituta, quibus gratia quam significant, confertur: nullam autem esse salutem nisi per Baptismum, Ecclesiae ostium, sive re sive voto susceptum.

8. Sacrificium Missae, a solo sacerdote, rite ordinato, prout Christi Summi Sacerdotis personam gerit, confici eiusque divinam immolari victimam profiteor: a fidelibus autem eandem victimam cum sacerdote et per sacerdotem Deo Patri offerri.

9. Praeterea adoro Sanctissimae Eucharistiae Sacramentum, in Sacrificio incruento confectum, et credo in eo contineri vere et realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate D. N. Iesu Christi; itemque credo verbis consecrationis fieri conversionem totius substantiae panis in Corpus, totiusque substantiae vini in Sanguinem Domini, quam conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transsubstantiationem appellat. Insuper profiteor etiam sub alterutra specie totum et integrum Christum adesse, verumque sumi Sacramentum.

10. Recepta quoque ab Ecclesia Sacramentalia recipio. Indulgentias pro vivis atque defunctis admitto; Sanctorum invocationem itemque eorum reliquiarum et imaginum venerationem populo christiano salutares esse detineo.

11. Peccatum originale, quo omnes homines in protoparente Adam peccaverunt, veri nominis peccatum, generatione transmissum et unicuique proprium, sincera fide admitto.

12. Externa revelationis argumenta, imprimisque miracula et prophetias agnosco tamquam signa certissima, quibus divinitus orta christiana religio invicte demonstratur, eademque retineo etiam hodie humanae intelligentiae esse accomodata. Teneo quoque Ecclesiam ipsam, in se consideratam, propter suam catholicam unitatem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob mirabilem propagationem invictamque stabilitatem perpetuum esse motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

13. Fidei doctrinam ab Apostolis per ortodoxos Patres eodem sensu eademque sententia usque ad nos transmissam sincere recipio. Quare etsi crescit in Ecclesia veritatis revelatae intelligentia, tamen sententiam evolutionis dogmatum decursu temporum in alium sensum transeuntium ab eo quem semel docuit Ecclesia, veluti haereticam reiicio.

14. Depositum fidei, seu verbum Dei cum scriptum tum traditum cum Apostolis completum esse retineo. Sacram Scripturam, a quovis errore immu-

nem, ductu Magisterii Ecclesiae, ad normam Traditionis et secundum analogiam fidei explicandam esse firmiter teneo.

15. Fidem non esse caecum sensum religionis vel solum animi affectum profiteor, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe quae a Deo personali revelata et testata sunt, vera esse credimus propter Dei auctoritatem summe veracis, cui credendo plenum obsequium intellectus et voluntatis, adspirante et adiuvante Dei gratia, praestamus.

16. Caetera item omnia ab Oecumenicis Conciliis ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo et ab Oecumenico Concilio Vaticano I, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu iurisdictionis et infallibili magisterio, indubitanter profiteor, sicut damno et reiicio ea quae in iisdem Conciliis et Encyclicis Litteris, nominatim *Pascendi* et *Humani generis,* damnata atque reiecta sunt.

17. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandemque integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, a me meisque subditis retinendam curabo. Sic idem ego N. coram Deo et Iesu Christo, qui me iudicaturus est in vitam vel poenam aeternam spondeo, voveo et iuro.

18. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

FONTES INDICANTUR

Ad n. 1: Desumpta ex professione fidei Tridentina (DENZ. 994). Symbolum est Nic.-Const. (DENZ. 86).

Ad n. 2: Cf. Conc. Vat. I, Const. *de fide cath.* (DENZ. 1792) ubi de duplici magisterio, et initium Iurisiurandi antimodernistici (DENZ. 2145).

Ad n. 3: Cf. Iusiurandum antimodernisticum (DENZ. 2145); vide etiam DENZ. 1650, contra Bonetty; DENZ. 1672, contra Frohschammer, DENZ. 1785 et 1806: Conc. Vat. I et *Humani generis* (DENZ. 2320), ubi de certa demonstratione exsistentiae Dei *personalis.* Additum est: « eundemque ut Dominum supremum, non tantum a singulis hominibus sed etiam a civili societate esse agnoscendum », ut ponatur principium generale contra laicismum (cf. PII XI: *Ubi arcano,* DENZ. 2190; *Quas primas,* DENZ. 2197).

Ad n. 4: De Christo historico et Christo fidei, cf. PII X, *Pascendi* (DENZ. 2076); vide etiam Iusiurandum (DENZ. 2145): « per verum et historicum Christum ». De satisfactionis Christi notione perversa, cf. *Humani generis* (DENZ. 2318).

Ad n. 5: Contra illos agitur, qui dicunt cultum B. M. V. esse periphericum. Dicitur: « semperque Virginem » ob errores recentes de Deiparae virginitate.

Ad n. 6: Res est contra eos catholicos, qui dicunt Ecclesiam Romanam tandem valedicere debere suae praetentioni, se esse unicam veram Christi Ecclesiam. Alluditur ad *Act.* 20, 28, ut per modum unius significetur aspectus mysticus et aspectus iuridicus Ecclesiae. Verba « oboedientiam spondeo ac iuro » sunt ex formula Tridentina (DENZ. 999). Addita sunt verba de lege naturae explicanda, ob multas decisiones pontificias in re morali et re sociali.

Ad n. 7: Formula Tridentina abbreviata (DENZ. 996). De baptismo et voto baptismi, vide Tridentinum (DENZ. 796). Baptismi necessitas ad salutem ponitur propter novas theorias ubique sparsas de salute infantium morientium sine baptismo.

Ad n. 8: Ponitur paragraphus contra eos qui negare conantur essentialem differentiam inter sacerdotium hierarchicum et sacerdotium universale. Conferas PII XII *Mediator Dei* (DENZ. 2300), ubi de fidelium participatione in sacerdotio Christi.

Ad n. 9: Cf. formulam Tridentinam (DENZ. 997) et *Humani generis* (DENZ. 2318). Quod ad vocem *adoro,* cf. canticum « Adoremus in aeternum Ss.mum Sacramentum » et Hymnum « Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui ». *Cernui,* i. e. inclinato capite adorantes.

Ad n. 10: Abbreviata formula Tridentina (DENZ. 998).

Ad n. 11: Cf. professio Tridentina (DENZ. 996) et Conc. Trid. (DENZ. 790), collato *Humani generis* (DENZ. 2328).

Ad n. 12: Cf. Iusiurandum (DENZ. 2145) collato *Humani generis* (DENZ. 2305). De Ecclesia motivo credibilitatis cf. Conc. Vat. I (DENZ. 1794): Sunt hodie qui semper agentes de culpabilitate et peccatis Ecclesiae, hoc criterium prorsus obscurant.

Ad n. 13: Cf. Iusiurandum (DENZ. 2145) collato *Humani generis* (DENZ. 2309 et ss.).

Ad n. 14: Sequimur Decr. *Lamentabili* (DENZ. 2021): « Revelatio... non fuit cum Apostolis completa ». De explicanda S. Scriptura ratione habita Magisterii, Traditionis, et analogiae fidei, cf. *Humani generis* (DENZ. 2315).

Ad n. 15: Videas Iusiurandum (DENZ. 2145). Explevimus formulam ex Conc. Vat. I (DENZ. 1789): « Plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium praestare tenemur ».

Ad n. 16: Cf. formula Tridentina aucta anno 1877, de quo augmento cf. DENZ. 1000 cum nota 1. Addidimus *Pascendi* ex Iureiurando (DENZ. 2146), et *Humani generis.*

Ad n. 17: Cf. ultima verba Professionis Tridentinae (DENZ. 1000). Hoc loco introduximus *Extrema hominis,* de quibus hodie ne in exercitiis quidem spiritualibus ignatianis loqui licet, utpote antiquatis et non placentibus sensui religioso hodierno.

II

DE FONTIBUS REVELATIONIS *

CAPUT 1

DE DUPLICI FONTE REVELATIONIS

1. [*De revelatione Veteris et Novi Foederis*]. Revelatio, quam Deus in sapientia et bonitate sua hominibus impertiri dignatus est, nobis advenit Veteris et Novi Foederis oeconomia. Et in Vetere quidem Deus multifariam multisque modis patribus locutus est in prophetis (Hebr. 1, 1); in Novo autem thesauros sapientiae et scientiae suae toti humano generi per ipsum Flium eiusque Apostolos effudit (cf. Io. 14, 26 et 16, 14).

2. [*De prima diffusione revelationis Novi Foederis*]. Haec novi Foederis revelatio, quae Veteris Foederis revelationem longe transcendit eamque consummavit, Deo ita disponente, potissimum per praedicationem sparsa est et auditu recepta. Christus siquidem Dominus in vita sua filiis Israel arcana regni coelorum viva voce manifestavit et post resurrectionem Apostolis suis praecepit ut praedicarent omni creaturae (cf. Mc. 16, 15), dicens: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (Mt. 28, 18-20). Unde teste S. Clemente Romano, « Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo. Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et Apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis et per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi plena certitudine imbuti verboque Dei confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia, egressi sunt annuntiantes regni Dei adventum ».[1]

3. [*De transmissione revelationis Novi Foederis*]. Ministerium autem verbi, quod Christus et Apostoli instauraverunt, volventibus saeculis semper in Ecclesia servatum est. Nam Episcopi, qui in Ecclesia locum Apostolorum per successionem obtinent, eorum doctrinam semper praedicatione tradiderunt et cum auctoritate interpretati sunt. Quidam ex Apostolis vel apostolicis viris revelationem divino afflante Spiritu, litteris quoque mandaverunt; illis autem scriptis vivum Apostolorum praeconium neque abrogatum neque imminutum est, sed potius roboratum et commendatum.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in congregatione altera sessionis secundae, die 9 nov. 1961. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars I, pp. 523-563.

4. [*De duplici fonte revelationis*]. Christi itaque et Apostolorum mandatis et exemplis edocta, sancta mater Ecclesia semper credidit et credit integram revelationem non in sola Scriptura sed in Scriptura et Traditione tanquam in duplici fonte contineri,[2] alio tamen ac alio modo. Nam libri Veteris et Novi Testamenti praeterquam quod revelata continent, insuper Spiritu Sancto inspirante conscripti sunt, ita ut Deum habeant auctorem.[3] Traditio autem vere divina, a Spiritu Sancto continua successione in Ecclesia conservata, in rebus fidei et morum ea continet omnia, quae Apostoli, sive ab ore Christi sive suggerente Spiritu Sancto, acceperunt atque Ecclesiae praeter Sacram Scripturam quasi per manus tradiderunt, ut in eadem per praedicationem ecclesiasticam transmitterentur.[4] Quare quae divina Traditio ratione sui continet, non ex libris, sed ex vivo in Ecclesia praeconio, fidelium fide et Ecclesiae praxi hauriuntur. Quod autem ad praeaterita attinet, plerumque ex variis documentis scriptis, non tamen inspiratis, innotescunt.

5. [*De habitudine unius fontis ad alterum*]. Nemo ergo Traditionem exinde minoris facere aut ei fidem derogare audeat. Licet enim Sacra Scriptura, cum sit inspirata, ad enuntiandas et illustrandas veritates fidei instrumentum praebeat divinum, eius nihilominus sensus nonnisi Traditione apostolica certe et plene intelligi vel etiam exponi potest; immo Traditio, eaque sola, via est qua quaedam veritates revelatae, eae imprimis quae ad inspirationem, canonicitatem et integritatem omnium et singulorum sacrorum librorum spectant, Ecclesiae innotescunt et clarescunt.

6. [*De habitudine utriusque fontis ad Magisterium*]. Ut autem ambo fontes revelationis concorditer et efficacius ad salutem hominum concurrerent, providus Dominus eos tanquam unum fidei depositum ad custodiendum et tuendum et authentice interpretandum non singulis fidelibus utcumque eruditis concredidit, sed soli vivo Ecclesiae Magisterio.[5] Magisterii Ecclesiae ergo est, qua proximae et universalis credendi normae, non modo iudicare in iis, quae sive directe sive indirecte ad fidem et mores spectant, de sensu et interpretatione cum Scripturae Sacrae tum documentorum et monumentorum quibus temporis decursu Traditio consignata est et manifestata, sed ea quoque illustrare et enucleare quae in utroque fonte nonnisi obscure ac velut implicite continentur.[6]

NOTAE

[1] Clemens Romanus, *Ep. ad Cor.*, 42, n. 1-3: PG 1, 292.

[2] Cf. Conc. Vat.: Const. *De Fide Catholica*, cap. 2: Denz. 1787; EB 77.

[3] *Ibid.*

[4] Cf. *ibid.* et Conc. Trid., Sess. IV: Denz. 783; EB 57.

[5] Cf. Encycl. *Humani generis*, 12 aug. 1950: AAS 42 (1950), pp. 567, 569: Denz. 2314; EB 611.

[6] *Ibid.*, p. 569: Denz. 2314; EB 611.

Caput 2

DE S. SCRIPTURAE INSPIRATIONE, INERRANTIA ET COMPOSITIONE LITTERARIA

1. [*S. Scripturae Inspiratio et Canonicitas*]. Praeterquam viva Prophetarum et Apostolorum voce, Deus in Scripturis quoque sanctis Veteris ac Novi Testamenti, quae alterum ac praeclarum constituunt supernae Revelationis fontem,[1] verbum suum tradere et accuratius conservare hominibus voluit. Haec est Scriptura « divinitus inspirata » (2 Tim. 3, 16), ab Apostolis catholicae Ecclesiae tradita atque in sacro canone rite agnita et recepta,[2] ad perpetuum eiusdem Ecclesiae usum, ut munus suum adimpleat docendi, ad christianae vitae moderamen et salutem.

8. [*Inspirationis propria natura et definitio*]. Ad hanc vero divinam Scripturam exarandam, Deus ipse sacros quosdam scriptores seu hagiographos ita ad scribendum interne excitavit et movit, ita quoque scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola, quae ipse primarius Scripturarum Auctor intenderet, recte mente conciperent fideliterque scriptis mandarent.[3] Est enim Inspiratio biblica, ex constanti doctrina Ecclesiae, speciale quoddam charisma ad scribendum, quo Deus, in hagiographo et per hagiographum operando, mentem suam scripto hominibus manifestat, ideoque ipse nominatur veroque sensu est auctor principalis integri sacri textus. Hagiographus autem, in conficiendo libro; est Spiritus Sancti « organon », seu instrumentum, idque vivum ac ratione praeditum, cuius proinde propria indoles ac veluti singulares notae ex libro sacro colligi possunt.[4] Quapropter iure Ecclesia reprobavit iterumque reprobat quodlibet extenuandae naturae Inspirationis conamen, illudque praecipue quo coniuncta haec et supernaturalis Dei hominisque scribendi ratio quovis modo ad mere naturalem impulsum vel animi commotionem reducatur.[5]

9. [*Plures auctores humani*]. Singulorum autem et omnium librorum Veteris ac Novi Testamenti, sicut Deus quolibet tempore unus est Auctor primarius, ita auctores humani complures fuerunt in decursu saeculorum, usque ad completam Revelationem, atque eiusdem quoque libri duo vel plures interdum scriptores. Qui omnes, iuxta Ecclesiae doctrinam habendi sunt tanquam ministri divini verbi scribendi, a Spiritu Sancto assumpti.

10. [*Inspiratio personalis hagiographi et communitas*]. Item, quemadmodum ex Scriptura ipsa eruitur (cf. 2 Petr. 2, 21) et Ecclesia semper docuit, sacrae Inspirationis charisma hagiographis a Deo electis et ductis personale propriumque fuit, non autem fidelium coetui commune vel communicatum. Ex Dei autem providentia, origo libri sacri ipseque liber ita cum gestis et vita communitatis cohaeret, ut ex iis aptius intelligi possit.

11. [*De extensione Inspirationis*]. Pariter, cum Deus ipse divino suo afflante Spiritu totius Scripturae sacrae sit Auctor, omniumque per hagiographi manum in ea exaratorum veluti scriptor, consequitur omnes et singulas

sacrorum librorum partes, etiam exiguas, esse inspiratas.[6] Itaque omnia quae ab hagiographo enuntiantur, a Spiritu Sancto enuntiata retineri debent.

12. [*De inerrantia ut consectarium Inspirationis*]. Ex hac divinae Inspirationis extensione ad omnia, directe et necessario sequitur infallibilitas et inerrantia totius Sacrae Scripturae. Antiqua enim et constanti Ecclesiae fide edocemur nefas omnino esse concedere sacrum ipsum errasse scriptorem, cum divina Inspiratio per se ipsa non modo errorem excludat omnem in qualibet re religiosa vel profana, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse.[7]

13. [*Quomodo inerrantia diiudicanda sit*]. Haec tamen inerrantia diiudicanda est ex sensu, quem in determinatis adiunctis expressit hagiographus pro sui temporis conditione.[8] Veritas enim et fides historica sacrae Scripturae in narrandi modo, recte intelliguntur, si rite attendatur ad suetos nativos cogitandi, dicendi vel narrandi modos, qui tempore hagiographorum vigebant, quique tunc in mutuo hominum commercio passim adhiberi solebant.[9] Cum igitur haec omnia, salva Scripturae sacrae auctoritate et sanctitate, in eodem divino eloquio, quod pro hominibus modis verbisque humanis exprimitur,[10] inveniantur, non magis erroris argui debent, quam cum patria ac similia in quotidiano usu haberentur, immo habeantur.

14. [*Divina condescensio*]. Quae omnia, singulis hagiographis suo tempore ac genio propria, salva iugiter rerum veritate ac moralitate, novam manifestamque statuunt aeternae Sapientiae condescensionem in verbo suo divino humanis signis ac litteris vestiendo proferendoque hominibus, sicut olim in Unigenito Patris Verbo, qui humanae infirmitatis assumpta carne, per omnia nobis assimilari voluit praeter peccatum (cf. Hebr. 4, 15).[11]

NOTAE

[1] LEO XIII, *Encycl. Providentissimus Deus,* 18 nov. 1893: EB 82.

[2] Conc. Trid., Sess. IV, Decr. *De Can. Script.*: DENZ. 784; EB 58-60; Conc. Vat. I, Sess. III, cap. 2 *De Revel.,* et can. 4: DENZ. 1787 et 1809; EB 77, 79.
BENEDICTUS XV, Encycl. *Spiritus Paraclitus,* 15 sept. 1920: EB 448.
PIUS XII, Encycl. *Divino afflante,* 30 sept. 1943: EB 538.

[3] LEO XIII, *ibid.,* DENZ. 1952: EB 125.

[4] PIUS XII, *Divino afflante*: EB 556.

[5] S. PIUS X, Decr. *Lamentabili,* 3 iul. 1907, et Encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907: DENZ. 2009-2010 et 2090; EB 200-201, et 272-273.
Cf. quoque Conc. Vat. I, cap. 2 *De Revel.*: DENZ. 1787; EB 77.
LEO XIII, Encycl. *Providentissimus*: DENZ. 1952; EB 125.

[6] Cf. Pont. Comm. Bibl., Decr. 18 iun. 1915: DENZ. 2180; EB 420; S. Off. epist. 22 dec. 1923: EB 499. Cf. Resp. Comm. de Re Bibl. 18 iun. 1915: DENZ. 2180; EB 420.

[7] PIUS XII, *Divino afflante*: EB 539, cum verbis relatis LEONIS XIII, *Providentissimus*: DENZ. 1950; EB 124. Cf. quoque EB 44. 46. 125. 420. 450. 463. etc.

[8] S. AUGUSTINUS, *De doctrina christiana,* II, 18, 26: PL 34, 75-76.
[9] PIUS XII, *Divino afflante*: DENZ. 2294; EB 558-562.
[10] « Per hominem more hominum loquitur », S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei,* XVII, 6, 2: PL 41, 537. Cf. *Epist. Pont. Commiss. de Re Biblica* 16 ian. 1948: DENZ. 2302; EB 581.
[11] PIUS XII, Encycl. *Divino afflante*: DENZ. 2294; EB 559.

CAPUT 3

DE VETERE TESTAMENTO

15. [*De auctoritate V. T. in Ecclesia*]. Scripturis Sacris Veteris Testamenti Deus, iam a vetustissima aetate, populum in suam peculiarem acquisitionem adscitum sibique amico foedere iunctum de salutiferis consiliis inter homines exsequendis erudire satagebat. Itaque, in iis praesertim quae christianae religionis fundamenta, sive in verbis sive in historiae rebus, ad finem usque temporis spectant, Veteris Testamenti, vis, auctoritas et emolumentum minime enervata dicenda sunt. « Quaecumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus » (Rom. 15, 4).

16. [*De habitudine inter Vetus et Novum Testamentum*]. Dei autem ad hominem habitudo, inde ab Adae praevaricatione, in hoc tendebat, ut per repromissiones quae ad patres nostros factae sunt et prophetica de Redemptore oracula, nuntia in dies inclarescentia, omni creaturae spes ad viam salutis pateret. « De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetae, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt » (1 Pt. 1, 10). Scripturae enim Sacrae Veteris Testamenti testimonium perhibent de Christo (Io, 5, 39) et, ex omnipotentis ac miserentissimi Dei voluntate, necesse erat impleri omnia quae de Salvatore promisso inibi dicebantur, prout Iesus Dominus noster Apostolos suos docuit, quibus ipse sensum denique aperuit ut intelligerent Scripturas (Lc. 24, 44-45).

Quare, totius Veteris Testamenti ratio atque momentum in hoc est, ut in Novum tendat et in Novo pateat. « Quid hoc stabilius, quid firmius verbo, in cuius praedicatione Veteris et Novi Testamenti concinit tuba, et cum evangelica doctrina, antiquarum protestationum instrumenta concurrunt? ... Quia, sicut ait beatus Ioannes, *lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Iesum Christum facta est* (Io, 1, 17); in quo et propheticarum promissio impleta est figurarum et legalium ratio praeceptorum, dum et veram docet prophetiam per sui praesentiam, et possibilia facit mandata per gratiam ».[1]

17. [*De indole Veteris Testamenti*]. Quapropter, haec Sacrosancta Vaticana Synodus, ex evangelica apostolicaque doctrina sollemniter docet Deum, utriusque Testamenti auctorem et inspiratorem, Vetus ita sapienter condidisse ut Novum suavi providentia praepararet et multifariam prophetis nun-

tiaret et variis typis significaret, ita ut Veteris Testamenti Libri et ipsi unius divinae revelationis divinique consilii salutis supernaturale iter et cursum describant. Quae autem in illis continentur, ob veteris oeconomiae indolem incompletam,[2] praesertim mores quod spectat, denique conferenda sunt cum Christi Evangelio ab Apostolis praedicato, eorumque recta interpretatio rite submittenda est vivo Ecclesiae magisterio, hoc est illorum iudicio « qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt ».[3]

18. [*De auctoribus humanis Veteris Testamenti*]. Denique, ad humanos auctores Veteris Testamenti librorum quod spectat, quamquam authentia huiusmodi dogma de eorum divina inspiratione per se et directe non tangit, Sacrarum Scripturarum catholici interpretes sancte teneant quidquid certi hac de re in utroque revelationis fonte invenitur. Quatenus vero huiusmodi quaestio fidem tangat, solius est Ecclesiae ultimum hac de re iudicium ferre.

NOTAE

1 S. Leo Magnus, *Sermo LI de Transfiguratione*, 4: PL 54, 311.
2 Pius XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge*: AAS 29 (1937), pp. 150 ss.
3 S. Irenaeus, *Adv. Haer.* 4, 26, 2: PG 7, 1053-1054.

Caput 4

DE NOVO TESTAMENTO

19. [*De Evangeliis eorumque auctoribus*]. Neminem autem fugit inter omnes divinas Auctoritates quae Sanctis Litteris continentur, Evangelium merito excellere.[1] Quattuor Evangelia apostolicam originem habere Ecclesia Dei semper et ubique sine dubitatione credidit et credit, constanterque tenuit ac tenet auctores humanos habere illos quorum nomina in Sacrorum Librorum canone gerunt: Matthaeum nempe, Marcum, Lucam et Ioannem, quem diligebat Iesus.

20. [*De historico Evangeliorum valore*]. Eadem Sancta Mater Ecclesia firma et constantissima fide credidit et credit quattuor recensita Evangelia sincere tradere quae Iesus Dei filius ad aeternam hominum salutem et inter homines degens, reapse et fecit et docuit (cf. Act. 1, 1). Quamvis enim cum historiae compositionis rationibus quae apud nostrae aetatis peritos in usu sunt, Evangelia non in omnibus conveniant (nec convenire necesse est), tamen quae dicta et facta inibi divino afflante Spiritu consignantur, ad normam veritatis exarata sunt, ex testimonio et traditione illorum « qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis » (Lc. 1, 2).

21. [*De veritate factorum Christi in Evangeliis*]. Quapropter, haec Sacrosancta Vaticana Synodus legitime in Domino congregata, illos damnat errores, quibus denegatur vel extenuatur, quovis de modo et quavis de causa,

germana veritas historica et obiectiva[2] factorum vitae Domini nostri Iesu Christi, prout in Sanctis illis Evangeliis leguntur. Qui errores perniciosiores evadunt, si in discrimen vocant facta quae ipsam fidem attingunt, ut sunt ex. gr.: historia infantiae Domini nostri, Redemptoris signa et miracula, eius mirabilis a mortuis resurrectio ac ascensio ad Patrem gloriosa.

22. [*De veritate verborum Christi in Evangeliis*]. Pariter Sacrosancta haec Vaticana Synodus errores damnat quibus negatur Christi verba divina quae in Evangeliis conscripta sunt, etsi non semper ad litteram, ubique tamen quoad vim et substantiam, ab ipso Domino nostro re esse prolata. Nec minoris temeritatis incusandi sunt errores, quibus iudicatur sanctissima illa Filii Dei verba plerumque mentem communitatis christianae primitivae prodere, potiusquam doctrinam ipsius Salvatoris nostri sincere referre.

23. [*De veracitate doctrinae Apostolorum in Scripturis canonicis*]. Doctrinam autem Apostolorum, quae in reliquis Novi testamenti canonicis Scripturis continetur, nefas est dicere nonnisi humana industria humanisque inventis vel ex Iudaeorum aut gentium placitis, praeter vel contra ea quae Christus ipse et docuit et voluit, aliquando esse concinnatam. Apostolis enim suis, quos ipse docere omnes gentes in mundum universum miserat, Christus adstitit (Mt. 28, 20), iis tandem Paraclitum Spiritum repromisit a Patre mittendum, ut omnia ipsos doceret et omnia suggereret (Io. 14, 26) quae Christi erant (Io. 16, 14), in aevum ad aeternam humani generis salutem servanda.

NOTAE

[1] S. AUGUSTINUS, *De consensu evangelist.*, 1, 1: PL 34, 1041-1042.

[2] Cf. Monitum S. S. Congr. S. Off., die 20 iunii 1961. AAS LIII (1961), p. 507.

CAPUT 5

DE SACRA SCRIPTURA IN ECCLESIA

24. [*De curis Ecclesiae circa S. Scripturam*]. Caelestis sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa caritate et liberalitate per Ecclesiam hominibus tradidit,[1] numquam in Ecclesia latuit; etenim, inde ab initio Ecclesia Christi maxima reverentia et alacritate divina eloquia custodivit, a quavis falsa interpretatione defendit, ad salutem animarum in sacra praesertim praedicatione sollicite adhibuit [2] atque in sua liturgia quotidie omnibus proponere non desiit.

25. [*De versione latina Vulgata*]. Sine praeiudicio praecellentis auctoritatis primigeniorum textuum Sacrae Scripturae, inter plures quae olim circumferebantur latinas versiones, Ecclesia unam praetulit, « Vulgatam » nempe, quam pro authentica habuit et habet. Ex legitimo huius versionis tot saeculorum usu in Ecclesia, patet eandem in rebus fidei et morum ab omni prorsus errore esse immunem et in disputationibus, in lectionibus concioni-

busque tuto ac sine errandi periculo citari posse.[3] Tanta enim cum Magisterio ipsius Ecclesiae fuit « Vulgatae » connexio, ut traditionis auctoritate pollere dicenda sit. Simul autem, haec Sacrosancta Vaticana Synodus reverenter excipit alias venerandas vulgatasque in Ecclesiis orientalibus versiones, in primis graecam illam antiquissimam Veteris Testamenti versionem a Septuaginta viris nuncupatam, ipsorum Apostolorum usu probatam.

26. [*De lectione S. Scripturae apud sacerdotes*]. Meminerit quivis Ecclesiae administer sancti Pauli Apostoli monitum: « Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus » (2 Tim. 3, 16-17). Praeeuntibus Ecclesiae Patribus, « necesse est ut qui ad officium praedicationis excubant, a sacrae lectionis studio non recedant »;[4] sacerdotis enim sermo « Scripturarum lectione conditus sit »,[5] ne inanis forinsecus praedicator fiat « qui non est intus auditor ».[6] Sacrae autem Litterae « possunt instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Iesu » (2 Tim. 3, 15), cum ex manu Ecclesiae accipiantur ac pium lectorem moveat mentis docilitas et desiderium discendi quae ad spiritualem aedificationem faciant.

27. [*De lectione S. Scripturae apud fideles*]. Nostro tempore, divina favente Providentia, laudabiliter factum est ut non pauci quoque fideles Sacram Scripturam in textibus primigeniis legant, et ut maxime ad omnium usum et bonum conversiones plurimae Librorum sacrorum ex iisdem textibus primigeniis in vulgatas linguas confectae sint.[7] Maxime autem gaudendum est de actuoso amore quo praesertim Christi Evangelia et Apostolorum scripta in dies vulgantur et manu versantur. Etenim haec sacra lectio, ut Ecclesiae Patres et Doctores testantur, sanctique viri semper experti sunt, mentem illuminat, voluntatem firmat, cor ad amorem Dei accendit. Attamen haec Sacrosancta Vaticana Synodus enixe christifideles monet ut ad sacrum ipsum textum accedant, attenta Ecclesiae doctrina et cum solida aptaque institutione. Quod in primis valet pro lectione Veteris Testamenti; sed etiam in Novo Testamento « sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem » (2 Pt. 3, 16). Ideo versiones in usum fidelium ab Episcopis invigilentur atque approbentur, « apud quos est apostolica doctrina »;[8] necessariis insuper et vere sufficientibus explicationibus instruantur, ad mentem Ecclesiae,[9] cuius vivum magisterium fidelibus est norma proxima credendi. Non enim a quovis vel docto viro divinorum eloquiorum genuinus sensus statui potest, seb ab uno Ecclesiae magisterio cui Sacrarum Scripturarum depositum concreditum est interpretandum. Ab Episcoporum etiam auctoritate pendere necesse est quodcumque inceptum ad Sacram Scripturam in plebe christiana divulgandam atque illustrandam.

28. [*De exegetis catholicis*]. Cum hodie, ex noviter inventis, multa adducantur, quae ad penitiorem intelligentiam sensus litteralis, qui praecipue attendendus est in divinis Scripturis, conferant, ii qui, in Ecclesia, ad Eccle-

siae utilitatem in divinis eloquiis investigandis sua scientia laudabiliter adlaborant, meminerint tamen semper se in exponendis Scripturis sanctis Sancti Spiritus Dei indigere auxilio[10] et non aliter Scripturam intelligendam esse « quam sensus Spiritus Sancti flagitat, quo conscripta est ».[11] Non enim ad exercitandum ingenium Scripturas sanctas Deus hominibus dedit, sed ad spirituale bonum; ideo maiorem recentiorum eruditionem comitetur oportet illa in doctrina spirituali exponendi et dicendi suavitas, qua veteres Patres et Doctores, amore Ecclesiae et animarum salute unice permoti, excellebant. Quam maxime ergo exegetae catholici curent theologicam sacrorum textuum doctrinam, ut ipsi et alii scientiae theologicae cultores mutuo se adiuvent, verum etiam sacerdotibus adiumento sint ad doctrinam christianam coram populo aptius enucleandam, et fidelibus omnibus ad vitam sancte agendam adserviant.[12] Haec omnia fieri possunt tantummodo si rerum biblicarum doctiores qua par est reverentia ac oboedientia ad analogiam fidei, ad Ecclesiae traditionem, et ad Apostolicae Sedis de re iugiter normas attendant.[13]

29. [*De habitudine theologiae ad S. Scripturam*]. Cum universae theologicae doctrinae Sacra Scriptura una cum traditione velut anima sit, theologiae doctores maximi faciant propriae disciplinae incrementum quod ex recta Librorum sacrorum interpretatione obvenit. Sacrorum enim Librorum et doctrinae apud Ecclesiam depositae idem est auctor Deus; ideoque fieri nequit, ut sensus ex illis Libris qui ab hac doctrina quoquo modo discrepet, legitima interpretatione eruatur.[14] Curent ergo theologi nostri pro sua scientia illustrare atque comprobare concordiam omnimodam doctrinae catholicae, ab initio ad nostra usque tempora traditae, cum divinis illis eloquiis admirabili Spiritus Sancti opera et consilio pro Ecclesia ad universorum salutem conscriptis.

NOTAE

[1] Verba desumuntur a Conc. Trid., cum addito « per Ecclesiam »: EB 65.

[2] Pius XII, *Divino afflante,* initio: EB 538.

[3] Conc. Trid.: Denz. 785, EB 61; Pius XII, *Divino afflante*: Denz. 2292; EB 549.

[4] S. Gregorius M., *Reg. Past.* 2, 11: PL 77, 50.

[5] S. Hieronymus, *Ep. ad Nepotian.* 8: PL 22, 534.

[6] S. Augustinus, *Sermo* 179, 1: PL 38, 966.

[7] Pius XII, *Divino afflante*: EB 549.

[8] S. Irenaeus, *Adv. Haer.,* IV, 32, 1: PG 7, 1071.

[9] Cf. CIC, can. 1391.

[10] S. Hieronymus, *In Mich.* 1, 10-15: PL 25, 1215.

[11] Id., *In Gal.* 5, 19-21: PL 26, 445.

[12] Cf. Pius XII, *Divino afflante*: Denz. 2293; EB 551.

[13] Cf. *Iusiurandum antimodernisticum*: Denz. 2146; EB 354.

[14] Leo XIII, *Providentissimus*: EB 114.

III

DE ORDINE MORALI *

CAPUT 1

DE FUNDAMENTO ORDINIS MORALIS

1. [*De indole obiectiva ordinis moralis*]. S. Concilium memor effati apostolici: « Haec est enim voluntas Dei sanctificatio vestra » (*I Thess.* 4, 3),[1] sollemniter profitetur exsistere ordinem moralem, ipsius Dei infinite boni et infinite sancti ordinationem, qua mensuratur honestas vel inhonestas actuum humanorum. Quae ordinatio ab hominibus per cognitionem participata iisdem fit regula et norma sanctitatis, ut testantibus Scripturis sancti sint sicut ipse Deus sanctus est.[2] Hunc ordinem iuvante divina gratia observando, homo suam voluntatem conformat voluntati Dei et participando legem libertatis (cf. *Iac.* 1, 25) non solum fit servus fidelis Dei, sed gaudet quoque libertate filiorum Dei illa, qua solutus a potestate peccati [3] tendere possit in finem suum ultimum, qui in hac oeconomia salutis est ipse Deus, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, in patria contemplatione et amore possidendus. Non ergo ordo moralis figmentum est mere humanum, sed ille ordo reapse exsistit, sicut reapse exsistit voluntas Dei, infinite boni ac sancti.

2. [*Ordo moralis absolutus*]. Est autem ordo moralis non solum obiectivus sed etiam absolutus, vario tamen modo et gradu. Procedit enim ex ordinatione Dei, qui ob infinitam suam sanctitatem necessario amat bonum et odio habet malum, et « apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio » (*Iac.* 1, 17). Refertur quoque in finem absolute, ut videlicet homo cum Deo maneat inseparabiliter coniunctus. Est insuper absolutus, normas fundamentales quod attinet, eas videlicet quae non dependent ab adiunctis mutabilibus rerum, quae normis istis reguntur, sed radicitus inhaerent in ipso Deo, summa sanctitate et aeterna sapientia, et quibus relationes determinantur necessario exsistentes inter creaturas rationales cum inter se tum maxime cum suo Creatore. Suo quoque modo absolutus ille ordo est in iis quae Deus pro supremo dominio suo immutabiliter statuere voluit, licet aliud statuere potuisset. Nec solum absolutus dicatur in praeceptis et

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in prima congregatione sessionis tertiae, die 15 ian. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 28-96.

vetitis, sed etiam in consiliis divinis. Nam licet Deus non omnes et singulos vocet ad exsequenda ea, quae consiliis evangelicis proponuntur, tamen consilia Dei ab omnibus ut bona divinitus nobis oblata agnoscenda sunt ac veneranda. Quam ob rem non obstantibus aspectibus diversis quos habuit ordo moralis olim in paradiso, habet nunc hic in terra in genere humano lapso et redempto, habebit tandem in patria; non obstantibus quoque diversis normarum applicationibus in diversis circumstantiis et vitae adiunctis, S. Synodus reprobat quamlibet doctrinam qua sive toti ordini morali abiudicetur valor absolutus, sive cuivis parti essentiali.

3. [*Deus custos, iudex, vindex ordinis moralis*]. Quodsi universus mundus per legem aeternam, in Deo exsistentem regitur,[4] multo magis illa lege aeterna regatur necesse est creaturarum rationabilium operositas in iis quae spectant actionis honestatem. Ideo Deus ordinis moralis non tantum est auctor et finis, sed est et esse debet etiam eiusdem custos, iudex et vindex,[5] secundum ea quae Patres Concilii Vaticani Primi docuerunt de providentia, qua Deus universa quae condidit tuetur quoque ac gubernat.[6]

4. [*Ordinis moralis duplex manifestatio*]. Docet quoque et profitetur S. Synodus ordinem moralem duplici modo creaturis fieri manifestum: altero per legem naturalem, quatenus videlicet voluntas Dei sanctificatrix innotescit per lumen naturale rationis, reflectentis in humanam naturam eiusque tendentias et essentiales relationes imprimis ad suum Creatorem; altero per legem Dei positivam, sub utroque Testamento divinitus datam. Quod enim Apostolus de gentibus attestatur, eas nempe, licet legem Moysis non habeant, tamen, nisi sint obscurati corde, ea quae legis sunt naturaliter facere (cf. *Rom.* 1, 21-22 et 2, 14), sana quoque ratione et experientia comprobatur vulgari: in obviis et quotidianis, quid honestum sit et licitum, quid inhonestum et prohibitum, homines sani iudicii, etiam inculti, veluti spontanee et quasi innato instinctu morali, diiudicant et agunt. Revelatione autem Deus effecit, ut lex naturalis ab omnibus filiis Adae, peccato protoparentis in rebus moralibus cognoscendis et exsequendis misere debilitatis, expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci posset.[7] Loquens tandem per Filium suum, qui praecepta Decalogi, gentibus quoque naturaliter licet imperfectius innotescentia, non venit solvere sed adimplere, legem naturalem restauravit, dilucidavit, perfecit, sanctificavit et ad altiorem ordinem evexit. Nulla ideo oppositio est inter legem naturalem et legem evangelicam: sed lex naturalis in lege evangelica continetur et perficitur.[8] Hac quoque de causa magisterio Ecclesiae, cui Christus depositum fidei concredidit et quam per Paraclitum docet omnem veritatem (cf. *Io.* 16, 13), ius et obligatio competit legem etiam naturalem auctoritative explicandi et definitive interpretandi,[9] aut, ubi hoc postulatur bono communi Ecclesiae, decretis disciplinaribus lites de obscurioribus exortas, in determinatum sensum non sine auxilio Spiritus Sancti, dirimendi.

5. [*Contentum ordinis moralis*]. Continet autem ordo moralis, prout per gratiam Christi apparet in lege evangelica, omnia quibus homo simplici-

ter vel facilius vitam aeternam obtineat: praescripta, vetita, permissa, consilia: quae quidem Christus Dominus recapitulavit ad duo magna mandata: dilectionis Dei et proximi.[10] Insigne eius gloriosum notaque distinctiva est via perfectionis illa christiana, qua fideles a Deo vocati in consiliorum evangelicorum observatione Christum pauperem, castum, ad mortem usque oboedientem, quam proxime sequi eique quam maxime adsimilari conantur. Testatur igitur S. Synodus observationem consiliorum, a divino Fundatore commendatorum, pretiosum esse Sponsae Christi decus atque ornamentum.[11]

6. [*Damnantur errores*]. Gaudet S. Synodus ob magnum numerum filiorum Ecclesiae in observatione ordinis moralis legisque evangelicae, toto corde adhaerentium Deo Filioque eius Unigenito: dolet multos saepe magis ex fragilitate quam ex pravitate, haud raro tamen non absque gravi culpa, legem Dei transgredi. Summopere autem horrescit cogitando ubique terrarum spargi errores, quibus dilatatur via perditionis, clauditur porta salutis. Sunt qui negantes Deum personalem, legem naturalem privant suo fundamento;[12] sunt qui repudiantes missionem Christi, reiiciunt legem evangelicam; [13] sunt qui ordinem moralem unice explicant e principiis humanis, ideoque eum spoliant genuina et ultima obligatione et sanctione; [14] sunt qui denegant in re morali intellectum certitudine re vera gaudere posse; [15] sunt qui asserunt legem moralem etiam in rebus fundamentalibus exsistere vicissitudinibus evolutionique obnoxiam; [16] sunt qui docent personam humanam esse talis altitudinis, ut nulli legi ab extra impositae sit subiecta; [17] sunt qui statuunt legem moralem imponi non posse nisi ex conventione vel a collectivitate vel a « totalitate »,[18] sive ut maior pars civium, sive ut Status, sive ut populus, sive ut stirps, sive ut natio, sive ut factio, sive ut classis consideretur socialis. Sunt et qui censeant legem moralem mere exsistere ex nuda, crassa, et bruta potestate et hanc suam ideologiam opere exsequuntur.[19] Qui omnes sibi inter se contradicunt nisi in eo quod claudunt portam regni caelorum nec alios sinunt introire (cf. *Mt.* 23, 13). Dum autem error serpens est versicolor et capite multiplici, veritas, quae liberabit nos (cf. *Io.* 8, 32), est una ut unus est Christus. Sed sicut olim de semetipso testatus est Ecclesiae Fundator, sic etiam hodie Ecclesiae coram mundo exclamandum est: « Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis » (*Io.* 5, 43).

NOTAE

[1] *I Thess.* 4, 3 non agit de sola castitate, sed de sanctitate in genere, ut patet ex versiculo sexto, ubi de dolo et fraude. Notat S. THOMAS in Commentario ad vers. 3: « Omnia praecepta Dei sunt ad hoc quod sitis sancti. Sanctitas enim dicit munditiem et firmitatem. Et omnia praecepta Dei inducunt ad ista, ut quis mundus sit a malo, et firmus in bono ».

Vide omnino Commentarium B. RIGAUX, O. F. M., in *I Thess.*

Cf. etiam *Lev.* 11, 44: « Ego enim sum Dominus Deus vester: sancti estote, quia ego sanctus sum »;

Lev. 20, 7-8: « Sanctificamini et estote sancti, quia ego sum Dominus... qui sanctifico vos »;

Eph. 1, 4: « ... in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate »;

I Petr. 1, 14-15: « ... quasi filii oboedientiae, non configurati prioribus ignorantiae vestrae desideriis: sed secundum eum, qui vocavit vos, Sanctum: et ipsi in omni conversatione sancti sitis: quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum »;

I Io. 3, 3: « Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est »;

Io. 17, 17-19: « Sanctifica eos in veritate ... Et pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate ».

[2] Cf. supra notam 1.

[3] Cf. *Rom.* 6, 20 ss.: « Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae ... Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita aeterna, in Christo Iesu Domino nostro »;

Col. 1, 13: « Qui eripuit nos de potestate tenebrarum »;

Io. 8, 31-36: « Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis: et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. Responderunt ei: Semen Abraham sumus, et nemini servivimus umquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis? Respondit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati, servus autem non manet in domo in aeternum: filius autem manet in aeternum. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis »;

I Io. 3, 7-8: « Qui facit iustitiam, iustus est: sicut et ille iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat »;

Rom. 6, 18: « Liberati autem a peccato, servi facti estis iustitiae »;

Conc. Trid., Sess. VI, c. 11: DENZ. 804;

Conc. Moguntinum (a. 1549): MANSI 32, 1407 (Doc. Eccl. Christ. Perf., n. 347);

S. THOMAS, I-II, q. 108, a. 1, ad 2: « Quia igitur gratia Spiritus Sancti est sicut interior habitus nobis infusus inclinans nos ad recte operandum, facit nos libere operari ea quae conveniunt gratiae, et vitare ea quae gratiae repugnant ».

[4] Cf. S. THOMAS, I-II, q. 91, a. 1.

[5] *Ps.* 7, 12: « Deus iudex iustus, fortis, et patiens »; cf. *Ps.* 118;

Act. 10, 42: « Et praecepit nobis praedicare populo, et testificari quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex virorum, et mortuorum »;

II Tim. 4, 8: « In reliquo reposita est mihi corona iustitiae quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum eius »;

I Thess. 4, 6: « ... Quoniam vindex est Dominus de his omnibus ... »;

Rom. 12, 19: « ... Scriptum est enim: mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus »;

Mt. 25, 31-46, ubi de iudicio ultimo;

Apoc. (passim);

videas quae in S. Scriptura de peccato, de peccatore, de iudicio, de Deo iudice, de remuneratione, etc. dicuntur.

PIUS IX, *Allocutio* 9 iunii 1862: *Maxima quidem*: Acta I, vol. I p. 454: « Quare hi turbulentissimi perversorum dogmatum cultores blaterant, morum leges

divina haud egere sanctione, et minime opus esse, ut humanae leges ad naturae ius conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant, ac propterea asserunt, nullam divinam existere legem ».

[6] *Conc. Vat. I,* Sess. III, c. 1: DENZ. 1784: « Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, *attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter* (cf. *Sap.* 8, 1). "*Omnia* enim *nuda et aperta sunt oculis eius*" (*Hebr.* 4, 13), ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt »;

PIUS XII, *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.* 31 (1939), p. 423: « Haec naturalis lex veluti fundamento innititur Deo ... eodemque et supremo perfectissimoque legum latore et sapientissimo iustissimoque humanarum actionum vindice » (DENZ. 2279).

[7] *Conc. Vat. I,* Sess. III, c. 2: DENZ. 1786: « Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint »;

PIUS XII, *Humani generis,* 12 aug. 1950: DENZ. 2305: « Quapropter divina "revelatio" moraliter necessaria dicenda est, ut ea, quae *in rebus religionis et morum* rationi per se impervia non sunt, in ... ».

[8] *Mt.* 5, 17: « Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere »;

PIUS XI, *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: *A.A.S.* 22 (1930), p. 58 (DENZ. 2206): « ... supernaturalis ordo, in quo iura Ecclesiae nituntur, tantum abest, ut naturalem ordinem, ad quem alia pertinent, quae memoravimus, iura, destruat atque extenuet, ut, contra, eumdem extollat ac perficiat, quorum quidem ordinum alter auxilium et quasi complementum alteri praestat, suae cuiusque naturae ac dignitati consentaneum, cum ambo a Deo profluant, qui non constare sibi non potest ... », coll. IOANNIS XXIII, *Synodus Romana,* art. 300, n. 1.

[9] PIUS XII, *Humani generis*: DENZ. 2325: « Has quidem a veritate aberrationes deplorare supervacaneum esset, si omnes, etiam de rebus philosophicis, qua par est reverentia ad Magisterium Ecclesiae animum intenderent, cuius profecto est, ex divina institutione, non solum veritatis divinitus revelatae depositum custodire et interpretari, sed ipsis etiam philosophicis disciplinis invigilare, ne quid detrimenti ex placitis non rectis catholica patiantur dogmata »;

Conc. Vat. I, Sess. IV, c. 4; DENZ. 1839;

Conc. Vat. I, Primum Schema Const. De Eccl. Christi: MANSI 51, 580.

[10] *Mt.* 22, 37; *Mc.* 12, 30; *Lc.* 10, 27 collato *Deut.* 6, 5.

[11] PIUS XII, *Sacra Virginitas,* 25 martii 1954: *A.A.S.* 46 (1954), pp. 161-191.

[12] Iam PIUS IX, *Allocutio* 9 iunii 1862 *Maxima quidem*: Acta I, vol. I, pp. 451 s. et 454, deinde: « Atque eo opinandi temeritate progrediuntur, ut omnem veritatem, omnemque legem, potestatem et ius divinae originis audacissime denegare non metuant ... At vero eo impietatis et impudentiae deveniunt, ut coelum petere, ac Deum ipsum de medio tollere conentur. Insigni enim improbitate ac pari stultitia haud timent asserere, nullum supremum sapientissimum providentissimumque Numen divinum exsistere ab hac rerum universitate distinctum ... »; cf. supra notam 5;

idem, *Quanta cura,* 8 dec. 1864: DENZ. 1691;

Syllabus, prop. 3, 56, 58: DENZ. 1703, 1756, 1758.

[13] Iam antea PIUS IX, *Maxima quidem*: *ibid.,* p. 453: « Summa praeterea

impudentia asserere non dubitant, divinam revelationem non solum nihil prodesse, verum etiam nocere hominis perfectioni ... »;

Syllabus, prop. 6, 57: DENZ. 1706, 1757.

[14] Cf. supra notas 12 et 13;

PIUS IX, *Maxima quidem*: *ibid.*, p. 454: « ... affirmant, humanam rationem, nullo prorsus Dei respectu habito, unicum esse veri et falsi, boni et mali arbitrium, eamdemque rationem sibi ipsi esse legem »;

Syllabus, prop. 56: DENZ. 1756.

[15] PIUS XII, *Humani generis*: DENZ. 2320-2321.

[16] *Ibid.*: DENZ. 2306.

[17] PIUS IX, *Quanta cura*: DENZ. 1690;

PIUS XII, *Allocutio* 10 apr. 1958: *A.A.S.* 50 (1958), pp. 268 ss.

[18] PIUS IX, *Quanta cura*: DENZ. 1691.

Syllabus, prop. 39: DENZ. 1739.

PIUS XI, *Divini Redemptoris*, 19 martii 1937: *A.A.S.* 29 (1937), pp. 65-106; *Mit brennender Sorge*, 14 martii 1937: *A.A.S.* 29 (1937), pp. 145-167;

PIUS XII, *Allocutio* 13 sept. 1952: *A.A.S.* 44 (1952), pp. 779-789; *Allocutio* 30 sept. 1954: *A.A.S.* 46 (1954), pp. 587-598, praesertim pp. 590 ss.

[19] PIUS IX, *Maxima quidem*: « ... nihil dubitant in veri legitimique iuris locum substituere falsa ac mentita virium iura, ac morum ordinem rerum materialium ordini subiicere ... »;

Syllabus, prop. 59-61: DENZ. 1759-1761;

PIUS XI, *Firmissimam constantiam*, 28 martii 1937: DENZ. 2278.

CAPUT 2

DE CONSCIENTIA CHRISTIANA

7. [*Quid conscientia*]. Hic ordo moralis christianus, de quo fideles luce rationis et revelationis edocentur, eosdem diriget et ducit in eorum iudiciis practicis de honestate propriarum actionum per singulorum conscientiam, quippe quae si est recte efformata, eos momento decisionis videre facit, quid secundum Dei voluntatem iudicare et agere debeant.[1] Haec autem Dei voluntas cum nobis clarius appareat doctrina Christi magisterioque Ecclesiae, conscientia veluti praeco Dei, Christi, Ecclesiae constituitur.[2] Cum igitur tota vita christiana, ad mores quod spectat, in singulis christifidelibus conscientiae singulorum subest, et per eam regitur ac ducitur: propterea ad conscientiam quoque applicari potest quod Christus de oculo humano dixit: « Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit » (*Lc.* 11, 34).

8. [*Conscientia recte efformanda*]. Nec minus ad conscientiam applicari licet verba Christi mox sequentia: « Si (oculus) autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit: Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebrae sint » (*Lc.* 11, 34-35). Manifestant vero, quam gravem ob causam in recte efformanda conscientia, sedulo habenda sit diligentia. Curandum autem imprimis est ut conscientia sit recta et vera. Vera autem non erit

ex eo quod efformatur ad singulorum placitum personalemque persuasionem, quantumvis seriam et sinceram: sed idcirco quod concordet cum normis a Deo constitutis, uti reapse sunt, ideoque manifestet Dei voluntatem nobis in voluntate, doctrina, vita Christi clare expressam.[3] In efformanda igitur conscientia homo non est autonomus, ac ne tentamen quidem fiat adaptandi voluntatem Dei placitis hominis, ubi homo adaptandus est Deo.[4]

9. [*De conscientia erronea*]. Nec principium basilare: normam nempe efformandae conscientiae esse ordinem moralem obiectivum, non autem persuasionem mere subiectivam, derelinquitur in casu conscientiae male efformatae. Errare etenim etiam christifidelis potest in efformanda conscientia; at dictamen conscientiae erroneae non mutat, ne respectu ipsius errantis quidem, ordinem moralem obiectivum, sicut etiam non solvit vinculum quo errans huic ordini adstringitur, etiamsi forsitan inculpabiliter secundum falsum dictamen conscientiae errorem exsequatur. Minime igitur in casu erroris bona fide commissi, homo sibi in foro conscientiae fit fons atque norma moralitatis obiectivae. Immo quod homo conscientiam suam erroneam sequi possit ac debeat: hoc non ex subiectiva persuasione habetur, sed quia ipse ordo obiectivus hoc postulat, dicente Apostolo: « Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est » (*Rom.* 14, 23). Tanta igitur est ordinis obiectivi in conscientia vis et valor. Nihilominus qui bona fide circa honestatem obiectivam errat, tamdiu a culpa alienus manet, quamdiu haec bona fides sine culpa perdurat,[5] tamen non sine aliquo damno ipsius hominis aut communitatis.

10. [*Pseudoconscientia autonoma*]. Quod si vero, ne conscientia quidem bona fide erronea subiectionem illam tollit qua conscientia legibus in ordine obiectivo contentis subordinatur: multo minus illam tollere valet deliberatum tentamen semet scienter et volenter subtrahendi huic ordini obiectivo, inepte provocando ad propriae conscientiae ius, libertatem, dignitatem.[6] Non enim tale ius, talis libertas, talis dignitas exsistit, neque in humana natura, neque in homine ut persona est: etsi contrarium plures falsis principiis et ideologiis ducti, non sine animarum gravi damno contendunt.[7]

11. [*Conscientia signata Christi veritate ac caritate*]. Monet tandem S. Synodus, ut in conscientia sequenda non solum veritas, sed etiam caritas christiana prae oculis habeatur: scientia enim absque caritate, teste Apostolo (cf. *I Cor.* 8, 1) inflat, non vero aedificat. Quare factis omnibus, ut fratres de errore convincamus, non solum cum caritate iudicandum est de iis qui bona fide errant et legem Dei transgrediuntur; sed etiam eorum ratio habenda est, qui erronee ibi peccatum vident, ubi peccatum non est; ne forsan iis scandalo simus, exemplo nostro eos conducentes ad ea quae erronee peccatum existimant.[8] Vera enim caritas exigit, ut ubi fratres de errore convincere nequimus, semper, salvis utique iuribus veritatis et communitatis, omnia ea omittamus, quibus lucrifieri nequeant Christo, qui propter eos quoque mortuus est. Genuina conscientia christiana signetur oportet Christi veritate et caritate.

NOTAE

[1] Cf. *Gen.* 3, 7-10; 4, 12 ss.; *II Sam.* 24, 10; *Ps.* 25, 1-7; *Sap.* 12, 18; *Iob.* 27, 6; *Mc.* 9, 44. 46. 48; *Rom.* 2, 15: Gentes « qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum . . »; *Rom.* 13, 5: « Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam »; *Rom.* 14, 20-23; *I Cor.* 8, 7-12; *I Tim.* 1, 5: « Finis autem praecepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta »; *I Tim.* 3, 9; *Act.* 24, 16: « In hoc et ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, et ad homines semper »;

PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 martii 1952: *A.A.S.* 44 (1952), pp. 270-278; *Allocutio* 18 apr. 1952: *A.A.S.* 44 (1952), pp. 413-419. Versio latina Nuntii Radiophonici necnon Allocutionis invenitur in: *Periodica* ... 41 (1952), pp. 183-223.

[2] PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 martii 1952: *l. c.,* pp. 272-275; *Allocutio* 18 apr. 1952: *l. c.,* pp. 418 ss.

[3] PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 martii 1952: *l. c.,* pp. 272-276; *Allocutio* 18 apr. 1952, *l. c.,* p. 418 s.

[4] GREGORIUS XVI, *Mirari vos,* 15 aug. 1832: DENZ. 1613: « Atque ex hoc putidissimo indifferentismi fonte absurda illa fluit ac erronea sententia seu potius deliramentum, asserendam esse ac vindicandam cuilibet libertatem conscientiae »;

PIUS IX, *Maxima quidem,* 9 iunii 1862: Act. I, vol. I, p. 454: « ... homini quoddam veluti primarium ius tribuunt, ex quo possit libere de religione cogitare et loqui, eumque Deo honorem et cultum exhibere, quem pro suo libito meliorem existimat »;

Syllabus, prop. 15: DENZ. 1715;

LEO XIII, *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888: *A.A.S.* 20 (1887), pp. 608-609.

[5] *Rom.* 14, 22 s.: « Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo. Beatus, qui non iudicat semetipsum in eo, quod probat. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est »; *Io.* 9, 41: « Numquid et nos caeci sumus? Dixit eis Iesus: Si caeci essetis, non haberetis peccatum, nunc vero dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet »; *Io.* 15, 22: « Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo »;

ALEXANDER VIII: *Decr. S. Off.* 7 dec. 1690, Errores Iansenistarum, prop. 2: DENZ. 1292: « Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali »;

LEO XIII, *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: DENZ. 1875: « Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet, ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia quod sapienter Augustinus monet: "Credere non potest (homo) nisi volens" »;

PIUS IX, *Singulari quadam,* 9 dec. 1854: DENZ. 1647: « ... sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini »;

PIUS IX, *Quanto conficiamur moerore,* 10 aug. 1863: DENZ. 1677: « Notum Nobis vobisque est, eos, qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem eiusque praecepta in omnium cordibus

a Deo insculpta sedulo servantes ac Deo oboedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, divinae lucis et gratiae operante virtute, aeternam consequi vitam, cum Deus, qui omnium mentes, animos, cogitationes habitusque plane intuetur, scrutatur et noscit, pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur, quempiam aeternis puniri suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat ».

[6] Cf. supra notam 1: PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus* necnon *Allocutio* ibidem citata;

PIUS IX, cf. supra notam 4; GREGORIUS XVI, ibid.

[7] INNOCENTIUS XI: *Decr. S. Off.*, 4 martii 1679, Errores varii de re morali, prop. 4: DENZ. 1154: « Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili ».

[8] *I Cor.* 8, 12-13: « Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum: non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem ».

CAPUT 3

DE SUBIECTIVISMO ET RELATIVISMO ETHICO

12. [*Lex evangelica et conditiones individuales*]. Quia fundamentales Legis evangelicae obligationes partim ipsi naturae humanae immutabili innituntur, partim vero, quatenus nempe excedunt obligationes Legis naturalis, radicantur in indole propria ordinis supernaturalis, a divino Redemptore constituti: hac de causa illae obligationes valent, ubicumque et quibusvis in conditionibus homo versetur.[1] Quamvis igitur humana actio necessario sit singularis, temporisque ac locorum adiunctis subiecta, tamen ipsa indoles Legis evangelicae postulat, ut per hanc Legem singulis conscientiis imperetur, quid in singulis casibus in variis circumstantiis decernere debeant.[2] Numquam ergo, quandocumque divinus Legislator aliquid imperaverit aut interdixerit, res in deliberatione poni poterit, at semper valent verba a primaevis martyribus prolata: « In re tam iusta nulla est consultatio ».[3] Quod si vero in casu particulari, norma universalis applicanda rerum temporumque adiuncta transcendens, qua diiudicetur actionis honestas, non clare appareat, prudentiae virtus est maxime necessaria,[4] quippe quae non tantum universalia sed etiam particularia considerat, ut ex accurata et diligenti ponderatione finis atque mediorum statuatur, quid in casu liceat vel secus.

13. [*Necessaria cognitio individualium*]. Haec autem diligens rerum inquisitio postulat ut conscientia recte efformetur non de lege evangelica dumtaxat eiusque obligationibus, sed etiam de iis, quae singulo cuique homini sunt propria.[5] Sibi autem conscii maneant fideles hanc individualem diversitatem inter certos iustosque limites circumscribi, nec tollere universalia: secus enim Iesus Christus per Ecclesiam suam Dominus, Caput, Magister uniuscuiusque hominis, aetatis et conditionis non remaneret, nec virtutum omnium pro omnibus exemplar altissimum.

14. [*Adagia falsa*]. Caveant igitur Christifideles a falsis adagiis hodie nimium sparsis: quorum unum sonat dictamen conscientiae non esse nisi intimum et immediatum dialogum cum Deo, cui colloquio nulla externa lex, nulla auctoritas, nulla confessio religiosa intervenire possit.[6] Aliud autem, introducta falsa oppositione inter Deum Patrem Deumque legislatorem suggerit, potius audiendam esse Patris vocem quam Legislatoris praecepta, ideoque ultimam agendi rationem non esse ordinem obiectivum rectum,[7] sed intimum uniuscuiusque sentimentum, quo in concreta situatione sciat, quid sibi agendum sit, seu potius quid agi a Deo non postuletur. Quam perniciosa sint animorum saluti huiusmodi dicta, ex fructibus cognoscere Salvator nos docet: ex praetextu enim servandi sinceritatem erga semetipsum et coram Deo, deducitur licitum esse perficere graviter atque universaliter prohibita, ut sunt catholicam fidem cum alia commutare, divortium attentare, praegnationis cessationem procurare,[8] auctoritati legitime iubenti oboedientiam recusare, suicidium directe committere. Neminem latet quam graviter haec omnia contradicant Apostolo dicenti non esse facienda mala, ut bona eveniant (cf. *Rom.* 3, 8). Pater, qui revera filios amat, praecipit ut mala in omni casu vitent. Nec minus perniciosum est tertium effatum, Deum videlicet scrutatorem et iudicem conscientiarum unice ad intentionem attendere et ad habitudinem fundamentalem, qua quis universe loquendo a Dei offensione abhorreat. Nam Deus praeter huiusmodi intentionem ipsum opus bonum requirit. Secus enim homo per opera sua bona vel prava, nec melior nec peior fieret,[9] omniaque essent bona, dummodo « intentio amoris » vel « habitudo generaliter bona » retineretur. Contra: sic oritur vir ille duplex animo, inconstans in omnibus viis suis, de quo loquitur Iacobus Apostolus (cf. *Iac.* 1, 8). « Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic teste eodem Apostolo, beatus in facto suo erit » (*ibid.* 1, 25).

15. [*Falsum adagium de amore criterio moralitatis*]. Sunt tandem qui amorem ita faciunt unicum criterium moralitatis normamque eius unicam, ut alias virtutes parvipendant. Reapse divina caritas, qua iusti Deum super omnia diligunt et proximum propter Deum, fidei, spei ceterarumque virtutum « maior » est (*I Cor.* 13, 13): attamen nec has nec illas tollit, sed ita nutrit et fovet, ut perveniamus « in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.* 4, 13). Exhortatur igitur S. Concilium fideles, ut omnes eorum actiones « in caritate fiant » (*I Cor.* 16, 14). Ne tamen falso aestiment ex solius caritatis motivo hominem « modo christiano agere », ceterasque virtutes esse parvipendendas, ac si Deus non coronaret nisi actum explicitum caritatis. Nam, iustorum actus « ex alio motivo vel impulsu » virtuoso procedentes, modo condigno augmentum gratiae et gloriae merentur, non tamen sine ipsa caritate.[10] Nec minus cavendum est, ne simplices, adagio illo: « Ama et fac quod vis » male intellecto, falso credant nonnisi unum praeceptum, videlicet: *Diliges*, in christiana vita esse retinendum. Talis enim vita ad incertum quemdam amoris affectum reduceretur, neglecta omnino praecepto-

rum observantia, contradicente ipso Domino: « Si autem vis vitam ingredi, serva mandata » (*Mt.* 19, 17), et alibi: « Qui habet mandata mea et servat ea: ille est qui diligit me » (*Io.* 14, 21).

NOTAE

[1] *Conc. Trid.,* Sess. VI, c. 11: DENZ. 804: « Nemo autem, quantumvis iustificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet »; *ibid.* can. 20: DENZ. 830: « Si quis hominem iustificatum et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, sed tantum ad credendum ...: A.S. »;

PIUS XII, *Allocutio* 18 apr. 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 417: « On demandera comment la loi morale, qui est universelle, peut suffire, et même être contraignante dans un cas singulier, lequel en sa situation concrète est toujours unique et d'"une fois". Elle le peut et elle le fait, parce que justement à cause de son universalité la loi morale comprend nécessairement et "intentionnellement" tous les cas particuliers, dans lesquels ses concepts se vérifient ... »;

Instr. S. Off. 2 febr. 1956: *A.A.S.* 48 (1956), pp. 144-145.

[2] PIUS XII, *Allocutio* cit., *ibid.,* pp. 414 s.

[3] *Acta Proconsularia S. Cypriani,* n. 3: KIRCH, *Enchir.* n. 303;

Passio Martyrum Scillitanorum, Ibid. n. 72: « In re tam iusta nulla est deliberatio »;

S. IGNATIUS LOYOL., *Exerc. Spirit.*: De tribus humilitatis modis.

[4] PIUS XII, *Allocutio* cit., *ibid.,* p. 418: « Là où il n'y a pas de normes absolument obligatoires, indépendantes de toute circonstance ou éventualité, la situation d'"une fois" en son unicité requiert, il est vrai, un examen attentif pour décider quelles sont les normes à appliquer et en quelle manière. La morale catholique a toujours et abondamment traité ce problème de la formation de la propre conscience avec examen préalable des circonstances du cas à décider. Tout ce qu'elle enseigne offre une aide précieuse aux déterminations de conscience, tant théoriques que pratiques. Qu'il suffise de citer les exposés, non dépassés, de S. Thomas sur la vertu cardinale de prudence et les vertus qui s'y rattachent » (S. THOMAS, II-II, q. 47-57).

[5] PIUS XII, *Allocutio* cit., *ibid.,* p. 418: « L'éducation chrétienne de la conscience est bien loin de négliger la personnalité, même celle de la jeune fille et de l'enfant, et de juguler son initiative ... ».

[6] PIUS XII, *Allocutio* cit., *ibid.,* pp. 415 ss.

[7] S. Off. *Instr.* 2 febr. 1956: *A.A.S.* 48 (1956), p. 144.

[8] PIUS XII, *Allocutio* cit., *ibid.,* pp. 416-417.

[9] *Conc. Senonense,* prop. 13: « Quod propter opera nec melior nec peior efficiatur homo » (DENZ. 380).

[10] CLEMENS XI, *Unigenitus,* 8 sept. 1713, prop. 53-56: DENZ. 1403-1406:

« 53. Sola caritas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum et Iesum Christum.

54. Sola caritas est, quae Deo loquitur; eam solam Deus audit.

55. Deus non coronat nisi caritatem: qui currit ex alio impulsu et ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat nisi caritatem: quoniam caritas sola Deum honorat ».

Caput 4

DE NATURALI ET SUPERNATURALI DIGNITATE PERSONAE HUMANAE

16. [*Homo factus ad imaginem Dei*]. Fulget humanae personae dignitas, cum ad imaginem et in similitudinem Dei factus, homo rationis lumen, liberae electionis potestatem, amoris flammam, rerumque corporalium dominium a Deo acceperit.[1] Immo consors divinae naturae (cf. *II Petr.* 1, 4), vocatur ad eam participationem filiationis divinae Christi, qua et nos filii Dei nominamur et sumus (cf. *I Io.* 3, 1). Absit autem ut humanae personae dignitas [2] fide dogmatum, morum disciplina, legibus ecclesiasticis obnubiletur; immo iisdem magis splendet, cum servire Deo regnare sit.[3]

17. [*Arbitrii libertas vindicatur*]. Arbitrii libertatem Ecclesia catholica iam ab initio contra paganos atque Gnosticos firmiter vindicabat,[4] illamque peccati originis labe minime exstinctam sollemni iudicio Tridentinae Synodi declaravit.[5] Et licet a multis quoque coaevis nostris extra Ecclesiae saepta magni habeatur,[6] tamen ad eam defendendam haud minor hodie urget necessitas. Propagantur enim sententiae prorsus repudiandae, quibus docetur ob immania hodiernae vitae adiuncta, impetuum violentiam, ingentem influxum modernae propagationis ideologicae in mentem et affectus hominis, ac praesertim ob in dies grassantes morbos psychopathicos, plerosque in hodiernis conditionibus esse plane incapaces ponendi actum vere liberum, ideoque rarissimos esse homines reapse adultos in ordine morali. Neminem latet per huiusmodi effata non solum evanescere humanam libertatem, sed una cum ea meritum ac demeritum, moralem et iuridicam responsabilitatem, ideoque christianae vitae possibilitatem necessario pessumdari. Facta et causas ex quibus erronee procedunt praedictae sententiae, dolet pia Mater Ecclesia, et pro posse remedia afferre contendit; nec ignorat sententias illas ex zelo quodam indiscreto exoriri: sublata videlicet responsabilitate, tolli quoque offensionem formalem Dei et vitae aeternae periculum. At iam Apostolus (cf. *Rom.* 10, 2) reprehendit zelum, qui non sit secundum scientiam, et aliud est libertatem minui, aliud est eam tolli: quo facto homo privatur sua dignitate, Dei autem gloria obscuratur.

18. [*Defensio dignitatis humanae contra artificia falsa*]. Ut hanc libertatem humanam tueatur, providet quoque Sancta Ecclesia, ut quaecumque eidem repugnant, a praxi morum arceantur. Etiam iis, qui publica vel iudiciaria potestate potiuntur, numquam licet adhibere media physica, chimica, psychica, quae iuri naturali personae humanae ad corporis mentisque integritatem retinendam opponuntur.[7] Insuper « nemini licet semetipsum inconditionate et indiscriminatim iis subiicere, qui curationibus psychoanalyticis utantur, neve iis medicis se tradere, qui aegrotis prospiciant rebus uti, quae praeceptis catholicis obstent ».[8]

19. [*Scientia, artes liberales, technica*]. Sibi conscia est Sacra Synodus, Ecclesiam de scientia et artibus liberalibus semper alte et gratulanter cogitare, non solum quia tantopere inserviunt gloriae Dei et saluti animorum, sed etiam quia in sese sunt adumbratio quaedam divinae scientiae et pulchritudinis. Nec minus artes technicas et disciplinas exactas, quae dicuntur, magni aestimat: cum enim Deus ab initio constituerit hominem ut dominaretur creaturae (*Sap.* 9, 2 coll. *Gen.* 1, 28-30), per se laudanda sunt tentamina, quibus humanum genus naturae secreta perscrutatur, et ingentibus naturae viribus in bonum humanitatis frui magis magisque contendit.[9] Hac investigatione non solum multa commoda dimanant ad vitam humanam, sed etiam technicae disciplinae, si recte pertractentur, ad Deum iuvante gratia perducere possunt; [10] immo ad ipsam doctrinae christianae diffusionem et gloriam Dei augendam inserviant oportet. Quare omnibus viribus conandum est, ne ea quae Deus ad suam gloriam hominumque felicitatem destinavit, deturpentur superbia humana, qua proprio ingenio tribuitur, quae sunt tribuenda Deo, et inserviant errori depravatisque humanae naturae passionibus: quae quidem passiones, si rectae rationi subsunt, conferunt ad hominis in vero et bono progressum.

20. [*Progressus technicus et Regnum Dei*]. Impium quoque et fidei contrarium est permagnum disciplinarum exactarum et artium technicarum augmentum cum ipso Regno Dei in terris identificare, quia humanae culturae augendae sunt instrumenta. Augmentum illud non constituit regnum Dei sed Regno Dei suo modo inserviat oportet. Quamvis enim omnia sunt Christi et Dei, omniaque in Christo instauranda (cf. *Eph.* 1, 10), non tamen eodem modo. Nam res sacrae, ut gratia qua « divinae consortes naturae » existimus (*II Petr.* 1, 4), Sacramenta et alia huiusmodi, plene et immediate respiciunt vitam aeternam, ad quam vocati sumus; res vero profanae non immediate ad regnum Dei, ad vitam gratiae et gloriae, ordinantur, sed ab homine iusto ad illa referri possunt ac debent, immo Regno Dei suo modo subservire debent.

21. [*Progressus technicus et progressus religioso-moralis*]. Omnino a mente Ecclesiae alienum est dicere Christianos ob spem et amorem aeternalium, valores temporales vere aestimare non posse, et falso quodam indifferentismo laborare ad mala physica, dolores, famem bellumque quod spectat.[11] Ex altera parte verum non est technicarum artium, disciplinarum exactarum et humanae culturae progressum, per se inferre similem progressum in campo morali et religioso. Triplici enim malae concupiscentiae, de qua S. Ioannes Apostolus (cf. *I Io.* 2, 16), adscribendum est, ut ea quae inservire debent regno Dei subsidientur eius adversariis. Quo fit ut multi potius ab homine quam a Deo et Christo salutem exspectent; immo inter Christifideles exsistant, qui potius terrena sapiant et terrena sperent quam Salvatorem Dominum nostrum Iesum Christum (cf. *Phil.* 3, 19-20). Quibus indesinenter clamandum est: « ... si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ... quae sursum sunt sapite, non quae super terram » (*Col.* 3, 1-2).

NOTAE

[1] *Gen.* 1, 26-30; *I Cor.* 11, 7; *Iac.* 3, 9;

PIUS XI, *Quadragesimo Anno,* 15 maii 1931: DENZ. 2270;

S. AUGUSTINUS, *De spiritu et littera,* c. 28, n. 48: *PL* 44, 229.

[2] *II Cor.* 5, 17; *Gal.* 6, 15, *Gal.* 5, 22; *Rom.* 8, 16-17; *I Cor.* 6, 19-20; *I Io.* 3, 1-3; *I Io.* 4, 7-9; *Io.* 1, 12-13; *Phil.* 4, 7; *Col.* 3, 15.

[3] PIUS XI, *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: DENZ. 2206; ID., *ibid.*: DENZ. 2224; *Casti connubii,* 31 dec. 1930: DENZ. 2237; Oratio: « Deus, qui humanae substantiae ... ». « Servire Deo regnare est » cf. Missa pro pace: Postcommunio.

[4] IUSTINUS, *Apologia* I, 43: *PG* 6, 392 [Rouët de Journel, n. 123]; ID., *Dialogus cum Tryphone Iudaeo,* 102; *PG* 6, 713 [RJ 142];

TATIANUS, *Adv. Graecos oratio, PG* 6, 820 [RJ 156];

THEOPHILUS ALEX., *Ad Autolycum* 2, 27: *PG* 6, 1093 [RJ 184]: « Liberum enim Deus et sui iuris hominem fecit »;

IRENAEUS, *Adv. Haer.* 4, 37: *PG* 7, 1099 [RJ 244]: « ... quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut et suam animam, ad utendum sententia Dei voluntarie, et non coactum a Deo »; aliique ...

PIUS V, *Ex omnibus afflictionibus,* 1 oct. 1567, Errores M. du Bay, prop. 41: DENZ. 1041: « Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato »;

PIUS IX, Ex Decr. S. C. Indicis, 11 iunii 1855, prop. 2: DENZ. 1650: « Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest ... »;

LEO XIII, *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888: *A.A.S.* 20 (1887-1888), pp. 593-613, praesertim pp. 594 ss.

[5] *Conc. Trid.,* Sess. VI, c. 1: DENZ. 793; *ibid.,* can. 4, 5, 7: DENZ. 814, 815, 817;

cf. etiam PIUS V, *Ex omnibus afflictionibus,* 1 oct. 1567, Errores M. du Bay, prop. 27, 28, 39, 65, 66: DENZ. 1027, 1028, 1039, 1065, 1066;

INNOCENTIUS X, *Cum occasione,* 31 maii 1653, prop. 3: DENZ. 1094;

CLEMENS XI, *Unigenitus,* 8 sept. 1713, prop. 38-39: DENZ. 1388-1389.

[6] Ut praesertim fautores « exsistentialismi ».

[7] PIUS XII, *Allocutio* 3 oct. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 735: « L'instruction judiciaire doit exclure la torture physique et psychique et la narco-analyse ... parce qu'elles lèsent un droit naturel, même si l'accusé est réellement coupable ».

[8] *I Synod. Roman.,* can. 239; PIUS XII, *Allocutio* 13 sept. 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 783: « ... pour se délivrer de refoulements, d'inhibitions, de complexes psychiques, l'homme n'est pas libre de réveiller en lui à des fins thérapeutiques, tous et chacun de ces appétits de la sphère sexuelle ».

[9] *Conc. Vat. I,* Sess. III, c. 4: DENZ. 1799;

PIUS XI, *Quadragesimo anno,* 15 maii 1931: DENZ. 2270; *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: DENZ. 2205, 2224;

LEO XIII, *Libertas praestantissimum, l. c.,* p. 608;

PIUS X, *Decr. Lamentabili,* 3 iulii 1907, prop. 57: DENZ. 2057.

[10] *Conc. Vat. I,* Sess. III, c. 4: DENZ. 1799.

[11] Cf. supra notas 9-10.

Caput 5

DE PECCATO

22. [*Quo sensu regnum peccati sit destructum*]. Quamquam Dominus noster Iesus Christus per piissimam suam mortem regnum utrumque tam peccati quam mortis destruxit: nihilominus, quamdiu in terris peregrinamur, a Fonte vitae recedere possumus per peccatum quod est transgressio legis, *iniquitas* (cf. *I Io.* 3, 4) et iniuria Deo illata.[1] Dum autem peccato mortali amicitia inter Deum et homines destruitur et homo iterum fit filius irae (cf. *Eph.* 2, 3),[2] per peccatum veniale, in quod, teste Synodo Tridentina frequentius labimur, caritatis fervor retardatur, immo nonnumquam, maxime si iteratur, anima ad mortale peccatum disponitur.[3]

23. [*Peccatum mortale cum et ex contemptu*]. Ne autem quisquam se decipiat cum detrimento animae suae immortalis, Sacra Synodus docet peccatum mortale haberi posse, etiam si homo Deum explicite contemnere renuit nec Deum odio habet: amplectitur enim cum plena advertentia plenoque consensu quod amicitiae divinae omnino repugnat, ac deserit media, ad verum finem consequendum per se et absolute necessaria. Non igitur ad idem redit peccare cum contemptu et ex contemptu Dei. Ultimum talis malitiae est, ut hominem similem reddat diabolo: at negari nequit etiam ista peccata gravia, quae non *ex* tali contemptu procedant, natura sua fieri *cum* contemptu legislatoris, ideoque eius amicitiam dissolvere.[4]

24. [*Peccata ex debilitate*]. Offendit igitur graviter doctrinam Ecclesiae, qui dicat omne peccatum sub influxu sensibilium virium hominis patratum, semper esse peccatum tantum veniale.[5] Nec tolerari potest opinio dicentium peccatum grave, ut aiunt formale, haberi non posse nisi in eo, qui liber ab omni influxu affectuum, scienter renuit deponere malam consuetudinem, qua culpabiliter laborat.[6] Quae si essent vera, vix aliquando quidem contingeret peccatum mortale, formale et imputabile: attamen contradiceretur graviter praxi Ecclesiae et Spiritui quo illa regitur. Ecclesia enim tamquam reapse lapsos et gravi peccato detentos eos semper habuit, qui persecutionis tempore Christum ex timore tormentorum negaverunt. Quare S. Petrus culpam suam amare deflebat (cf. *Mt.* 26, 75; *Lc.* 22, 62).[7]

25. [*Falsae theoriae psychologicae*]. Licet peccatum grave generet mortem (cf. *Iac.* 1, 15) eoque nihil detestabilius, tamen conscientiae remorsus et peccati conscientia sunt magna Dei dona, peccatoribus concessa, ut a via mala recedant et ad fontem divinae misericordiae revertantur. Misericordiae igitur divinae iniuriosum est haec dona salutaria confundere cum scrupulosa anxietate aut cum statibus mere psychologicis, qui ex conflictu quodam, in subconscientiae latebris peracto, profluere dicuntur.[8] Nec sunt effectus insatisfactionis seu, ut aiunt, frustrationis, in via peccati et mali.[9]

26. [*De profectu christifidelis in via iustitiae*]. Ad vitam christianam ita fructuose agendam, ut Christi intentis correspondeat, non sufficit lethalia

peccata vitare, ac si doctrina evangelica indolis esset pure negativae, seu mere « ethica prohibitorum », ut aiunt. Oportet omnino ut « in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus » (*Eph.* 4, 15). Caritatis autem fervori et augmento peculiariter opponuntur peccata illa, quae leviora, quotidiana, venialia dicuntur. Haec etiam, quantum sinit humana fragilitas,[10] christianus vitare debet, ea praesertim quae sunt plene deliberata. Ad vitanda autem venialia, et ad alacriorem quotidie in virtutum semitis progressum, maxime commendatum vult Sacrosancta Synodus pium illum non sine Spiritus Sancti instinctu ab Ecclesia introductum crebrae confessionis usum, quo recta sui ipsius cognitio augetur, christiana crescit humilitas, morum eradicatur pravitas, spirituali negligentiae torporique obsistitur, conscientia purificatur, roboratur voluntas, salutaris animarum moderatio procuratur, atque ipsius sacramenti vi augetur gratia.[11]

27. [*Magnum poenitentiae officium*]. Scriptura testante, militia est vita hominis super terram (cf. *Iob.* 7, 1).[12] Summa autem militiae christianae est non indulgere corruptis saeculi moribus, immo iisdem constanter repugnare atque resistere. Quapropter videant fideles, quantopere sit a professione christiani nominis alienum, prosequi, uti generatim fit, cuiuslibet modi voluptates, horrere virtutis labores, nihilque recusare sibi, quod sensibus suaviter delicateque blandiatur. « Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis » (*Gal.* 5, 24). Itaque non consilium, sed officium est, non eorum dumtaxat, qui perfectius vitae optaverint genus, sed plane omnium, ex virtute Christi pro nobis flagellati, coronati, crucifixi mortificationem Iesu in corporibus suis circumferre, ut vita ipsius in iisdem manifestetur (*II Cor.* 4, 10-11).[13] Qui autem Deo piamina offert pro peccato, is eo ipso profitetur sanctas esse supremas morum leges, earumque obligandi vim agnoscit atque ius Dei animadvertendi in violatores. Poenitentiae virtus igitur salutare armorum est genus, quibus utuntur strenui Christi milites, parati ad universum morum ordinem defendendum, et ubi opus, restaurandum. Quod si christianus divinae legis studio atque fraterno amore reapse flagrat, tum non modo propriis suis per poenitentiam peccatis luendis operam dabit, sed etiam aliena peccata in se suscipiet poenitentiae operibus expianda.[14]

28. [*Errores damnantur*]. Graviter igitur aberrant, qui ex falso quietismo vel naturalismo vel aliunde, christianam poenitentiam parvipendunt;[15] iniuria autem Ecclesiam et ipsum Christum afficiunt qui eamdem describunt veluti secretum odium carnis ad modum Manichaeorum, vel perversum appetitum doloris, propter se delectabiliter quaesitum.

NOTAE

[1] *I Io.* 3, 4: « Omnis, qui facit peccatum, et iniquitatem facit: et peccatum est iniquitas »; *I Io.* 5, 17: « Omnis iniquitas peccatum est »; *I Io.* 1, 8: « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus »; *Iac.* 3, 2: « In multis enim offendimus omnes ».

[2] *Io.* 19, 11; *I Cor.* 6, 9-10; *Gal.* 5, 19-21; *Eph.* 5, 5; *Iac.* 1, 14-15;
Conc. Trid., Sess. VI, cap. 14-15: DENZ. 807-808; *ibid.,* can. 23, 27-29: DENZ. 833, 837-839; *ibid.,* Sess. XIV, cap. 1 et 5: DENZ. 894, 899;
S. Off. 24 aug. 1690, prop. 2: DENZ. 1290.
[3] *Io.* 19, 11: *Iac.* 3, 2;
Conc. Carthag. (XVI), can. 6-7: DENZ. 106-107;
LEO X, *Exsurge Domine,* 15 iunii 1520, prop. 8: DENZ. 748; *Conc. Trid.,* Sess. VI, cap. 11: DENZ. 804; *ibid.,* can. 23: DENZ. 833; *ibid.,* Sess. XIV, cap. 5: DENZ. 899; *ibid.,* can. 7: DENZ. 917;
PIUS VI, *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794, prop. 39: DENZ. 1539;
C.I.C., can. 902.
[4] Cf. infra notam 7.
[5] *I Cor.* 6, 9-10; *Gal.* 5, 19-21; *Eph.* 5, 5;
PIUS XII, *Allocutio* 22 febr. 1944: *A.A.S.* 36 (1944), pp. 73 s.
[6] PIUS XII, *Allocutio* 23 martii 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 275.
[7] S. THOMAS, *Comm. in Matth.* 26, 75: « Item notandum, quod inveniuntur quaedam scripta, quae videntur excusare Petrum, quod non peccavit mortaliter, quia dicit Bernardus: "Sopita fuit in eo caritas, non extincta". Dicendum quod mortaliter peccavit, non tamen fuit ex malitia, sed timore mortis. Et hoc voluit dicere Bernardus quod sopita fuit »; coll. II-II, q. 24, a. 12, ad 2: « Ad secundum dicendum quod caritas amittitur dupliciter. Uno modo directe, per actualem contemptum. Et hoc modo Petrus caritatem non amisit. Alio modo, indirecte: quando committitur aliquod contrarium caritati propter aliquam passionem concupiscentiae vel timoris. Et hoc modo Petrus, contra caritatem faciens, caritatem amisit: sed eam cito recuperavit ».
Vide etiam KNABENBAUER in hunc locum *Matthaei.*
[8] Inde saepius neuroses.
[9] Sic secundum falsas theorias psychoanalyticas.
[10] *Conc Trid.,* Sess. XIV, cap. 5: DENZ. 899.
[11] PIUS XII, *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943: *A.A.S.* 35 (1943), p. 235.
[12] Vide *Rom.* 13, 12; *II Cor.* 10, 4; *Eph.* 6, 10-20 coll. *Mt.* 10, 34-39.
[13] Cf. LEO XIII, *Exeunte iam anno,* ep. 25 dec. 1888: *A.A.S.* 21 (1888), p. 328.
[14] PIUS XI, *Caritate Christi compulsi,* 3 maii 1932: *A.A.S.* 24 (1932), p. 190.
[15] PIUS XII, *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943: *A.A.S.* 35 (1943), pp. 234-235, coll. p. 245.

CAPUT 6

DE CASTITATE ET DE PUDICITIA CHRISTIANA

29. [*Origo et natura sexus*]. Ipse Deus « fecit hominem ab initio masculum et feminam » (*Mt.* 19, 4)[1] et teste *Eccli.,* opera Domini universa sunt bona valde (cf. 39, 21).[2] Unde etiam ea quae hac ex parte in homine naturaliter inveniuntur, per se bona et honesta sunt,[3] attamen post Adae peccatum propriam quamdam exigunt verecundiam et custodiam (cf. *Gen.* 2, 25 et 3, 7).[4] Meritis autem Christi corpora renatorum facta sunt templa Spiritus Sancti: quare in corporibus quoque humanis Deus glorificari potest ac

debet (cf. *I Cor.* 6, 19-20). Liquido igitur sequitur, ut animo simplici, reverenti, pudico et casto res, quae ad sexum se referunt considerentur atque tractentur.[5] Firma tamen hac sexus humani originali dignitate, absint oportet falsae superlationes, ac si idcirco quod masculum et feminam Deus fecerit hominem, eum proprie constituisset ad imaginem sui,[6] vel quod praecipue sexualibus homo ut talis constitueretur.[7] Hic enim in terra, licet sexus humanus gaudeat etiam aliis qualitatibus, primarie tamen ad matrimonium ordinatur, ut docet S. Scriptura (cf. *Mt.* 19, 4),[8] donec impleatur tempus, quo homines « in resurrectione neque nubent neque nubentur » (*Mt.* 22, 30), ut dixit Dominus.

30. [*Homo non dominus absolutus corporis*]. Attendendum sane est, quod Deus solus est dominus absolutus vitae hominis eiusdemque integritatis, nominatim quod attinet ad ea, quae hominem naturaliter aptum reddunt Deoque consociant in vitae humanae propagatione.[9] Unde nefas est proprium sexum iam sufficienter determinatum mutare; nec licet hominis organa genitalia mutilare [10] vel infoecunda reddere, nisi quando sanitati totius hominis aliter provideri nequeat, vel in quibusdam casibus exceptionalibus Ecclesiae doctrinae conformibus.[11] Attamen nullo in casu ius datur vel dari potest efficiendi in corpore humano transplantationem organorum animalium, cellulas germinativas secundum genus suum producentium, vel ordine inverso; [12] vel etiam germina humana utriusque sexus in laboratorio inter se uniendi, etsi, sine violentia pudicitiae et castitatis, solus et verus progressus intenditur scientiae.[13]

31. [*De castitate in solutis*]. Profecto datum est homini ius et officium dominandi impetus affectusque sexuales, per continentiae et castitatis exercitium, quo revera caro et sensus rationi, fidei illustratae, subiiciuntur et homo conformis fit Christo et Eius Virgini Matri atque angelis quodammodo assimilatur.[14] Ex divina enim ordinatione, lege etiam naturae manifesta, homo iam non eo ipso quod habeat validam sexualem potentiam consequitur ius eandem exercendi. Solo enim in legitimo matrimonio et suis quidem limitibus moralibus, ius illud obtinetur.[15] Grave igitur officium habet homo solutus, sive solitarie sive cum alio, omittendi actiones, quae natura sua constituunt potentiae proprie et specifice sexualis perfectos vel imperfectos exercendi usus aut quae in huiusmodi usum libera et conscia voluntate ordinantur.[16] Severum attendatur ad monitum Spiritus Sancti per Apostolum dicentis: « Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles neque masculorum concubitores ... regnum Dei possidebunt » (*I Cor.* 6, 9-10).[17] Immo etiam pravi contra castitatem interni actus deliberati severe prohibentur a Domino (cf. *Mt.* 5, 28; 15, 18-19). Neque dicatur haec, praesertim hodie, vitari non posse. Nam etiam soluti capaces sunt, iuvante Dei gratia, servandi castitatem, ut de ipsis quoque iam declaravit S. Tridentina Synodus,[18] et continuo docuit Ecclesia.[19] Non minus hodie quam olim, etiam pro iuvenibus, valent monita Apostoli: « Corpus autem non fornicationi sed Domino, et Dominus corpori ... An nescitis quoniam

membra vestra templum sunt Spiritus Sancti...? » (*I Cor.* 6, 13. 19-20).[20] « Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem » (*I Thess.* 4, 7). Castitas licet neque unicus neque primus sit valor in vita morali hominum, tamen nullo modo denegari debet quanti etiam valoris coram Deo sit aestimanda casta vita illorum, qui, etiam extra matrimonium, puros et immaculatos se servant in hoc saeculo; etenim non absque ratione cum ipsa caritate etiam modestia, continentia et castitas inter Spiritus Sancti fructus adnumerantur (cf. *Gal.* 5, 22-23).

32. [*Defensio et cura castitatis*]. At castitas, tanti valoris apud Deum, ut revera servetur, efficaciter est amanda, in humilitate vigilanter custodienda, defendenda et promovenda per apta media naturalia et supernaturalia.[21] Natura quidem iam homines in hoc adiuvat per quemdam innatum pudorem, qui magis crescit et iuvat si spiritu christiano imbuitur. Pudicitia enim vere dici potest prudentia et munimen castitatis.[22] Unde non est sequenda praxis, qua actus impudici indifferentes censeantur.[23] A fortiori nec sequenda est illa quorumdam aberratio, qua iidem contra pudicitiam actus commendentur, ut, per directe quaesitam et obtentam quamdam in illis sensualem delectationem, melius quis posset servare castitatem et vitare peccatum consummatae et perfectae luxuriae.[24] Nec minus damnatur aliud extremum, quo nempe variae rationes, ordinis naturalis, immo ipsa religio et moralitas invocantur ad defendendum et propagandum proprium quemdam cultum nuditatis, nulla attentione facta ad hominum conditiones post peccatum Adae (cf. *Gen.* 2, 25; 3, 7).[25] Quod autem ad sic dictam « initiationem sexualem » attinet: etsi haec S. Synodus, ut in promptu est, rectam, pudicam et christianam educationem et institutionem de rebus ad sexum spectantibus pro singulorum conditione et exigentia commendat, reprobare tamen debet huiusmodi initiationem indiscriminatam, inconditionatam, inverecundam, promiscuam et naturalisticam.[26] Insuper cum summa aversione novit haec S. Synodus quot ac quantae sint hodie contra castitatem detestandae insidiae, quibus in hodiernae culturae quamplurimis manifestationibus, etsi datis sub specie ludi, recreationis, scientiae, artis vel laudandae pulchritudinis, de facto animi, sanguine Christi redempti, singulis momentis et quasi ubique etiam in sinu familiae ad malum incitantur, immo trahuntur.[27] Monet igitur omnes ut contra talia pericula muniant semetipsos, orationibus, ieiuniis, Poenitentiae et S. Eucharistiae sacramentis, pietate erga Virginem Mariam. Fugiant quoque occasiones.[28] Quomodo enim possunt sincero corde orare: « Et ne nos inducas in tentationem » (*Mt.* 6, 13), si tentationes ipsi libere quaerunt? Memor autem verborum Domini contra scandalizantes, Ecclesia ius et officium habet insurgendi contra scandalizantes et praesertim contra publicam moralitatis sexualis depravationem.[29] Et etiam auctoritas civilis moralitatem custodire et defendere debet mediis sibi congruis et efficacibus,[30] maxime iuvando conatus omnium, singulorum et inter se unitorum, in promovenda moralitate publica.

33. [*Quidam errores censurantur*]. Offendunt igitur graviter Ecclesiae

doctrinam affirmationes, quibus, etiam in homine normali, fere omnia, inclusis religiosis, moralibus immo supernaturalibus, veluti a priori e sexualibus sint explicanda, addita accusatione pastores animarum habendos esse inidoneos suique officii non capaces, cum haec et alia moderna postulata nesciant.[31] Error insuper est peccatum internum contra castitatem non recognoscere velle, vel ipsum peccatum externum novis et doctrinas Ecclesiae offendentibus mensurare criteriis.[32] Idcirco eodem tenore ut perfalsae habendae sunt sententiae iniuriose insinuantes actiones quas ethica traditionalis Ecclesiae tenet ut castitati offensivas, potius exigi ab ipsa natura vel a sana humanae personae evolutione.[33] Pessimum autem est tenere ipsos peccaminosos amores erga eiusdem sexus personas ut privilegium altioris culturae.[34] Insuper ut perniciosos haec S. Synodus stigmatizat errores, quibus, si credis, proprie et apprime in campo castitatis, numquam vel fere numquam essent actiones subiective graviter malae, maxime tempore iuventutis et in habitudinariis, occasionariis et recidivis, quippe quia sufficienti libertate praesumantur carere, immo etiam actiones huiusmodi asserantur inevitabiles.[35] Eousque procedit error ut ad ipsas actiones obiective graviter malas licitum dicatur aliquem inducere, ubi illa sunt tantum et ad summum peccata materialia; [36] vel etiam speciales obligationes circa castitatem tempore adolescentiae assumptae asserantur esse practice non exsistentes, cum in illa aetate a priori et universaliter praesumantur carere maturitate psychologica, atque necessaria circa personam alterius sexus experientia.[37] Tandem S. Synodus ut iniuriosos quoque repudiat errores, ac si Ecclesia per doctrinam suam de castitate et de pudicitia laederet sanam et robustam iuventutis educationem. Haec contra Deum directe diriguntur, cum ipse Deus dicat per Apostolum: « Fornicatio autem et omnes immunditia ... nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos » (*Eph.* 5, 3).

NOTAE

[1] Cf. etiam *Gen.* 1, 27: « Masculum et feminam creavit eos »; *Mc.* 10, 6: « Ab initio autem creaturae masculum, et feminam fecit eos Deus ».

[2] Cf. etiam *Gen.* 1, 31: « Viditque Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona ».

[3] Cf. *Conc. Bracarense II* (I) (a. 561), n. 11 et 12: DENZ. 241-242; DENZ. 242: « *Si quis plasmationem humani corporis diaboli dicit esse figmentum* et conceptiones in uteris matrum operibus dicit daemonum figurari, propter quod et resurrectionem carnis non credit, sicut Manichaeus et Priscillianus dixerunt, A.S. »;

et sequens n. 13: DENZ. 243: « Si quis dicit, *creationem universae carnis non opificium Dei,* sed malignorum esse angelorum, sicut Priscillianus dixit, A.S. ».

[4] Ex eo autem quod Deus sexualia in homine dederit non licet tamen deducere, ut quidam praetendunt, quod nullo velamine vel pudore cooperienda sint organa et functiones sexuales. Scribit S. THOMAS II-II, q. 151, a. 4:

« ... Nomen pudicitiae a pudore sumitur, in quo *verecundia* significatur. Et

ideo oportet quod pudicitia proprie sit illa de quibus homines *magis* verecundantur. *Maxime autem verecundantur* homines de actibus venereis, ut Augustinus dicit in XIV *De Civ. Dei* ... Verecundatur autem homo non solum de illa mixtione venerea, *sed etiam de quibuscumque signis eius*: ut Philosophus dicit, in II Rhet. Et ideo pudicitia *attenditur proprie circa venerea*: et praecipue *circa signa venereorum,* sicut sunt aspectus impudici, oscula et tactus ... ».

[5] Cf. PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri*, ubi plura habentur contra naturalismum, nulla habita ratione labis « a protoparentibus ad omnem posteritatem transmissae ». Atque praesertim quoad puellas Pontifex asserit: « ... sed etiam in gymnicis ludis atque exercitationibus, in quibus christianae peculiari modo modestiae puellarum cavendum, utpote quas ostentare sese atque ante omnium oculos proponere *summopere dedeceat* ... », cf. DENZ. 2215.

PIUS XII, *Ad Docentes ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum*: *A.A.S.* 33 (1951), p. 736: « Antiqui Graeci et Romani ut sermone indicarent quae ad castitatem pertinent, singulari utebantur nomine: "αἰοῖδα - verenda" ea appellabant, si quidem de rebus agitur, quae *reverenti modo rationeque tractari debent* ».

[6] Dicunt aliqui quod Deus fecerit hominem ad imaginem Suam, *in quantum* masculus et femina. Haec non est quaedam solitaria affirmatio, sed invenitur apud plures.

[7] Cf. PIUS XII, *Ad Patresfamilias e Gallia Romam peregrinantes,* 18 sept. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 733: « Cette propagande menace encore le peuple catholique d'un double fléau, pour ne pas employer une expression plus forte. En premier lieu, *elle exagère outre mesure* l'importance et la portée dans la vie, *de l'élément sexuel* ».

PIUS XII, *Iis qui interfuerunt Conventui internationali quinto de psychotherapia et psychologia,* Romae habito, 13 apr. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 279: « Ces dynamismes peuvent être *dans* l'âme, *dans* l'homme; ils ne sont cependant pas *l'âme,* ni *l'homme* ».

[8] Cf. PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), pp. 849, 852: « Infatti di Dio la S. Scrittura dice che creò l'uomo a sua immagine e lo *creò maschio e femmina,* ed ha voluto — come si trova ripetutamente affermato nei Libri sacri — che "l'uomo abbandoni il padre e la madre, e si unisca alla sua donna, e formino una carne sola". Tutto questo è dunque vero e voluto da Dio; ma non deve essere disgiunto dalla funzione primaria del *matrimonio,* cioè dal servizio per la vita nuova ... *Al presente,* infatti, si suole sostenere, con le parole e con gli scritti (anche da parte di alcuni cattolici), la *necessaria autonomia,* il proprio fine e il proprio valore della sessualità, ... *indipendentemente* dallo scopo della procreazione di una nuova vita ».

Ut habeatur aliqua notitia de mente modernorum, etiam catholicorum, quoad sexualitatem, cf. Ephem. *Esprit*: fascicul. « La sexualité », nov. 1960, pp. 1695-1962.

N.B. In Constitutione consulto omissum fuit quod matrimonium sit *unicus et solus* finis sexualitatis humanae.

[9] LEO XIII, *Pastoralis officii* ad Episc. Germaniae et Austriae, in: *Acta Leonis XIII,* t. XI, p. 284 (DENZ. 1939): « ... utraque divina lex, tum ea quae naturalis rationis lumine, tum quae Litteris divino afflatu perscriptis promulgata est, districte vetant, ne quis extra causam publicam hominem interimat aut *vulneret, nisi salutis suae defendendae causa, necessitate coactus* ».

PIUS XI, Encycl. *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 565: « Publici vero

magistratus in subditorum membra directam potestatem habent nullam ... Ceterum, quod *ipsi privati homines in sui corporis membra dominatum alium non habeant, quam qui ad eorum naturales fines pertineat, nec possint ea destruere aut mutilare aut alia via ad naturales functiones se ineptos reddere, nisi quando bono totius corporis aliter provideri nequeat, id christiana doctrina statuit atque ex ipso humanae rationis lumine omnino constat* ».

PIUS XII, *Sermo ad medicos,* 21 maii 1948: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. X, p. 98: « ... Il principio è inviolabile. *Iddio solo è Signore della vita* e *della integrità dell'uomo,* delle sue membra, dei suoi organi, delle sue potenze, *di quelle particolarmente che lo associano all'opera creatrice* ».

PIUS XII, Sermo « *All'unione medico-biologica di S. Luca* », 12 nov. 1944: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. VI, p. 186: « L'uomo invero non è il proprietario, *il signore assoluto del suo corpo,* ma soltanto l'usufruttuario ».

[10] Cf. documenta in superiori nota citata.

[11] Cf. Encycl. *Casti connubii, l. c.*; Decretum S. Officii 22 febr. 1940: *A.A.S.* 32 (1940), p. 73; PIUS XII, cit. Sermo 21 maii 1948, *l. c.*: « ... non è meno illecito ... di inaridire o *sterilizzare, mediante un'operazione che nessun altro motivo giustifica le sorgenti della vita* ».

PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), pp. 843 s.: « *La sterilizzazione diretta* — cioè quella che mira, come mezzo o come scopo, a rendere impossibile la procreazione — è una grave violazione della legge morale, ed è quindi illecita. Anche l'autorità pubblica non ha alcun diritto, sotto pretesto di qualsiasi "indicazione" di permetterla, e molto meno di prescriverla o di farla eseguire a danno di innocenti. Questo principio si trova già enunciato nella Enciclica summenzionata di Pio XI sul matrimonio. Perciò quando, or è un decennio, la sterilizzazione venne ad essere sempre più largamente applicata, la S. Sede si vide nella necessità di dichiarare espressamente e pubblicamente, che *la sterilizzazione diretta sia perpetua che temporanea, sia dell'uomo che della donna, è illecita, in virtù della legge naturale, dalla quale la Chiesa stessa, come sapete, non ha la potestà di dispensare* ».

IOANNES XXIII, *Prima Romana Synodus 1960,* II, II, art. 493.

[12] PIUS XII, *Allocutio dirigentibus ac Sociis Sodalitatis italicae oblatorum « corneae »* etc.: *A.A.S.* 48 (1956), p. 460: « *La transplantation de glandes sexuelles animales sur l'homme est à rejeter comme immorale* ... ».

[13] PIUS XII, *Iis qui interfuerunt Conventui universali de fecunditate et sterilitate humana,* Neapoli indicto, 19 maii 1956: *A.A.S.* 48 (1956), p. 471: « Au sujet des tentatives de fécondation artificielle humaine "*in vitro*", qu'il Nous suffise d'observer qu'il faut les rejeter comme immorales et absolument illicites ».

Hic tamen Constitutio habet prae oculis omnia illa moderna experimenta, quae fiunt per unionem vitalium germinum humanorum, etiam independenter ab intentione foecundationis artificialis sed ad alios fines obtinendos. Multi exspectant, ut Ecclesia clare dicat in omni hypothesi illa experimenta esse illicita, quamvis legislationes civiles hucusque, quantum scimus, nihil faciant; immo materialistae occasionem arripiant publice in ephemeridibus principia divina irridendi.

[14] S. IOANNES CHRISOSTOMUS, *In Mt.* hom. 70, 5: *PL* 58, 660.

S. BONAVENTURA, *De perfectione evangelica,* q. 3, a. 3.

S. THOMAS, *Catena aurea in Matth. evang.* cap. 22, v. 30-32 ed. Parm. 1860,

p. 254 *B*: « ... sic omnes virtutes sunt *res angelicae, praecipue tamen castitas,* per quam vincitur natura virtutibus ».

S. Cyprianus, *De habitu virginum,* 22: *PL* 4, 462: « Cum castae perseveratis et *virgines, Angelis Dei estis aequales* ».

S. Ambrosius, *De Virginibus,* lib. 1, c. 8, n. 52: *PL* 16, 202-203.

Pius XII, Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 martii 1954: *A.A.S.* 46 (1954), pp. 167, 173.

[15] Pius XII, in cit. *Allocutione* 19 maii 1956: *A.A.S.* 48 (1956), p. 472 s. habetur pertractatio specifica de intrinseca malitia peccati contra sextum.

[16] S. Zephyrinus (?) in Tertulliani *De pudicitia,* cap. 1: Denz. 43.

Conc. Lugdunense I (a. 1245): Denz. 453: « De fornicatione autem, quam *solutus* cum soluta committit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum, cum tam *fornicarios, quam adulteros a regno Dei* Apostolus asserat *alienos* (*I Cor.* 6, 9 s.) ».

Errores de rebus moralibus damnati in Decr. S. Off. 4 martii 1679, nn. 48-49: Denz. 1198: « Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, *ut contrarium omnino rationi dissonum videatur* ». Denz. 1199: « *Mollities iure naturae prohibita non est.* Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali ».

Errores Zanini de Solcia, damnati litteris *Cum sicut* 14 nov. 1459, n. 7: Denz. 717 g: « Extra matrimonium luxuriam non esse peccatum, nisi legum positivarum prohibitione, easque propterea minus bene disposuisse, et sola prohibitione ecclesiastica se fraenari, quominus Epicuri opinionem ut veram sectaretur ».

Conc. Viennense (a. 1311-1312): *Errores Beguardorum et Beguinarum,* n. 7: Denz. 477: « Quod mulieris osculum, cum ad hoc natura non inclinet, est mortale peccatum; *actus autem carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non est,* maxime cum tentatur exercens ».

Alexander VII, *Errores de rebus moralibus damnati* die 18 martii 1666, n. 40: Denz. 1140: « Est probabilis opinio, quae dicit, *esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem,* quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis ».

Decr. S. Officii 2 aug. 1929: Denz. 2201.

Pius XI, Encycl. *Casti connubii,* 21 dec. 1930: Denz. 2230.

Cf. etiam *errores Michaëlis de Molinos,* prop. 24, 41, 42, 47-53: Denz. 1244, 1261, 1262, 1267-1273.

Quoad gravitatem actuum turpium, cf. S. Thomas, *Lectura in Eph.,* c. 5, 4, lect. II: « Tria ergo vitia excludit, scilicet turpitudinem, quae est in *tactis turpibus* et *amplexibus* et *osculis libidinosis* ... Et haec omnia sunt *mortalia,* in quantum ad mortalia peccata ordinantur, quia aliquid etiam si bonum sit ex genere, in quantum ad mortale ordinatur, est mortale ».

[17] Cf. etiam *Gal.* 5, 19; *Eph.* 5, 5; *II Petr.* 2, 9 s.; *Apoc.* 22, 15.

Pius XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), pp. 182 s.: « Omnes sancti viri sanctaeque mulieres suorum sensuum cupidinumque motibus impense invigilarunt eosque interdum acerrime cohibuerunt, secundum verba ipsius Divini Magistri docentis: "Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proiice abs te: expedit enim ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam" (*Matth.* 5,

28-29). *Qua admonitione, ut luculenter patet, id a nobis imprimis Redemptor noster postulat ut nempe, ne mente quidem, peccato unquam concedamus,* itemque ut ea omnia a nobis firma voluntate arceamus, quae pulcherrimam eiusmodi virtutem vel levissimo modo commaculare queant. Hac in re nulla nimia diligentia, nulla severitas nimia haberi potest ».

[18] Cf. *Conc. Tridentinum,* Sess. XXIV, can. 9: DENZ. 979; qui textus citatur infra ab Encycl. *Sacra Virginitas,* in nota sequenti.

[19] PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 181: « Verumtamen etsi Deo dicata castitas *ardua virtus* est, eam nihilo secius ii fideliter perfecteque servare possunt, qui Iesu Christi invitationi, re diligenter considerata, generoso respondeant animo, et quidquid possunt ad hanc rem assequendam efficiant. Nam, cum eiusmodi virginitatis vel coelibatus statum capessierint, idcirco hoc donum gratiae a Deo accipient, quo adiuti suum propositum exsequi *possint.* Quapropter, si forte habeantur, "qui non sentiunt se castitatis (etiamsi eam voverint) habere donum " (cf. *Conc. Trid.,* Sess. XXIV, c. 9), *ne ipsi contendant exinde suis obligationibus hac in re satisfacere non posse.* Nam "Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis (cf. S. AUG., *De natura et gratia,* c. 48, n. 50: *PL* 44, 271) et adiuvat ut possis" (*Conc. Trid.,* Sess. VI, c. 11). Hanc, solacio plenam veritatem eorum quoque in memoriam revocamus, quorum voluntas *ob nervorum perturbationes infirmata est,* et *quibus nonnulli medici, interdum etiam catholici,* nimia facilitate suadent — speciosam interponentes causam, se nempe non posse sine mentis aequilibritatis detrimento castitatem servare — *ut eiusmodi obligatione eximantur* ».

Quoad hos textus obici nequit unice ibidem de illis qui castitatem perfectam voverint sermonem fieri. Nam si possibilitas servandi castitatem valet pro illis qui *perpetuo* se obstrinxerunt, a fortiori valet pro aliis, qui tamen cogitant se in posterum matrimonio iungi.

Alia ex parte expresse de iuvenibus etiam ait PIUS XII in *Nuntio radiophonico,* 23 martii 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 275: « Consapevoli pertanto del diritto e del dovere della Sede Apostolica d'intervenire, quando bisogni, autorevolmente nelle questioni morali, Noi nel discorso del 29 ottobre del passato anno Ci proponemmo d'illuminare le coscienze intorno ai problemi di vita coniugale. *Con la medesima autorità dichiariamo* oggi agli educatori e *alla stessa gioventù*: *Il comandamento divino della purezza dell'anima e del corpo vale senza diminuzione anche per la gioventù moderna. Anch'essa ha l'obbligo morale, e, con l'aiuto della grazia, la possibilità di conservarsi pura* ».

[20] Cf. etiam *Eph.* 5, 3 ss.

[21] PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A. A. S.* 46 (1954), pp. 182, 187: « Haec autem sunt, quae Divinus ipse Redemptor nobis commendavit adiumenta, quibus virtutem nostram, *efficaciter* tueamur: *sedula* nempe *assiduaque vigilantia,* ... quae ad quaelibet pertinet nostrae vitae momenta et ad quaevis etiam rerum adiuncta, nobis omnino *necessaria* est: " Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem" (*Gal.* 5, 17). Si quis vero aliquid, etsi parum, corporis illecebris concesserit, facile is ad ea "opera carnis", quae Apostolus enumerat (cf. *ibid.,* 19-21), et quae turpiora ac foediora sunt hominum vitia, se prolabi sentiet ».

[22] PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 185: « Rectius profecto utiliusque fecerint sacrae iuventutis educatores, si adulescentium mentibus

christianae pudicitiae praecepta inculcaverint quae quidem tantopere valet ad virginitatis incolumitatem servandam et quae *castitatis prudentia* dici potest. Pudicitia enim et ingruens periculum prospicit, et vetat ne quis se discrimini prodat, et ea etiam rerum adiuncta vitare iubet, a quibus aliquis minus prudens non refugit ». Haec valent, uti patet, non solum pro illis qui se vovent *sacrae* virginitati: sed etiam pro omnibus solutis, qui castitatem servare debent.

[23] Hic intenditur illa erronea at divulgata praesertim inter iuvenes sententia, vid. in amorosis provocationibus vel occasionibus moralitatem non tangi, si inter se tantum *tactus impudicos agant*: praesertim si fiant ad melius inveniendum propriam coniugem. Haec divulgata et privatorum persuasio invadit campum etiam moralitatis publicae, ubi ipse pudor mensuratur ad beneplacitum depravatae hominum consuetudinis, non vero iuxta dictamina legis naturalis et christianae.

Scribit e contra PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 185: « [Pudicitia] *verba* minus honesta non amat, et ab *immodestia* vel levissima abhorret, atque a *suspecta familiaritate* cum alterius *sexus personis diligenter cavet* ... ».

[24] Hic prae oculis habetur factum, quod, etiam hodie, aliquando saltem practice in tentationibus contra castitatem quis reputatur sibi licere ad illas superandas, tactus vel visus impudicos circa personam alterius sexus facere, ipsa consentiente. Tali modo praetendunt moderari, uti dicunt, flammam libidinis, et ideo nihil mali fieri atque ideo posse tranquilla conscientia ad sacramenta accedere.

Licet non incidatur directe in errores Michaëlis de Molinos, qui in tentationibus contra castitatem directe invisebat actionem diabolicam, tamen in istis etiam aliqua relatio cum illis erroribus inspici potest. Ita in prop. 47 condemnata ab INNOCENTIO XI: DENZ. 1267, legitur: « Cum huiusmodi violentiae occurrunt, sinere oportet, ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo; et etiamsi sequantur pollutiones et *actus obscoeni propriis manibus* et etiam peiora, non opus est seipsum inquietare (*Viva*: inquietari), *sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia et timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et prae omnibus non opus est haec confiteri, et sanctissime fit non confitendo*; quia hoc pacto superatur daemon, et acquiritur thesaurus pacis ».

Ut patet, fundamentum erroris *Michaëlis de Molinos* potest esse aliud, sed media et suggestiones erroneae in propositione contentae aliquam habent relationem cum istis novis suggestionibus, ab aliquibus datis vel permissis ad superandas difficultates sexuales.

[25] Hic prae oculis habetur « *nudismus* » sive ut doctrina sive ut praxis. Hodie quam maxime divulgatus est praesertim in aliquibus regionibus: uti in Gallia, in Austria, in Helvetia, in America, etc. Adsunt « campi nudistarum » quamplurimi et societates; potest etiam alia appellatione se praesentare: ut « *naturismus* » vel « *cultura libera corporis* », etc. Proponitur completa seu totalis nuditas variis rationibus commendata: scilicet philosophicis, hygienicis, paedagogicis, moralibus, socialibus, artisticis. Ipsi cultores « nudismi » non raro accusationes vehementes faciunt sive contra S. Bibliam et S. Paulum in specie, sive contra Ecclesiam, cum videantur non favere « nudismo ».

[26] Documenta Pontificia sunt plura:

Instructio S. Officii ad Episcopos Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis, 24 nov. 1875 (confirmata a Summo Pontifice Leone XIII), in: *Codicis*

Iuris Canonici Fontes, t. IV, pp. 362-365. Ibidem aliquod in genere de periculo coeducationis.

PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 71 ss.

Decr. S. Officii, 21 martii 1931: *A.A.S.* 23 (1931), pp. 118-119.

PIUS XII, *Sermo ad matresfamilias italicas,* 26 oct. 1941: *A.A.S.* 33 (1941), p. 450.

PIUS XII, *Sermo ad patresfamilias gallicos,* 18 sept. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 732 s.

PIUS XII, *Sermo ad docentes ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum,* 23 sept. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 736: « Quocirca huiusmodi verecundia non ita accipienda est, ut hac super causa perpetuo aequiparetur silentio utque in impertienda disciplina morum ne sobrius quidem cautusque sermo de iis umquam fiat. His super rebus adulescentes consiliis idoneis *instruantur* eisque *liceat* aperire animum, sine haesitatione quaerere, responsum accipere, quod securum, perspicuum, satis explicatum ipsis lumen et fiduciam iniciat ».

PIUS XII, *Iis qui interfuerunt Conventui internationali quinto de psychotherapia et psychologia,* 13 apr. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 282: « Un mot sur la méthode utilisée parfois par le psychologue pour libérer le moi de son inhibition dans les cas d'aberration dans le domaine sexuel: Nous pensons à *l'initiation sexuelle complète, qui ne veut rien taire, rien laisser dans l'obscurité.* N'y a-t-il pas là une surestimation pernicieuse du savoir? Il existe aussi une éducation sexuelle efficace, qui en toute sécurité enseigne dans le calme et l'objectivité ce que le jeune homme doit savoir pour se conduire lui-même et traiter avec son entourage ».

PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 186: « Verumtamen, nostris hisce temporibus, nonnulli institutores educatoresque nimio saepius sibi officium esse ducunt innocentes pueros puellasque tali modo arcanis humanae generationis initiandi rebus, qui eorum *pudorem* offendat. Atqui iusta hac in re agendi *temperatio* ac *moderatio adhibenda est,* quae a *christiana pudicitia* requiritur ».

Potest etiam addi *Instructio S. Officii,* 16 maii 1943, *Periodica* 33 (1944), pp. 130-133; ubi normae reservatae dantur « de agendi ratione confessariorum circa sextum Decalogi praeceptum ». Ibi expresse dicitur p. 132: « Itidem ne audeat confessarius, seu sponte seu rogatus, de natura vel modo actus quo vita transmittitur, poenitentes docere, atque ad id nullo umquam praetextu adducatur ». Haec instructio die 4 nov. 1955 a S. S. Congr. S. Off. communicata fuit cum omnibus Episcopis.

Quoad *coeducationem,* in se sola spectatam, nihil expresse in Constitutione dictum habetur, quia res est sat difficilis ob particularia adiuncta regionum.

[27] Hic prae oculis habetur severa reprobatio omnium modernorum modorum, quatenus sunt potius oblectamenta carnis exhibita sive in quibusdam peculiaribus institutis (« Istituti di bellezza »), sive in modo se vestiendi, in *choreis* praesertim modernis, in quibusdam *concursibus pulchritudinis,* in *spectaculis,* in *imaginibus,* in *cantionibus,* in *scriptis,* in *exercitationibus corporalibus indecoris,* in *aquaticis et promiscuis balneis,* in *mundanis sylvestribus relaxationibus.* In omnibus istis pudor saepe offenditur, sine ulla animae christianae respectu. Concilium igitur hac in re silere nequit, sicut nec siluit Christus. Nam hodie scandalum eo magis crescit et divulgatur, quod ope emissionis radiophonicae, pelliculae rotantis, et televisionis id quod prius uno solo loco aspici poterat, nunc ubique terrarum videre est. Nec

minus notum est hodiernam *divarum* latriam occasionem esse scandali. In prima redactione haec erant magis specificata. Postea praevaluit ut haec omnia in Constitutione solummodo quasi velato dicantur et improbentur, ne ipsa Constitutio nimis cruda aut « veristica » diiudicaretur.

[28] PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 183: « Ad tuendam castimoniam, secundum Hieronymi sententiam, fuga magis valet quam apertum certamen: " Ideo fugio, ne vincar " (S. HIERON., *Contra Vigilant.*, 16: PL 23, 352). Quae quidem fuga ita intellegenda est, ut non modo peccandi *occasiones* diligenter arceamus, sed praesertim ut in huius generis certaminibus mentem animumque ad divina erigamus ... ».

[29] De isto iure et officio Ecclesiae, quod hodie a laicistis ipsi negatur, nullum dubium moveri potest, uti apparet ex frequentibus Ecclesiae documentis, in quibus contra violatores moralitatis publicae insurgit: cf.

PIUS X, Encycl. *Editae saepe*: *A.A.S.* 2 (1910), p. 357.

PIUS XI, Encycl. *Firmissimam constantiam,* 28 martii 1937: *A.A.S.* 29 (1937), p. 189.

PIUS XII, *Ad patresfamilias e Gallia Romam peregrinantes,* 18 sept. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), pp. 730 ss.

PIUS XII, Litt. *I rapidi progressi,* ad Episc. Italiae, 1 ian. 1954: *A.A.S.* 46 (1954), p. 18.

PIUS XII, Encycl. *Miranda prorsus*: *A.A.S.* 49 (1957), p. 765 ss.

[30] PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri.*

PIUS XII, Litt. *I rapidi progressi,* ad Episc. Italiae, 1 ian. 1954: *A.A.S.* 46 (1954), p. 20 s.: « Alle autorità pubbliche soprattutto spetta prendere ogni cautela, perchè in nessuna maniera sia recata offesa o turbamento a quell'aura di *purezza* e di *riservatezza* che deve circondare il focolare domestico ... Noi nutriamo profonda fiducia che l'alto senso di responsabilità di coloro che presiedono alla vita pubblica verrà ad impedire le tristi eventualità ... ».

Ita etiam in pluribus aliis Magisterii documentis.

[31] Non tangitur hic *expresse* sic dictus *pansexualismus,* cum sciatur hodie inter psychologos adesse, qui negant et ipsum Freud docuisse vere pansexualismum. Hac de causa increparunt ipsum Pius XII, cum de methodo pansexuali sermonem facit, ut infra notatur. Ex alia parte constat quod *theoretice* et *practice* in vita hominum nimis elementa sexualia producuntur quasi sint unica vel saltem praeeminentia, immo explicativa realitatum etiam supernaturalium. Ideo *sexualismus* damnatur eo sensu, quo in Constitutione intelligitur. Pro hac quaestione, quidquid sit de pansexualismo freudiano, remanent ut valida documenta sequentia:

PIUS XII, Sermo 14 sept. 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 783: « Il n'est pas prouvé, *il est même inexact,* que la méthode pansexuelle d'une certaine école de psychanalyse soit une partie intégrante indispensable de toute psychothérapie sérieuse et digne de ce nom; que le fait d'avoir dans le passé négligé cette méthode ait causé de graves dommages psychiques, des erreurs dans la doctrine et dans les applications en éducation, en psychothérapie et *non moins encore dans la pastorale;* qu'il soit urgent de combler cette lacune, et d'initier tous ceux qui s'occupent de question psychiques, aux idées directrices et même, s'il le faut, au maniement pratique de cette technique de la sexualité ».

In quodam articulo cui titulus: *A proposito di psicanalisi,* auctoritative edito in *L'Osservatore Romano,* 21 sept. 1952, occasione illius sermonis Summi Pontificis,

legitur: « Aggiungono inoltre cotesti psicanalisti, che anche i sacerdoti, in cura d'anime o dedicati alla direzione spirituale delle coscienze, dovrebbero conoscere le parti sostanziali della teoria e della prassi della psicanalisi, così intesa, e persuadersi che questo mezzo non può essere trascurato, benchè essi medesimi, personalmente, non debbano usarlo, ma debbano servirsi dell'aiuto di un competente medico psicoanalista. Altrimenti è da temersi — essi sostengono — che i sacerdoti esercitino il loro ministero spirituale con pericolo e danno delle anime. Purtroppo queste idee vengono *imprudentemente* proposte e difese in articoli, libri e conferenze anche da alcuni teologi, i quali più preoccupati dell'aspetto medico, trascurano le norme stabilite dalla morale cristiana, di nuovo promulgate ed inculcate dal Sommo Pontefice ».

Evidenter neque Summus Pontifex neque praesens Constitutio vult damnare cognitionem et utilitatem istarum scientiarum, etiam ex parte sacerdotum; attamen error est omnia per sexum in pastorali animarum explicare, atque accusare pastoralem catholicam ac si hac in re Ecclesia defecerit in essentialibus quoad directionem animarum. In Constitutione scite provisum est, quod dum damnatur error, pro secunda parte tantum *describatur accusatio,* vitato tamen verbo damnationis, ne Concilium accusetur aversionis erga scientias. Habetur tamen erroris, de qua in Constitutione, descriptio et reprobatio etiam apud Pium XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 174. « Imprimisque a communi probatorum hominum sensu, quem quidem Ecclesia semper in honore habuit, ii *procul dubio aberrant, qui naturalem sexus instinctum quasi potiorem maioremque humanae compagis* confirmandum quod iuxta doctrinam Pontificis in Encyclica ad probandam falsitatem necessitatis peccatorum sexualium, de quo errore infra dicemus; attamen per se valent etiam ad confirmandum quod iuxta doctrinam Pontificis in Encyclica citata et in aliis locis (cf. supra nota 7) reprobatur quaecumque exaggeratio elementi sexualis in vita hominis.

[32] Contra e. g. Dr. Hesnard, *Morale sans péché* et alii eiusdem libri qui ideo in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt. Pro notitia errorum ibidem contentorum, cf.: *L'Osservatore Romano,* 23-24 ian. 1956, *Psicanalisi e mitomorale,* ubi explicatur damnatio trium librorum D.ris Hesnard.

[33] Cf. apud eundem Hesnard et non paucos medicos antiquos et modernos.

Pius XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 174 s.: « ... et exinde concludunt hominem *non posse* per totius vitae cursum *huiusmodi appetitum coercere sine gravi periculo* eius *corporis vitalia* potissimumque nervos perturbandi, ideoque *humanae personae* aequilibritati detrimentum inferendi ».

Idem Pius XII, in *Allocut. ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 850 s.: « Tutti questi valori secondari della sfera e dell'attività generativa rientrano nell'ambito dell'ufficio specifico dei coniugi, che è di essere autori ed educatori della nuova vita. Alto e nobile ufficio! il quale però *non appartiene all'essenza di un essere umano completo,* come se, non venendo la naturale tendenza generativa alla sua attuazione, si avesse in qualche modo o grado una *diminuzione della persona umana.* La rinunzia a quell'attuazione non è — specialmente se fatta per i più nobili motivi — una mutilazione dei valori personali e spirituali ».

Cf. etiam Pius XII pluribus aliis occasionibus. Licet aliqua verba directe se referant ad virginitatem et castitatem perpetuam, tamen principium moralis catholicae est sat clarum.

[34] Hodie quoque vitium *homosexualitatis* sat divulgatur; nedum de illo foedis-

simo vitio horror saltem habeatur, praetenditur illud etiam laudandum et proponendum tamquam signum superioris amoris et altioris culturae. Nam, dicitur, amare personam alterius sexus facile est; sed amare sexualiter personam eiusdem sexus non est omnium, sed tantum paucorum, qui ad hoc idonei et educati sunt. Sic intelligitur cur factum illud deplorandum propagetur scilicet etiam homines maioris ingenii huic vitio fuisse addictos.

[35] Hic agitur contra plures modernos, praesertim inter psychologos, qui libertatem sufficientem, maxime in iuvenibus et quoad peccata contra sextum non admittunt; cum e contra libertas in normalibus supponenda est quousque non probetur contrarium, ut non una vice edixit Pius XII.

Pius XII, *Allocutio* 26 maii 1957: *A.A.S.* 49 (1957), p. 406: « Perciò la morale e il diritto non si immobilitano in un'attitudine superata, quando affermano che bisogna dimostrare ove la libertà cessa, e non ove comincia. La sana ragione e lo stesso buon senso si sollevano contro un tale determinismo di fatto che ridurrebbe al minimo la libertà e la responsabilità ».

Pius XII, *Nuntius radiophonicus* 23 martii 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 275: « *Respingiamo,* quindi come erronea l'affermazione di coloro, che considerano *inevitabili* le cadute negli anni della pubertà, le quali così non meriterebbero che se ne faccia gran caso, *quasi che non siano colpa grave,* perchè ordinariamente, essi aggiungono, *la passione toglie la libertà necessaria,* affinchè un atto sia moralmente imputabile ».

Non sine ratione et relatione ad istos errores damnatus est a S. Officio liber Marc Oraison, *Vie chrétienne et le problème de la sexualité,* Paris 1951.

[36] Pius XII, *Allocutio ad parochos Urbis et concionatores sacri temporis Quadragesimalis*: *De praeceptis Decalogi,* 22 febr. 1944: *A.A.S.* 36 (1944), p. 73, ubi data opera Pontifex sermonem facit de erroneis conceptibus quoad peccatum grave (de quibus cf. etiam supra in prima parte nostrae Constitutionis). Specifice autem quoad peccata contra sextum sic lamentatur Pontifex: « Per portare un esempio: le moltiformi deviazioni del sesto comandamento non sarebbero per il credente, il quale nel resto vuol mantenersi unito a Dio e conservarsi amico di Lui, *nessuna grave mancanza, nè importerebbe colpa mortale* ».

Pius XII, *Allocutio* 13 apr. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 286, ubi agit ex professo de sic dicto « peccato materiali » et inter alia dicit: « La psychothérapie peut encore moins donner au malade le conseil de commettre tranquillement un péché matériel, parce qu'il le fera sans faute subjective, et ce conseil serait aussi erroné si une telle action devait paraître nécessaire pour la détente psychique du malade et donc pour le but de la cure. On ne peut jamais conseiller une action consciente qui serait une déformation, non une image de la perfection divine ».

Cf. etiam Pius XII, *Allocutio* 1 oct. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 728.

[37] Ita Pius XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 183 s.: « Nonnulli siquidem autumant christianos omnes, ac praesertim sacrorum administros, non ut superioribus aetatibus esse a mundo segregandos, ut aiunt, sed mundo praesentes esse oportere, et ideo necesse est eos *aleam subire atque eorum castitatem in discrimen adducere, ut inde clare pateat utrum habeant, an non, validam obsistendi facultatem*: omnia igitur videant iuvenes clerici, ita ut omnia cernere aequo animo assuescant, atque adeo quibusve perturbationibus se immunes reddant ».

Sed iam eousque hodie proceditur ut etiam relationes amorosae consulantur illis qui vovere se cupiunt castitati perpetuae. Insuper directe hic id increpari intenditur

quod affirmant multi psychologi, tempore nempe pubertatis et primae iuventutis hominem esse incapacem actus humani plene liberi et plene responsabilis. Haec pro dolor est opinio quae auditur etiam a psychologis catholicis. In Constitutione evidenter non increpatur sanus educationis modus ad castitatem, quo iuvenes et etiam clerici, si ad curam animarum destinati sunt, educantur ita, ut omnia quae debent videre vel tractare, cum animo puro et simplici videant ac tractent. Item non intenduntur conditiones extraordinariae vel pathologicae, vel impetuosae sexualitatis, quae redderent iuvenem minus aptum sese vovendi castitati perfectae vel quae possent minuere imputabilitatem. Quae omnia in singulis casibus secundum singulorum adiuncta sunt mensuranda.

IV

DE DEPOSITO FIDEI PURE CUSTODIENDO *

PROOEMIUM

1. [*Ius et officium custodiendi depositum*]. Sancta Vaticana Synodus, coram Deo atque Salvatore suo plene sibi conscia est, Ecclesiam missionem suam docendi, sanctificandi, regendi implere non posse, ideoque nec salem terrae esse, nec lucem mundi (cf. *Mt.* 5, 13-14), nisi depositum fidei pure atque intacte custodiatur. Haec autem custodia non solum sacrum officium est singulorum pastorum, de quo rationem reddituri sunt Domino (cf. *Hebr.* 13, 17), sed maxime toti Episcopatui incumbit, per Spiritum Christi in unum corpus apostolicum sub Romano Pontifice congregato. Ipse enim Dominus discipulis imponit: « Docete omnes gentes ... servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20); et Apostolus monet Timotheum: « Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates » (*I Tim.* 6, 20; cf. *II Tim.* 1, 14). Quare S. Synodus certo sciens etiam hisce temporibus plura spargi errorum semina, quibus multi sacram doctrinam non iam sustineant, sed a veritate auditum avertentes, ad fabulas convertantur (cf. *II Tim.* 4, 4), ut suo officio religiose satisfaciat, omni ope adnititur depositum sibi concreditum nunc quoque a quovis falsitatis contagio tutari, ne christifideles perniciosis huius aetatis fallaciis illaqueentur, iis potissimum, quibus ipsa religionis evertantur fundamenta.

CAPUT 1

DE COGNITIONE VERITATIS

2. [*Fundamentum theologicum*]. Cum fides rationem ab erroribus tueatur,[1] S. Synodus, innixa divinae revelationi de dignitate hominis ad imaginem Dei creati (cf. *Gen.* 1, 26-27; *Sap.* 2, 23; *Eccli.* 17, 1); de missione Christi, qui veritate nos liberavit (cf. *Io.* 8, 32); de Spiritu Sancto a Domino misso ut nos doceat omnem veritatem (cf. *Io.* 16, 13); de Ecclesia columna et firmamento veritatis (cf. *I Tim.* 3, 15), docet hominem natura sua gaudere dono

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in sexta, septima et octava congregatione sessionis tertiae, diebus 20-22-23 ian. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 279-423.

adipiscendae veritatis, quo per actum sui intellectus, licet variis gradibus perfectionis, rebus ut sunt in seipsis conformatur.[2] Negata enim hac aptitudine, abnegatur ipsa ratio humana et frustra de revelatione et de fide sermo instituitur. E contra Ecclesia, a Spiritu veritatis edocta, non solum praedictam capacitatem agnoscit, sed insuper credit intellectum humanum ita a Deo elevari posse et elevari, ut fide illustratus cognoscat veritates captum cuiusvis creatae mentis omnino excedentes, donec in patria intueatur Primam Veritatem, nempe Deum Unum et Trinum, claritate visionis beatificae.[3]

3. [*Contra falsum existentialismum*]. Sicut autem Ecclesia, iugiter divino verbo freta, semper sibi persuasum habuit rationem veritatis non esse quid mere subiectivum,[4] sed potius existimari debere perfectionem humanae mentis, qua universitati rerum conformari potest, iuxta illud Augustini: « Non enim ratiocinatio talia facit, sed invenit »; [5] ita pari firmitate semper tenuit intellectum hominis veritates necessarias et immutabiles assequi posse,[6] ac de illis propositiones, quae mutationi non sint obnoxiae, enuntiare.[7]

4. [*De primis principiis*]. Quia vero super principia illa universalia, quae identitatis, contradictionis, rationis sufficientis, causalitatis efficientis et finalis ab eruditis vocari solent,[8] quaeque tam perspicua sunt, ut quasi sponte cuilibet innotescant, integrum aedificium cognitionis humanae innititur, immo ipse ordo doctrinae fidei quodammodo superstruitur,[9] ideo Sacrum Concilium docet, principia illa a nemine in dubium ullatenus vocari posse.

5. [*Obscurationis veritatis remedia*]. Cum autem homo inde ab initio inciderit in servitutem ignorantiae et passionum, quibus lumen naturalis rationis obnubilatur,[10] et difficilior redditur cognitio veritatis, maxime illius quae ad mores et religionem spectat (cf. *Sap.* 9, 13-19; *Rom.* 1, 18-32), hac de re, non obstante scientiarum hodiernarum miro progressu, « divinae revelationi tribuendum est, ut quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint ».[11] Quare iure merito Ecclesia numquam negavit utilitatem et efficacitatem bonarum totius animi dispositionum ad res religiosas ac morales plene cognoscendas et amplectendas: immo semper docuit huiuscemodi dispositionum defectum causam esse posse, cur intellectus cupiditatibus ac mala voluntate affectus, ita obscuretur ut non recte videat.[12]

NOTAE

[1] Cf. *Conc. Vat. I*, Const. dogm. *De fide cath.*, cap. 4: DENZ. 1799.

[2] PIUS XII, Alloc. *Iis qui interfuerunt Primo Symposio Internationali Geneticae Medicae*, 7 sept. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 601: « La pensée de tous les temps, basée sur la saine raison, et la pensée chrétienne en particulier sont conscientes de devoir maintenir le principe essentiel: la vérité est l'accord du jugement avec l'être des choses déterminé en lui-même ».

Cf. IOANNES XXIII, *Nuntius Radiophonicus*, 22 dec. 1960: *A.A.S.* 53 (1961), pp. 7-8.

Cf. S. THOMAS, *Summ. Theol.* I, q. 16, a. 1.

[3] Cf. *Conc. Vat. I,* Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: DENZ. 1795-1796; PIUS IX, Epist. *Gravissimas inter,* 11 dec. 1862 (contra Iac. Frohschammer): DENZ. 1673.

[4] Decr. S. O.: *Lamentabili,* 3 iulii 1907, prop. 58: DENZ. 2058 damnatur: « Veritas non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe quae cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur ».

[5] S. AUGUSTINUS, *De vera religione,* c. 39, n. 73: *PL* 34, 155.

[6] PIUS XII, Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: DENZ. 2320: « certae et immutabilis veritatis assecutionem ».

[7] Cf. Decr. S. Off. *Lamentabili,* prop. 58: DENZ. 2058.

[8] PIUS XII, Encycl. *Humani generis*: DENZ. 2320: « Quae quidem philosophia in Ecclesia agnita ac recepta, et verum sincerumque cognitionis humanae valorem tuetur, et metaphysica inconcussa principia — rationis nempe sufficientis, causalitatis et finalitatis — ac demum certae et immutabilis veritatis assecutionem »;

Cf. *Alloc.* 7 sept. 1953 ad medicos: *A.A.S.* 45 (1953), p. 601; *Alloc. ad Univ. Greg.,* 17 oct. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 685;

S. THOMAS, *Contra Gentes,* II, c. 83: « Intellectus noster cognoscit *ens* et ea quae sunt per se entis, inquantum huiusmodi: in qua cognitione fundatur primorum principiorum notitia; ut, *non esse simul affirmare et negare,* et alia huiusmodi. Haec igitur sola principia intellectus noster naturaliter cognoscit, conclusiones autem per ipsa ».

[9] *Conc. Vat. I,* Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: DENZ. 1799: « Neque solum fides et ratio inter se dissidere numquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum *recta ratio fidei fundamenta demonstret* ... ».

Cf. PIUS XII, Encycl. *Humani generis*: DENZ. 2321-2322.

[10] *Conc. Trid.,* Sess. V, Decr. *De peccato orig.*: DENZ. 788: « Totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse »;

Cf. S. THOMAS, I, q. 95, a. 1.

[11] *Conc. Vat. I,* Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 2: DENZ. 1786;

Cf. S. THOMAS, I. q. 1, a. 1.

[12] Cf. PIUS XII, Encycl. *Humani generis*: DENZ. 2324.

CAPUT 2

DE DEO

6. [*Cognitio Dei, finis ultimi hominis*]. Ecclesia, innixa Sacrarum Litterarum testimoniis, semper tenuit in cognitione naturali exsistentiae Dei reponendum esse vitae religiosae principium illamque constituere veluti praeambulum ad cognitionem Dei, quae per fidem obtinetur. Immo, quoniam Deus caritas est (*I Io.* 4, 8) itemque lux veritatis (cf. *I Io.* 1, 5), atque adeo fons omnium bonorum, a quo et creati sumus et beatitatem exspectamus, ideo ipsa profitetur Deum, ad tanti momenti cognitionem hominibus perviam reddendam, se illis manifestasse tum supernaturali Providentia, tum

etiam communibus creationis operibus, quae ita constituit, ut apertum testimonium de ipso redderent (*Act.* 14, 17).

7. [*Affirmatur Dei cognoscibilitas*]. Porro eadem sancta Mater Ecclesia tenet et docet invisibilis Dei exsistentiam vel solo naturali rationis lumine per visibilia creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci adeoque et demonstrari posse; [1] nam, ut ait Apostolus, invisibilia ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque eius virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles, qui veritatem Dei in iniustitia detinent (cf. *Rom.* 1, 20 et 18).

8. [*Argumentum perfectionibus mundi*]. Profecto sancti Patres et Doctores Ecclesiae [2] varia eaque firmissima argumenta protulere, quibus demonstrarunt Deum esse et « causam constitutae universitatis, et lucem percipiendae veritatis et fontem bibendae felicitatis ».[3] Re enim vera incomparabilis magnificentia et ordo ac pulchritudo necnon firma ad finem directio, quae in mundo conspiciuntur, certissime proclamant sapientissimum ac potentissimum Auctorem ac Gubernatorem, Deum nempe personalem,[4] adeo ut vani censendi sint qui operibus attendentes non agnoscant quis sit artifex, et illorum specie delectati non cogitent quanto his dominator eorum speciosior sit (cf. *Sap.* 13, 1-5).[5]

9. [*Argumentum ex imperfectionibus creaturarum*]. Imperfectiones quoque, quibus omnes res mundi ex profundo sui esse irretiri conspiciuntur, puta motus, dependentia causalis, contingentia, limitatio et si quae aliae, plane ostendunt eiusmodi res non esse ultimo a seipsis neque ab aliis mundanis principiis quae iisdem imperfectionibus laborent, sed a Creatore mundum transcendente, qui omnimodis perfectionibus polleat. Nec praeter ista argumenta, quae potiora sunt, Ecclesia alia parvipendit, v. g. quae ex desiderio quod habet homo felicitatis, vel ex absoluta obligatione legis moralis promuntur, quaeque aliquibus saltem hominibus multum sunt accommodata.

10. [*Errorum damnatio*]. Cum igitur exsistentia unius veri Dei tam egregie resplendeat, eo magis reprobandi sunt qui Deum misere abiiciunt.[6] Imprimis quidem Sancta Synodus damnat errorem eorum qui, unum et universale principium in materia reponentes, Deum esse omnino negant,[7] quinimmo impie satagunt, etiam vi adhibita, Dei nomen ex humanis mentibus eradicare. Etiam eorum reprobat errorem qui, falsi nominis scientia abutentes, loco Dei personalis figmenta impersonalia vel mere idealia adeoque inoperosa substituunt, vel, reiecta demonstratione quae sit obiectivae veritatis pignus, subiectivam tantum et mere voluntariam adhaesionem quoad Dei exsistentiam profitentur, vel probationes rationales congestis fallaciis universim enervare conantur.[8]

11. [*Doctrina de Deo commendatur*]. Demum Sacra Synodus fideles enixe hortatur ut rectam quam acceperunt de Deo doctrinam quibuslibet bonis anteponant, sollicite custodiant, ab impugnationibus defendant, tamquam totius vitae normam assumant, ingenii autem vires non in obnubilandis rationibus quibus mens humana ad Deum elevatur, impendant, sed iis elu-

cidandis potius adlaborent.[9] Denique semper meminerint omnes se esse baptizatos in nomine Dei vivi, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, ut Deo, qui per nimiam caritatem se manifestavit nobis in Domino Iesu, credant eique serviant (cf. *I Io.* 1, 1-3; *Eph.* 2, 4).

NOTAE

[1] PIUS IX, Epist. *Gravissimas inter* (contra Iac. Frohschammer), 11 dec. 1862: DENZ. 1670;

Conc. Vat. I, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 2: DENZ. 1785; coll. can. 1: DENZ. 1806;

Iusiurandum contra errores modernismi: DENZ. 2145;

PIUS XII, Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: DENZ. 2317.

[2] S. GREGORIUS NAZIANZ., *Orat.* 28, nn. 6 et 16: *PG* 36, 31 et 45.

S. IOANNES CHRYSOST., *In Ep. ad Rom. hom.* 3, 2: *PG* 60, 412-413.

S. AUGUSTINUS, *Confess.* XI, 4, 6: *PL* 32, 811; *Serm.* 141: *PL* 38, 776-778; *De lib. arb.* II, 7, 15 usque 15, 39: *PL* 32, 1249-1262.

S. THOMAS, I, q. 92, a. 3; *In Ev. Ioh.,* Prol. in prol. S. Hieronymi.

Cf. PIUS XI, *Studiorum ducem,* 29 iun. 1923: *A.A.S.* 15 (1923), p. 317.

PIUS XII, *Alloc. ad Pont. Acad. Scient.,* 22 nov. 1951: *A.A.S.* 44 (1952), pp. 31 s.

[3] S. AUGUSTINUS, *De Civ. Dei,* VIII, 10, 2: *PL* 41, 235.

[4] PIUS XII, Encycl. *Humani generis*: DENZ. 2317; cf. *ibid.*: DENZ. 2325;

Cf. PIUS XI, *Mit brennender Sorge,* 14 mart. 1937: *A.A.S.* 29 (1937), p. 149.

[5] Cf. etiam *Rom.* 1, 20-21.

[6] PIUS XI, *Mit brennender Sorge*: *A.A.S.* 29 (1937), pp. 148-150; cf. Decr. S. Off. 1 iulii 1949: *A.A.S.* 41 (1949), p. 334.

[7] *Conc. Vat. I,* Const. *De fide dogm.,* cap. 1: DENZ. 1782-1784 et canones correspondentes: DENZ. 1801-1805;

Cf. PIUS XII, Encycl. *Humani generis*: DENZ. 2306 et 2323

[8] S. PIUS X, Encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907: DENZ. 2072-2074;

PIUS XII, Encycl. *Humani generis*: DENZ. 2325.

[9] PIUS XII, Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.* 39 (1947), pp. 525-526.

CAPUT 3

DE DEO CREATORE ET EVOLUTIONE MUNDI [1]

12. [*De creatione mundi in initio temporis*]. Sacra Vaticana Synodus secunda, Sanctarum Scripturarum testimoniis innixa, doctrinam ab Ecclesiae Magisterio pluries prolatam renovat docens Deum ita universum ex nihilo creavisse, ut aliquando cursum suae exsistentiae inchoaret. Solus enim « verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam, per bona quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, ange-

licam videlicet et mundanam ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam ».[2]

13. [*Reprobatio evolutionismi tum materialistici, tum pantheistici*]. Cui doctrinae maxime adversatur evolutionismus materialisticus, statuens mundum, qui se evolvat, neque causatum esse neque gubernari a Deo, atque eius progressu aliud non proferri nisi materiam non factam et ea quae iam prius quodammodo in materia non facta praecontinebantur. Dogma autem creationis aperte etiam detorquetur evolutionismo illo pantheistico, quo admittitur quidem mundum procedere a principio uno et immateriali, quod divinum dicitur, sed quo ita res concipitur, quasi hoc principium produceret mundum ut summam immutationum sui, in quibus, per gradus et maxime in vita humani spiritus, ipsum se evolveret atque perficeret. Ex quibus sententiis prima Deum et religionem a limine tollit, altera ea quae ad religionem pertinent plane permiscet, cum Deo mundana humanaque assignet, homini mundoque divina.

14. [*Sententiae hodiernae falsae de creatione et evolutione mundi*]. Caveant etiam Ecclesiae filii ne, aberrantibus opinionibus decepti, inquinent plures veritates revelatas. Conceptum creationis ne solvant sibi fingentes, hanc in eo consistere quod Deus magis magisque in unitatem redigat multiplicitatem quamdam primordialem, iam praesentem ante omnem divinam actionem. Subsistentiam mundi in seipso et simplicitatem perfectionemque omnimodam Dei ne labefactent, arbitrari audentes Deum ita evolutionem mundi dirigere, ut universitatem rerum gradatim in seipsum colligat, eam sibi veluti incorporet, ipseque mundanae compositionis quadantenus particeps fiat. Neque investigatio scientifica, neque sana philosophia ullam causam praebent falsis huiusmodi opinionibus indulgendi.

15. [*Doctrina fidei et investigatio verae scientiae de evolutione*]. Ea autem quae veri nominis scientia de mundi evolutione prudenter investigat iureque ut certa inferre valet, sive sunt de formatione figurae universi, sive de historia terrae ascensuque multiplici vitae in ea, sive de origine et incremento humani generis, ea re vera detrimentum non inferunt doctrinae fidei. Quin etiam convenienter sese ei adiungunt eamque illustrant. Namque « nulla ... unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit ».[3] Verum conclusiones indagationum scientificarum huiusmodi cedunt dignitate et certitudine sententiis fidei, quibus lumine gratiae adiuti assensu maxime firmo adhaeremus, innixi Deo ipso, qui summa veritas est. Quapropter quaestiones quaedam ad evolutionem mundi pertinentes, quae directe aut indirecte fidem catholicam tangunt, ita tractandae sunt ut genuinis fidei effatis minime contradicatur, ut eadem effata in periculum non adducantur, singulique parati sint ad Ecclesiae iudicio obtemperandum, cui a Christo munus demandatum est depositum fidei custodiendi atque interpretandi.[4]

16. [*De creatione hominis et evolutione vitae*]. Ad investigationem igi-

tur scientificam de initiis vitae quod attinet, quatenus etiam in ea quaeritur, sitne humani generis origo quodammodo ab antea iam exsistenti viventique organismo repetenda, primum servanda est doctrina catholica de compositione hominis ex spiritu et corpore quae essentialiter inter se differunt, itemque de divina et immediata productione animae hominis ex nihilo. Humana igitur anima ex nullo quod in mundo quomodolibet iam exstiterat, orta est. Insuper ipsa corporis humani prima origo cum debita moderatione ac cautela tractanda est. Nam hoc argumentum non spectat ad scientias naturales tantum, sed partim etiam ad philosophiam, immo tangit plures veritates quae in divinae revelationis fontibus continentur, nominatim de mirando illo iustitiae originalis statu in quo nostri protoparentes primum constituti sunt.[5]

NOTAE

[1] In tribus primis huius Constitutionis paragraphis agitur in primis de creatione mundi *universim* secundum *fidem catholicam* et doctrinis *philosophicis* quae hac in re eidem fidei adversantur.

In duabus ultimis paragraphis agitur de *doctrina fidei* circa creationem, maxime autem circa *creationem hominis* et de eius relatione cum *investigatione scientifica.*

[2] *Conc. Vat. I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 1: DENZ. 1783; cf. *Conc. Lateranense IV,* cap. 1: DENZ. 428.

[3] *Conc. Vat. I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: DENZ. 1797.

[4] Cf. PIUS XII, Encycl. *Humani generis*: DENZ. 2326.

[5] Cf. PIUS XII, Encycl. *Humani generis*: DENZ. 2327.

CAPUT 4

DE REVELATIONE ET FIDE

17. [*Notio catholica revelationis*].[1] Revelatio externa et publica qua obiectum fidei catholicae divinitus communicatum est cum Ecclesia, est locutio qua benignissimus Deus, per ministros complures maximeque per Filium suum, humano sermone adhibito, mysteria salutis veritatesque connexas testatus est, « oboeditionem fidei » (*Rom.* 16, 26) omnibus praecipiens. Externae autem revelationis dono, Deus, qui interius etiam docet, ut singuli « verbum salutis » (*Act.* 13, 26) sicut oportet suscipere queant, illuminationem inspirationemque gratiae adiungit quae suavitatem confert in consentiendo et credendo veritati.[2]

18. [*Revelatio et historia salutis*]. Longa illa series eventuum salutarium quae in vita, morte et resurrectione Christi fastigium suum tandem attigit, inter obiecta divinae revelationis conspicue nobis prostat, et in eadem nobis altissima mysteria annuntiata sunt. Quapropter dicere fas est revelationem nobis datam esse in humanae salutis historia sive narrata sive prae-

nuntiata.[3] Sed minime sentiendum est revelationem, ad substantiam eius quod spectat, prodientibus tantum illis eventibus iam constitutam esse, ita ut sermone Christi, Filii Dei, aliorumque legatorum divinorum secundarie tantum compleatur. Immo vero ad revelatum ordinem salutis ii eventus maxime pertinent per mysteria quae in eis latent aut cum eis connectuntur. Sed iidem eventus non patefaciunt nobis illa mysteria, nisi quatenus ipsi assumuntur quodammodo ac declarantur sermone legatorum Dei. Quo sermone etiam proponuntur ut veritates divinitus attestatae, ita ut obiecta fide divina credenda fiant, seu proprie revelentur.[4]

19. [*Revelatio et doctrina*]. Neque praetermittendum est revelationem, ultra historiae salutis singularia facta, continere etiam veritates universales tum naturalis, tum supernaturalis ordinis, eamque primarie spectare Deum ipsum, in ineffabili mysterio trium Personarum divinarum electis in patria videndum. Ideo Patres primae Synodi Vaticanae summam veritatum revelatarum iure nuncupaverunt « doctrinae fidei » nomine,[5] vestigiis inhaerentes Domini nostri qui asseverat: « Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me » (*Io.* 7, 16), necnon Apostoli qui scribit ad Titum de vita sancta christifidelibus agenda, ut dignis moribus, « doctrinam Salvatoris nostri Dei ornent in omnibus » (*Tit.* 2, 10).[6]

20. [*Revelatio et manifestatio Christi*]. Divinae revelationis plenitudo in Christo Filio Dei recte dicitur apparuisse,[7] non solum quia ipse, auctor et consummator fidei (cf. *Hebr.* 12, 2), praecipuas fidei veritates homines docuit, sed insuper quia, per suae incarnationis redemptionisque mysterium, caetera fidei mysteria mirum in modum illustrat. Quod tamen non impedit quin revelatio integra servet suam indolem divini testimonii, totumque mysterium Christi propter auctoritatem Dei, qui nec falli nec fallere potest, sit credendum. Fides divina et catholica non constituitur primario experientia qua totum mysterium Christi in eoque omne revelatum verum perciperetur, et secundarie tantum actione reddendi per conceptus et verba, ea quae prior experientia altiore modo attigisset. Quin potius catholica fides complectitur agnitionem magisterii Dei et propter ipsius auctoritatem assensum veritatibus revelatis quales ab Ecclesia credendae proponuntur.[8] Eadem autem fides, caritate et donis Spiritus Sancti perfecta, augeri potest sensu Christi (cf. *I Cor.* 2, 16) ad veritates revelatas profundius intelligendas, immo fruitione obscura mysterii Filii Dei qui cum Patre et Spiritu Sancto animam iustorum inhabitat.[9]

21. [*Errores notioni catholicae revelationis plane adversi*]. Catholica revelationis notio penitus derelinquitur ab iis qui falso contendunt Deum non posse, per legatos ab ipso eruditos aut inspiratos, communicare cum hominibus prolatis verbis aut Sacris etiam Litteris. Quorum quidam dixerunt divinam revelationem nihil aliud esse posse quam acquisitam ab homine suae relationis ad Deum conscientiam;[10] quidam revelationem arbitrati sunt esse sensum quemdam divinae realitatis in conscientia apparentem, quin et Deum ipsum, etsi confusius, sese in eodem sensu animis manifestantem;[11]

quidam demum existimant divinam revelationem non tantum religionem Veteris Novique Foederis, sed omnes religiones protulisse, eamque in eo consistere quod homines religiosi, ut ad Deum in mente eorum latitantem spectare queant, obiecta sacra sibi reperiant, notionesque sibi effingant, quae, etsi conformitate cum re carentes, inservirent tamen ad Deum quodammodo mente prosequendum.[12]

22. [*Recens relativismi forma*]. Periculose etiam a vero discedunt qui sentiunt enuntiationes et conceptus quibus veritates revelatae communicantur, impares esse ad res divinas omnino vere significandas, etsi utique incomplete et imperfecte; sed habendos esse ut approximationes semper mutabiles semperque denuo corrigendas prout postulet sive altior quidam sensus mysterii quod creditur, sive ortus novae formae humanae cogitationis. Dum contra Deus revelans et Ecclesia quae, Deo adiuvante, munus exercet custodis et interpretis totius revelatae veritatis, aperte significant, se non intendere loqui symbolice tantum, sed saepe etiam proprie, atque assensum plenum immutabilemque postulant doctrinae fidei illo sensu intellectae quem eorum sermones declarationesque exhibent.[13]

23. [*Externa revelationis signa*]. Etsi fides salutaris qua Deo credimus procedit e lumine divinitus in mentem immisso, secundum illud Ioannis: « Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius » (*I Io.* 5, 20), nihilominus gratia fidei de more non prodit se aperte in mente, sed manet quodammodo velata in ea. Sapientissimus igitur Deus, volens ut fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset (cf. *Rom.* 12, 1), internis Spiritus Sancti auxiliis coniunxit multiplicia revelationis signa, eaque imprimis externa, congruenter ad indolem publicam revelationis necnon ad naturam socialem hominum qui ad fidem vocantur. Quae quidem signa efficiunt, ut recta ratio divinam revelationis originem certis argumentis probare valeat.[14]

24. [*Primatus quidam miraculorum et prophetiarum*]. Inter ea signa, pro conspectiore argumento quod praestant, eminent miracula et prophetiae, quae produnt singularem interventum summae potentiae et sapientiae Dei signa dantis hominibus;[15] quae nonnisi ob praeiudicatas falsas opiniones a limine negantur, et de quibus Dominus noster declaravit: « Opera enim, quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me » (*Io.* 5, 36) etiamque: « Scrutamini Scripturas, ... illae sunt quae testimonium perhibent de me » (*Io.* 5, 39).

25. [*Resurrectio Christi, prophetiae messianicae, Christus ipse*]. Ecclesia autem maximum in genere miraculorum signum habuit et habet resurrectionem corporalem Christi quae, et sepulchro deprehenso vacuo, et apparitionibus ipsiusmet Redivivi, fulgens signum historicum facta est. In genere argumentorum ex prophetiis desumptorum, Ecclesia plurimum semper aestimavit admirandam in Christo Iesu adimpletionem propheticae exspectationis Messiae et regni eius. Qua de re scripsit iam S. Petrus: « Habemus fir-

miorem propheticum sermonem cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat » (*II Petr.* 1, 19). Non autem diffitendum est sublime signum divinum, ad quod humana ratio difficiliorem utique aditum habet, quod tamen humilibus corde, qui Spiritu Dei aguntur, plurimum splendere potest, esse ipsum Iesum Magistrum. Cuius extraordinaria sapientia et sanctitas confirmat testimonium quod de se dedit, ut ipse, inter se atque miracula sua distinguens, dicere potuerit: « Si mihi non vultis credere, operibus credite » (*Io.* 10, 38).[16]

26. [*Praestantia quaedam signi Ecclesiae*]. Ecclesia autem, pro sua etiam nunc in orbe terrarum praesentia ac pro abundantia donorum quibus Christus eam ornare non destitit, et ipsa per se inter revelationis signa praestat. « Ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis »,[17] ac veluti signum levatum in nationes (cf. *Is.* 11, 12).[18]

27. [*Testimonia signaque interna*]. Sic fit, ut iis qui ad admirabilem revelationis lucem accedunt aut in eadem permanent, largus aditus pateat ad congruam notitiam acquirendam eamque augendam externorum signorum et probationum quae divinam revelationem invicte confirmant. Quibus signis et argumentis accedunt plures formae interni testimonii vocationisque ad credendum. Quibus Deus ita mentem percellere potest, ut complere etiam valeant ea quae obscura interdum manent in notitia signorum externorum; immo quae, aliquando, Deo largiente, proprii luminis abundantia sese substituere valent in aliorum signorum locum.[19] Talia autem interna testimonia atque signa, quibus Deus, ut ait sanctus Paulus, in cordibus illucet (cf. *II Cor.* 4, 6), sicut praetermittenda non sunt, ita neque in maius extollenda, praesertim cum externorum manifestiorumque signorum despectu. Synodus enim Vaticana Prima, de signis christianae revelationis agens, sollemniter prohibuit ne quis censeret « sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere ».[20]

28. [*Credere Deum, Deo et in Deum*]. Quod si fides salutaris argumentis quae divinam revelationis originem probant, praeparatur atque protegitur, non tamen eisdem acquiritur; quin potius consensu humili suscipitur ut donum gratiae Dei. Ea enim fide non amplectimur divinam revelationem, nisi postquam haec credenda exhibita est iudicio ex divino lumine procedente; immo ipse fidei actus est plenum intellectus et voluntatis obsequium, quo homo, impulsus et tractus gratia Dei (cf. *Io.* 6, 44), credit Deo, Deum et in Deum: Deo nempe ut infallibili magistro innititur, ac Deum in tota doctrina revelata affirmat, dum sancto desiderio in Deum salutem nostram libere movetur.[21]

NOTAE

[1] Citantur in hac prima nota textus Magisterii qui directe aut indirecte conferunt ad iustificandam notionem revelationis ut locutionis Dei attestantis prouti declaratur in Constitutione. Quae declaratio opportuna videtur, ut traditionalis

revelationis notio, in Sacra Scriptura etiam fundata, protegatur contra sententias minus rectas in quas, praeeuntibus auctoribus protestantibus, aliqui etiam catholici theologi inclinant. Sequuntur nunc textus Magisterii:

1. *Symbolum Epiphanii*: DENZ. 13: « Credimus et in Spiritum Sanctum, qui *locutus est* in lege, et per prophetas praedicavit, et ad Iordanem descendit, in apostolis *locutus est,* et in sanctis habitat ».

2. *Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum*: DENZ. 86: « Credimus ... et in Spiritum Sanctum, ... qui *locutus est* per sanctos Prophetas ».

3. *Conc. Constantinopolitanum II*: DENZ. 212: « Confitemur fidem tenere et praedicare ab initio donatam a magno Deo et Salvatore nostro Iesu Christo sanctis Apostolis et ab illis in universo mundo *praedicatam,* quam et sancti Patres confessi sunt et explanaverunt ... ».

4. *Conc. Lateranense IV*: DENZ. 428-429: « Haec sancta Trinitas, ... primo per Moysen et sanctos Prophetas aliosque famulos suos, iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, *doctrinam humano generi tribuit salutarem.* Et tandem unigenitus Dei Filius Iesus Christus ... viam vitae manifestius demonstravit ».

5. *Conc. Florentinum*: DENZ. 706: « Sacrosancta Romana Ecclesia ... unum atque eumdem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est, Legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem; quoniam eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti *Sancti locuti sunt* ».

6. *Conc. Tridentinum,* Sess. IV: DENZ. 783: « ... puritas ipsa Evangelii ... quod *promissum* ante per Prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Iesus Christus Dei Filius *proprio ore primum promulgavit,* deinde per suos Apostolos tanquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae *praedicari* iussit ».

7. *Conc. Tridentinum,* Sess. VI: *Decretum de iustificatione,* cap. 6: DENZ. 798: « Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum ... fidem *ex auditu* concipientes, libere moventur in Deum ».

8. PIUS IX, Encycl. *Qui pluribus,* 9 nov. 1846: DENZ. 1636: « Et sane cum sanctissima nostra religio non ab humana ratione fuerit inventa, sed a Deo hominibus clementissime *patefacta,* tum quisque vel facile intelligit, religionem ipsam ex eiusdem Dei *loquentis auctoritate omnem suam vim acquirere* ».

9. PIUS IX, *ibid.*: cf. DENZ. 1637.

10. *Conc. Vaticanum I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 2: DENZ. 1785: « Eadem sancta mater Ecclesia tenet ac docet ... placuisse eius [Dei] sapientiae et bonitati, ... seipsum et aeterna voluntatis suae decreta humano generi *revelare,* dicente Apostolo: "Multifariam multisque modis olim Deus *loquens* patribus in Prophetis: novissime diebus istis *locutus est* nobis in Filio" [*Hebr.* 1, 1 s.] ».

11. *Conc. Vaticanum I, ibid.*: DENZ. 1787: « Haec porro supernaturalis revelatio ... continetur in *libris scriptis* et sine scripto traditionibus, quae ipsius *Christi ore* ab Apostolis acceptae, aut (ab) ipsis Apostolis *Spiritu Sancto dictante* quasi per manus *traditae,* ad nos usque pervenerunt ».

12. *Conc. Vat. I, ibid.,* cap. 3: DENZ. 1792: « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae *in verbo Dei scripto vel tradito continentur* »; DENZ. 1793: « Ecclesiam instituit [Deus per Filium suum] ... ut ea tamquam custos et magistra *verbi revelati* ab omnibus posset agnosci ».

13. *Conc. Vat. I, ibid.,* cap. 4: DENZ. 1800: « *Fidei doctrina,* quam Deus revelavit, ... tanquam divinum depositum Christi Sponsae *tradita* »; cf. Sess. IV,

Const. dogm. *de Ecclesia Christi,* cap. 4: DENZ. 1836: « *Traditam revelationem* seu fidei depositum ».

14. *Conc. Vat. I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 3: DENZ. 1791: « Nemo tamen "*evangelicae praedicationi* consentire" potest, sicut oportet ad salutem consequendam, "absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati" »; coll. *Conc. Arausicano II* (a. 529): DENZ. 178 s.

15. LEO XIII, Ep. *Testem benevolentiae,* 22 ian. 1899: DENZ. 1967: « Id autem non de vivendi solum disciplina, sed de *doctrinis* etiam, quibus fidei depositum continetur, intelligendum esse multi arbitrantur ».

16. *Iusiurandum contra errores modernismi*: DENZ. 2145: « *Fidei doctrinam* ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque *transmissam,* sincere recipio ... Certissime teneo ... fidem ... [esse] verum assensum intellectus veritati *extrinsecus acceptae ex auditu,* quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac Domino nostro *dicta, testata et revelata* sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis ».

17. Decr. S. Off. *Lamentabili,* 3 iul. 1907: DENZ. 2059 damnatur prop. 59: « Christus determinatum *doctrinae corpus* omnibus temporibus cunctisque hominibus acceptabile non docuit, sed potius inchoavit motum quendam religiosum diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum ».

18. *C.I.C.,* can. 1322, 1: « Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit, ut ipsa, Spiritu Sancto iugiter assistente, *doctrinam* revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret ».

19. PIUS XI, *Mortalium animos,* 6 ian. 1928: *A.A.S.* 20 (1928), p. 8: « Liquet inde, veram religionem esse posse nullam praeter eam quae *verbo Dei* revelato nititur ». *Ibid.,* pp. 11-12: « Utrumque Christi praeceptum ... alterum scilicet *docendi,* alterum *credendi* ad aeternae salutis adeptionem, ne intelligi quidem potest, nisi Ecclesia *evangelicam doctrinam* proponat integram ac perspicuam, sitque in ea proponenda a quovis errandi periculo immunis ». *Ibid.,* p. 14: « *revelatae doctrinae* » [p. 14].

20. PIUS XI, *Mit brennender Sorge,* 14 mart. 1937: *A.A.S.* 29 (1937), p. 156: « Revelatio sensu christiana est *verbum Dei ad homines* [Offenbarung im christlichen Sinn ist das Wort Gottes en die Menschen] ».

[2] Cf. *Conc. Arausicanum II,* can. 7: DENZ. 180;
Conc. Vat. I, Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 3: DENZ. 1791.

[3] Ad rem S. AUGUSTINUS, *De vera religione,* XXV, 46: *PL* 34, 142: « Quid autem agatur cum genere humano, per historiam commendari voluit [Deus] et per prophetiam ».

[4] Constitutio intendit ex una parte agnoscere ea quae vera sunt in eis quae multi dicunt de indole historica obiecti revelationis, sed ex altera parte improbare ea quae falso de ea re dicuntur. Non desunt qui, anti-intellectualismo imbuti, velint statuere revelationem constitutam esse eventibus salutaribus, quibus sermones legatorum Dei subsidiarie tantum additi essent; quod significat fidem christianam iis sermonibus adiuvari posse, sed non regi debere. Scripsit G. TYRREL, *Through Scylla and Charybdis,* London, p. 287: « Revelation is not a statement, but a "showing". God speaks by deeds not by words ». Plures protestantes similia placita proferunt; quidam catholici periculose efferunt solum adspectum historicum, solos eventus in divina revelatione.

[5] *Conc. Vat. I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: DENZ. 1800.

[6] Iam modernistae opponebant revelationem ut experientiam et impressionem eventuum, quam admittebant, revelationi ut doctrinae divinitus propositae ad credendum, quam reiiciebant. « Revelation — ita iterum TYRREL [*op. cit.*, p. 280] — belongs rather to the category of impressions, than to that of expression »; itemque [p. 213]: « Faith is now an intellectual assent to this revealed theology as deriving directly from the divine intellect; it is no longer the adhesion of the whole man, heart, mind and soul, to the divine spirit within—primarily a spirit of life and love, and only thereby a guide or beacon leading the mind gradually to a fuller instinctive apprehension of the religious truth implicit in the inspirations of grace ».

Non desunt catholici qui ab huiusmodi placitis non satis se avertant, cum dicant Deum non revelasse doctrinam, et obiectum fidei esse historiam, non doctrinam.

[7] PIUS XI, *Mit brennender Sorge,* 17 mart. 1937: *A.A.S.* 29 (1937), p. 150: « In Jesus Christus, dem menschgewordenen Gottessohn, ist die Fülle der göttlichen Offenbarung erschienen ».

[8] *Conc. Vat. I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 3: DENZ. 1789 et 1792.

[9] Tendentiae quae corriguntur in hoc numero 20 sunt veluti applicatio, ad adventum Christi, tendentiarum de quibus Constitutio egit sub duobus numeris praecedentibus. Quae hic corriguntur indebite efferunt adspectum mysticum fidei indebiteque deprimunt adspectum eius doctrinalem. Plura huiusmodi inveniuntur apud auctores protestantes, quorum opinione aliqui catholici quadantenus moventur.

[10] Decr. S. Off. *Lamentabili,* 3 iul. 1907: DENZ. 2020.

[11] S. PIUS X, Encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907: DENZ. 2075.

[12] Primi duo errores hic notati sunt errores modernistarum quales damnantur in Decreto *Lamentabili* et in Encycl. *Pascendi.* Tertia opinio, quae a prioribus non adeo differt, desumitur ex auctore H. DUMERY, qui inter alia sequentia habet: « Le sujet pénétré en son fond par la présence de l'Absolu, ne peut la reconnaître qu'en la réfléchissant; il la projette sur les objets extérieurs (le sacré) ou sur ses objets intérieurs (sanctification de ses intentions, de ses actes psychologiques, de ses conduites) » [*Philosophie de la religion,* t. II, p. 189, n. 4];

« Il n'y a de religion que révélante et révélée: le processus de révélation se confond avec la suite des démarches que la conscience doit accomplir pour viser l'Absolu *par* et *dans* les représentations qu'elle parvient à s'en faire » [*op. cit.,* p. 254, n. 4];

« Le christianisme obéit à une règle générale: il établit une visée de Dieu sur une sélection de faits ou d'objets "révélateurs de Dieu" selon le processus de toutes les hiérophanies connues dans l'histoire. Sa supériorité éclate néanmoins dans l'excellence de son choix: il n'insinue pas le sacré dans les choses, il ne le dépose pas sur des êtres dépourvus de raison; il le dépose sur des hommes — les écrivains bibliques — spécialement sur un homme en qui la "révélation" culmine parce qu'il professe l'universel de la charité et qu'on ne voit rien qui puisse être ajouté au commandement de l'amour » [*Encyclopédie française,* t. XIX, art. *Foi, dogmes et sacrements,* 19, 38, 10].

[13] Ea est relativismi dogmatici et theologici forma quae reprobatur a PIO XII in Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.* 42 (1950), pp. 565-567.

[14] Vide *Conc. Vat. I,* Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: DENZ. 1795, et can. 4 *De fide*: DENZ. 1813.

Haec paragraphus praesentis Constitutionis non multa nova addit (quaedam tamen circa congruentiam signorum externorum cum natura hominis). Est autem fere necessaria ad praeparanda ea quae sequuntur de diversis signis.

[15] *Conc. Vat. I*, Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.*, cap. 3: DENZ. 1790.

[16] Recolitur doctrina *Conc. Vat. I*, quia a pluribus oblivioni mandatur [DENZ. 1795, 1813]. Praeterea explicatur in quo consistat primatus miraculorum et prophetiarum. Additur, quia hodie valde opportuna esse videtur, aliqua nota circa resurrectionem Iesu ut signum historicum et circa prophetias messianicas. Additur etiam aliquid de signo quod ipse Iesus cum sua sapientia et sanctitate constituit, ne videatur Concilium hoc signum neglegere quod tanti momenti est multis fidelibus, divina gratia in Christum attractis.

[17] *Conc. Vat. I*, Sess. III, Const. dogm. *De fide cath.*, cap. 3: DENZ. 1794.

[18] Explicatur in quo consistat primatus signi quod est Ecclesia. Nihil additur descriptioni signi Ecclesiae a Concilio Vaticano I datae, quia additio deberet rem perficere, sed nulli sententiae privatae magis quam alii etiam licitae favere. Hoc autem videtur difficile.

[19] Audiamus S. THOMAM, in: *Summa Theol.*, II-II, q. 2, a. 9, ad 3: « Ille qui credit habet sufficiens inductivum ad credendum: inducitur enim auctoritate divinae doctrinae miraculis confirmatae, et, quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis, unde non leviter credit. Tamen non habet sufficiens inductivum ad sciendum. Et ideo non tollitur ratio meriti »;

Quodlib. II, q. 4, a. 6, ad 3: « Interior instinctus, quo Christus poterat se manifestare sine miraculis exterioribus, pertinet ad virtutem Primae Veritatis, quae interius homines illustrat et docet »; cf. etiam *loc. laud.* ad 2.

In Adnotationibus in Schemata prosynodalia Concilii Vaticani, haec habentur: « Tenendum etiam est, gratiam Dei internam supplere id, quod pro huiusmodi hominibus [rudibus] deficit in propositione fidei externa. Sed non propterea propositio fidei per motiva captui accommodata et diligentia necessaria negari ac totum ad internam experientiam et ad internum instinctum revocari potest ». [*Coll. Lac.*, t. VII. col. 1623].

[20] *Conc. Vat. I*, Sess. III, *Canones* [*de fide cath.*]: DENZ. 1812.

[21] Cf. *Conc. Trid.*, Sess. VI, Decr. *de iustificatione*, cap. 6: DENZ. 798.

CAPUT 5

DE PROGRESSU DOCTRINAE

29. [*Thesaurus veritatis a Christo accipiendus est*]. Sancta Vaticana Synodus secunda firmiter profitetur thesaurum veritatis, quo vita christiana usque ad finem mundi alenda est, a Christo Iesu, auctore et consummatore fidei (cf. *Hebr.* 12, 2), hac ratione fuisse acceptum ut, postquam cum Apostolis completus fuit,[1] augeri amplius non possit,[2] sed tamquam pretiosum depositum (*I Tim.* 6, 20) ab Ecclesia fideliter custodiendus sit.[3]

30. [*Custodiendi thesauri fidei ratio*]. Quoniam vero hic thesaurus efficaciter et fructuose non custoditur mera librorum conservatione et verborum repetitione, sed viventi magisterio, quo Ecclesia fidem et mores vere dirigat,[4] utique prout postulant sincera revelatorum intelligentia [5] et errantium im-

pugnationes [6] atque temporum necessitates noviterque ortae quaestiones [7] nec minus Christianorum pietas inducens ad altiorem divitiarum Christi investigationem,[8] idcirco Sancta Synodus docet ipsa natura sacri magisterii postulari tum investigationem revelationis fontium, tum ipsorum mysteriorum sedulam et piam atque sobriam inquisitionem.

Quae inquisitio mentes a divina revelatione nullatenus avellit; nam eo non tendit ut divinitus tradita humanis inventis transformet et substituat,[9] sed ut divitias in ipsa revelatione latentes scrutetur atque declaret,[10] iis sane viis quae connexionem cum revelatis adamussim servent.[11]

31. [*Progressus doctrinalis affirmatio*]. Quapropter Sancta Synodus agnoscit et profitetur in Ecclesia Christi verum doctrinae progressum peragi, adeo ut etiam novae definitiones veritatis revelatae haberi valeant; [12] sed illum tantum legitimum declarat, qui incrementum humanae de revelatis cognitionis ita sequatur, ut omnis doctrina ab Ecclesia tradita Christi Iesu auctoritate fulciatur.

32. [*Privatarum revelationum valor*].[13] Circa privatas autem revelationes, quae post mortem Apostolorum ferantur, Sancta Synodus declarat eas iudicio Pastorum Ecclesiae penitus subiiciendas esse, ne fideles seducantur, cum Christus monuerit: « Pseudoprophetae surgent, et seducent multos » (*Mt.* 24, 11); docet insuper easdem tunc solum consideratione dignas esse, si cum veritatibus in publico fidei thesauro contentis omnino concordent et ad vitam christianam sub Pastorum ductu exercendam impellant; eas ecclesiasticis institutionibus occasionem dare non posse, nisi aliunde fundamentum dogmaticum habeant; numquam earum praetextu novas doctrinas induci, vel coepta nova invita Ecclesia inchoari posse.

Ceterum, cum ipse Dominus significaverit charismata et miracula semper fore in Ecclesia, Apostolus vero monuerit: « Spiritum nolite extinguere » (*I Thess.* 5, 19), has revelationes privatas necnon alia dona charismatica, dummodo idonea divinae originis signa ostendant, Ecclesia reverenter suscipit secundum verba Doctoris gentium: « Omnia autem probate, quod bonum est tenete » (*I Thess.* 5, 21). Attamen christifideles strenue cohibeant curiositatem, qua immoderate ad mira, non satis probata ab Ecclesiae Pastoribus, feruntur. Sunt enim qui talia prosequuntur ac si Depositum ipsum insufficiens esset ad vitam christianam fovendam, vel extra Depositum spes ovibus Christi foret uberiora pascua reperiendi.

NOTAE

[1] *Conc. Trid.*, Sess. IV: DENZ. 783; Decr. S. Off. *Lamentabili,* 3 iul. 1907, prop. 21: DENZ. 2021.

[2] Breve *Eximiam tuam* ad Archiep. Coloniensem, 15 iun. 1857 (contra Guenther): DENZ. 1656; PIUS IX, *Syllabus,* prop. 5: DENZ. 1705; *Conc. Vat. I,* Cost. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: DENZ. 1800.

[3] *Conc. Vat. I,* Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: DENZ. 1800; PIUS XII, *Humani generis*: DENZ. 2307, 2313, 2314.

[4] Leo X, *Exsurge Domine,* 15 iun. 1520: Denz. 767; Pius XII, *Humani generis*: Denz. 2313.

[5] *Conc. Vat. I,* Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: Denz. 1796;

Pius XII, *Humani generis,* 12 aug. 1950: Denz. 2314.

[6] S. Simplicius, Epist. *Quantum presbyterorum* (ann. 476): Denz. 159: « ... Hortor (ergo), frater carissime, ut modis omnibus faciendae synodi perversorum conatibus resistatur, quae non alias semper indicta est, nisi cum aliquid in pravis sensibus novum aut in assertione dogmatum emersit ambiguum: ut in commune tractantibus, si quae esset obscuritas, sacerdotalis deliberationis illuminaret auctoritas ... »;

S. Gelasius I, Epist. *Licet inter varias*: Denz. 161;

Pius IX, *Gravissimas inter* ad Episc. Monaco-Frising. (contra Frohschammer): Denz. 1675;

Pius XII, *Humani generis*: Denz. 2308; *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.* 35 (1943), pp. 197-198.

[7] Pius XII, *Mystici Corporis*: *ibid.,* p. 196.

[8] Maxime in re morali, progrediente cultura, oriuntur nova problemata; attamen etiam in ordine magis speculativo progressus fit ob necessitates religiosas recenter exortas: cf. *Mystici Corporis*: *ibid.,* pp. 196-197.

[9] Pius IX, *Eximiam tuam*: Denz. 1656; *Syllabus,* prop. 5: Denz. 1705;

Conc. Vat. I, Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: Denz. 1800; Const. dogm. I *De Eccl. Christi,* cap. 4: Denz. 1836; « ... Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent ».

[10] S. Simplicius, epist. *Quantum presbyterorum,* 9 ian. 476: Denz. 159; S. Gelasius I, epist. *Licet inter varias,* 28 iul. 493 (?): Denz. 161.

[11] *Conc. Vat. I,* Const. dogm. *De fide cath.,* cap. 4: Denz. 1800; coll. can. 3: Denz. 1818;

Decr. S. Off. *Lamentabili,* prop. 59-65: Denz. 2059-2065; S. Pius X, Encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907: Denz. 2080.

[12] Pius IX, *Bulla Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: Denz. 1641;

Conc. Vat. I. Const. dogm. *De Eccl. Christi,* cap. 3: Denz. 1831; cap. 4: Denz 1838;

Pius XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: Denz. 2332.

[13] Benedictus XIV: *De servorum Dei beatif. et beat. canoniz.,* Prati, 1840, l. III, c. 52-53. Ita, cap. 53, n. 15: « Revelationibus [privatis], etsi approbatis, non debere, nec posse a nobis exhiberi assensum fidei catholicae, sed tantum fidei humanae, iuxta regulas prudentiae, iuxta quas praedictae revelationes sunt probabiles et pie credibiles »;

Cf. etiam, *ibid.*, II, 32.

Benedictus XV, *Ecclesiae consuetudo,* 13 maii 1920: *A.A.S.* 12 (1920), p. 486.

S. Pius X, Encycl. *Pascendi*: *A.A.S.* 40 (1907), p. 649: « Quum autem de piis traditionibus iudicium fuerit, illud meminisse oportet: Ecclesiam tanta in hac re uti prudentia, ut traditiones eiusmodi ne scripto narrari permittat nisi cautione multa adhibita praemissaque declaratione ab Urbano VIII sancita; quod etsi rite fiat, non tamen facti veritatem adserit, sed, nisi humana ad credendum argumenta

desint, credi modo non prohibet. Sic plane sacrum Consilium legitimis ritibus tuendis, abhinc annis XXX, edicebat [Decr. 2 maii 1877]: " Eiusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam ". Hoc qui teneat, metu omni vacabit. Nam Apparitionis cuiusvis religio, prout factum ipsum spectat et relativa dicitur, conditionem semper habet implicitam de veritate facti: prout vero absoluta est, semper in veritate nititur, fertur enim in personas ipsas Sanctorum qui honorantur ».

Pius XI, *Miserentissimus Redemptor,* 8 maii 1928: *A.A.S.* 20 (1928), pp. 177-178.

Pius XII, *Haurietis aquas,* 15 maii 1956: *A.A.S.* 48 (1956), pp. 328, 346-348; cf. *ibid.,* p. 340: « non proprie rationem habens privatae cuiusvis patefactionis divinitus patratae ... ».

Caput 6

DE DISTINCTIONE ET CONVENIENTIA ORDINIS NATURALIS ET SUPERNATURALIS

33. [*Deus auctor naturae et largitor gratiae*]. Cum, iuxta Scripturae sanctorumque Patrum doctrinam, « quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo »,[1] credit et profitetur Sacrosancta Synodus omnipotentem Deum, cuius essentia bonitas, hominem ab initio creasse ad imaginem et similitudinem suam eumque ad sui visionem beatificam vocasse per donum gratiae consequendam.

34. [*Magna hominis dignitas, qui natura sua ordinatur ad servitium Dei*]. Homo quidem, universitatis rerum visibilium caput et corona (cf. *Ps.* 8, 6-9) [2] utpote anima praeditus rationali, in qua imago Dei resplendet (cf. *Gen.* 1, 27),[3] sua ipsa natura ordinatur ad serviendum Deo eique cultum praestandum adorationis, amoris et laudis.

Voluit autem Deus, liberrimo suae voluntatis consilio, hominem ad consortium divinae naturae sublimare, ut qui natura potius est servus, adoptionis gratia esset filius, qui Creatorem suum coleret non solum tamquam Dominum, verum etiam tamquam Patrem, auctus virtute fidei, spei et caritatis, atque, exacto probationis tempore, ad vitam sempiternam in perfecta fruitione SS. Trinitatis perveniret.[4]

35. [*Mysterium nostrae elevationis ad ordinem supernaturalem*]. Porro Sacrosancta Synodus dilectionis divinae mysterium agnoscens atque summas grates largitori Deo rependens, fideles docet, tantum donum simul esse naturae humanae gratuitum et mire conveniens.[5]

Hominis quippe exaltatio in consortium divinae naturae per adoptionis gratiam, quae hisce in terris est aeternae gloriae quaedam inchoatio, excedit vires et exigentias humanae naturae, ideoque gratuitum Dei beneficium dicenda est, seu, ut aiunt Ecclesiae Doctores, sanctorum Patrum doctrinam

sectando, donum supernaturale.[6] « Oculus non vidit, inquit Apostolus, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum » (*I Cor.* 2, 9).

Eorundem tamen Patrum ac Doctorum praeeunte doctrina, agnoscenda est in humana natura non solum capacitas ad supernaturale hoc donum suscipiendum,[7] verum etiam admirabilis convenientia. Homo enim ad imaginem Dei creatus, naturale gerit desiderium quod in nullo bono finito ex toto quiescere potest,[8] atque Dei visione ultimam ac perfectam, qua adepta nihil remaneat appetendum, consequitur beatitudinem.[9]

36. [*Finis supernaturalis est unicus finis ad quem, etiam post peccatum, homo ordinatus manet*]. Ex summa vero benignitate qua nos Deus ad ordinem supernaturalem vocavit, illud enascitur, quod homo nonnisi unum habeat ultimum finem, ad quem ex Dei consilio, etiam post peccatum, ordinatus manet, quem finem si non attingat, etiamsi naturae bonis plurimum gavisus fuerit, nihil ei prodest, cum finem ne naturalem quidem attingat (cf. *Mt.* 16, 26).

37. [*Gratia perficit naturam*]. In supernaturali autem fine et ille naturalis, ad quem viribus suae naturae homo pertingere potuisset, continetur tamquam perfectibilis in perfecto, et ipsius bona naturae, quae caelesti statui congruunt, servantur ac perficiuntur. Etenim tantum abest, ut ordo supernaturalis naturalem ordinem destruat atque extenuet, ut, contra, eundem extollat atque perficiat,[10] eidem auxilium praestans ac eiusdem insitas capacitates complens.

38. [*Errores reprobantur*]. Igitur Sacrosancta Synodus tum eorum reprobat errores, qui, non apte inter ordinem naturalem et supernaturalem distinguentes, vocationem hominis ad statum gratiae et gloriae debitam esse naturae humanae, aut ei a Deo necessario concedendam asseverent; tum eorum, qui, naturalismo aut falso humanismo abrepti, eo usque ingrati exsistunt gratiae Dei, ut eadem dona aut spernant aut summe esse appetenda negent.

NOTAE

[1] S. LEO M., *Sermo* 12, 1: *PL* 54, 168. Huc faciunt omnes textus S. Scripturae qui de *reconciliatione, restitutione, renovatione* ... per Christum operata loquuntur, qui tamen omnes apte in verbis citatis S. Leonis perstringi videntur.

[2] Vide etiam *Sap.* 9, 2-3 et 10, 1-2; *Gen.* 1, 28-30; *Eccli.* 17, 1-2.

[3] Vide quoque *Eccli.* 17, 1; *I Cor.* 11, 7; *Col.* 3, 10.

[4] PIUS XII, *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.* 35 (1943), p. 232.

[5] Urgendi videntur duo limites veritatis catholicae circa mysterium nostrae elevationis ad ordinem supernaturalem, nempe gratuitas et summa convenientia, extra quos limites manet tantummodo libertas erroris.

[6] Cf. damnatos errores Baii, prop. 21: DENZ. 1021; Paschasii Quesnel, prop. 35: DENZ. 1385; Synodi Pistoriensi, prop. 16: DENZ. 1516;

S. PIUS X, Encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907: DENZ. 2103, necnon PII XII, Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: DENZ. 2318.

[7] S. PIUS X, Encycl. *Pascendi*: DENZ. 2103: « Hic autem queri vehementer Nos iterum oportet, non desiderari e catholicis hominibus, qui ... in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam ».

S. AUGUSTINUS, *De Trin.,* XIV, 8, 11: *PL* 42, 1045: « Eo quippe ipso imago eius est, quo eius capax est eiusque particeps esse potest »;

ID., *De Trin.,* XIV, 4, 6: *PL* 42, 1040: « quia summae naturae capax est, et esse particeps potest, magna natura est [homo] ».

S. THOMAS, *Summa Theol.,* I-II, q. 113, a. 10: « et quantum ad hoc, iustificatio impii non est miraculosa, quia naturaliter anima est gratiae capax, eo enim ipso quod facta est ad imaginem Dei, capax est Dei per gratiam, ut Augustinus dicit »;

ID., *Summa Theol.,* III, q. 9, a. 2, ad 3: « Visio seu scientia beata est quodammodo supra naturam animae rationalis, in quantum scilicet propria virtute ad eam pervenire non potest; alio modo vero est secundum naturam ipsius, in quantum scilicet capax est eius, prout scilicet ad imaginem Dei facta est, ut supra dictum est [in corp. art.] ».

[8] S. AUGUSTINUS, *Confess.* I, 1, 1: PL 32, 661: « Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te ».

S. THOMAS, *Summa contra Gent.,* III, c. 50: « Nihil finitum desiderium intellectus quietare potest ».

[9] S. AUGUSTINUS, *De Civ. Dei,* XII, 1, 3: *PL* 41, 349: « ...in tanta excellentia creata est [rationalis natura], ut ... [non] expleat indigentiam suam nisi utique beata sit, eique explendae non sufficiat nisi Deus ».

S. THOMAS, *Summa Theol.,* I-II, q. 3, a. 8: « Ultima et perfecta beatitudo non potest esse nisi in visione divinae essentiae »;

Ibid., I-II, q. 2, a. 8: « Impossibile est beatitudinem hominis esse in aliquo bono creato ».

Eadem recinunt auctores qui de hominis fine ultimo, qui totaliter quietet appetitum, loquuntur idem adhibentes S. Thomae argumentum.

[10] PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: DENZ. 2206.

CAPUT 7

DE SPIRITISMO ET NOVISSIMIS

39. [*Praxis perniciosa Spiritismi*]. Inter multiplices huius temporis errores, fidem atque animos christifidelium conturbantes, recolendus est etiam Spiritismus, quo cum spiritibus vel animabus separatis sensibilis communicatio humana industria provocari intenditur ad varias notitias vel auxilia consequenda. In sacris autem litteris gravissima obiurgatione redarguuntur tum qui superstitionem divinationis, veneficii, magiae et evocationis animarum vel spirituum exercent, tum qui ad eos consulendos declinant iisque fidem accommodant. « Nec inveniatur in te, [ait Dominus Deus], qui ariolos sciscitetur et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incan-

tator, nec qui pythones consulat nec divinos aut quaerat a mortuis veritatem. Omnia enim haec abominatur Dominus ».[1] Apostolica vero Sedes non praetermisit variis suis magisterii documentis huic malo occurrere.[2] Cum autem late in societate serpere atque in dies diffundi superstitionem hanc perniciosissimam innotescat, Sacrum Concilium divina Lege omnino prohibitum esse declarat, utpote peccatum grave contra religionem, velle tum animas mortuorum seu « desincarnatas » ut aiunt evocare, tum perceptibilem cum quibuscumque aliis spiritibus communicationem ad quemcumque finem consequendum provocare, sive id fiat privatim in domibus, aut publice in sessionibus ad id destinatis; sive per tabulas rotantes, per scripturam automaticam seu « psychographiam » ut dicunt, per locutiones, auditiones et visiones, vel quocumque alio modo; etiamsi habeatur intentio sese dirigendi ad solos spiritus bonos et tota res speciem honestatis, pietatis atque religionis praeseferat. Vetat insuper omnes christifideles, ne vel ex mera curiositate sessionibus spiritisticis aut aliis eiusdem generis coetibus intersint aut quocumque modo faveant.

40. [*Praxis superstitiosa et magica*]. Abstineant etiam fideles ab astrologia seu horoscopia, et ab omni alia divinatione superstitiosa. Horrore quoque Sacra Synodus advertit plures qui se christianos dicunt, tanta erroris caligine esse obnubilatos, ut aliis pavorem iniiciant suis maleficiis, veneficiis vel sussurris magicis. Non desunt autem qui, ut a commenticiis istis malis se tueantur, ad non minus fictas vias, vanas artes et superstitiosas orationes confugiant. Sciant ergo fideles ex Scripturis Sacris Sanctorumque Patrum doctrina constare daemones nihil omnino in homines posse nisi permittente Deo, cuius supremo imperio omnia subiiciuntur. Agnoscant autem paternam de hominibus curam Dei, qui Angelos suos ad nostram custodiam mittere dignatur. Dei enim Providentia datum est hoc negotium Angelis ut custodiant humanum genus, singulisque hominibus praesto sint ne gravius aliquod detrimentum accipiant.[3]

41. [*Falsae doctrinae Spiritismi*]. Spiritismus insuper etiam ut ideologia quaedam, immo et ut religiosa persuasio propagatur. Effata vero quae spiritismi cultores nomine spirituum vel animarum separatarum cum hominibus tradi contendunt, plane saepe christianae doctrinae adversantur. Quamvis non omnes eandem doctrinam praedicent, in ratione reincarnationis animae atque pluralitatis terrestris vitae perplures non solum spiritisticae sectae conveniunt, sed etiam haud paucae theosophicae, esotericae vel occultisticae, quae perniciose animas a veritate catholica avertere novissimis hisce temporibus satagunt. Ipsius animae longam evolutionem ac praeexsistentiam docent; unicitatem corporalis exsistentiae necnon iudicium particulare ac definitivum statim post mortem denegant; Christum Redemptorem nostrum infitiantur, unumquemque asserendo ope repetitae in corpore vitae sui ipsius esse redemptorem; omnes salvos fieri tuentur post tot ac tantas animae reincarnationes, ideoque aeternitatem inferni impugnant; corpus denique ut merum temporale instrumentum pro animae purificatione considerant, atque

finalem omnium negant resurrectionem cum propriis corporibus. Longe tamen multumque omnia haec a vera Christi doctrina absunt.

42. [*Damnatur reincarnatio*]. Ne ergo Christifideles serpentibus istis erroribus seducantur, aliam atque aliam animae reincarnationem exspectantes, haec Sacra Synodus divinitus revelatam veritatem esse sollemniter declarat: [4] Unam tantum esse hominis exsistentiam in corpore ante finalem et communem resurrectionem. Haec est enim de sorte hominis fides catholica: post mortem, quae est vitae terrestris terminus, mox singulis ad Dei tribunal sistendum est, « ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum » (*II Cor.* 5, 10). Omnes igitur, qui cum personali peccato mortali vita funguntur, a regno Dei exclusi, cruciatus gehennae, in qua nulla est redemptio, aeternos sustinebunt. Qui vero in caritate Dei decesserint, antequam dignis paenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animae poenis purgatorii post mortem purgabuntur. Illorum denique animae, qui post baptismum nullam omnino maculam incurrerunt, aut post contractam maculam sive in corpore sive post mortem purgati sunt, mox in caelum recipientur, atque Deo uno et trino sine intermissione in omnem aeternitatem perfruentur.[5]

NOTAE

[1] *Deut.* 18, 10-12; vide insuper *Lev.* 19, 31 et 20, 6; *Is.* 8, 19-20; *Ier.* 27, 9; *Act.* 8, 9-23 et 16, 16-19 et 19, 13-20; *Gal.* 5, 20; *Apoc.* 21, 8.

[2] Praeter documenta antiquiora ALEXANDRI IV, *Quod super nonnullis,* 27 sept. 1258; IOANNIS XXI, dicti XXII, *Super illius,* anni 1326; INNOCENTII VIII, *Summis desiderantes,* 5 dec. 1484; LEONIS X, *Supernae dispositionis,* 5 maii 1514, *Honestis petentium,* 13 febr. 1521; SIXTI V, *Coeli et terrae,* 5 ian. 1585; GREGORII XV, *Omnipotentis Dei,* 20 mart. 1623; URBANI VIII, *Inscrutabilis,* 11 apr. 1631, conferas imprimis Encycl. S. Officii *de magnetismi abusu,* 4 aug. 1856: *A.S.S.* 1 (1865), pp. 177-178: DENZ. 1653-1654; Responsionem S. Officii 24 apr. 1917: *A.A.S.* 9 (1917), p. 168: DENZ. 2182; *C.I.C.,* can. 1399, 7°. De spiritismo et rebus annexis in Vaticano I, vide MANSI 53, 773; *CL* VII, 784.

[3] Cf. *Catech. Conc. Trid. ad Parochos* IV, 9, 4.

[4] De Patribus Scriptoribusque ecclesiasticis, unanimi consensu reicientibus transmigrationem animarum, tamquam rationi fideique contrariam, cf. A. BUKOWSKI, S. I.: *Le réincarnation selon les Pères de l'Eglise,* in: *Gregorianum,* 9 (1928), pp. 65-91; et: *L'opinion de Saint Augustin sur la réincarnation des âmes, ibid.,* 12 (1931), pp. 57-85.

[5] Cf. BENEDICTUS XII, *Benedictus Deus,* 29 ian. 1336: DENZ. 530; *Conc. Lugdunense II*: DENZ. 464; *Conc. Florentinum*: Decr. *pro Graecis*: DENZ. 593; *Conc. Tridentinum,* Decr. *de iustificatione*: DENZ. 807 et 840, coll. 906.

CAPUT 8

DE PECCATO ORIGINALI [1]

43. [*Introductio*]. Cum nostro etiam tempore de peccato originali eiusque transfusione in omnes homines opiniones circumferantur, quae genuinam fidei notionem corrumpunt et ipsa fundamenta vitae christianae laedunt profanis vocum novitatibus (cf. *I Tim.* 6, 20), sacrosancta Vaticana Synodus secunda necessarium esse ducit eandem de peccato originali doctrinam, a Conciliis olim definitam, iterum confirmare et declarare.

44. [*Dogma de peccato originali mysterii velamine obtectum est*]. Primum quidem enixe monet Christi fideles, ut meminerint, ad multarum aberrantium opinionum resecandam radicem, peccatum originale esse dogma fidei cui perscrutando humana ratio non sufficit.

Licet enim de exsistentia peccati, quo ab origine genus humanum infectum est, et ipsa vita hominum, aerumnis et tentationibus plena, testimonium quoddam praebeat, eiusdem tamen peccati natura, prout a revelatione credenda proponitur, mysterii velamine obtecta est; quod autem mysterium solidaritate generis humani cum Iesu Christo Redemptore aliquo modo illustratur (cf. *Rom.* 5, 17-21).

Igitur, qui moventur difficultate quaestionis, regantur oportet gubernaculo auctoritatis, quod est regula fidei; etsi enim non facili ratione indagetur, nec sermone explicetur, « verum tamen est quod antiquitus veraci fide catholica praedicatur et creditur per Ecclesiam totam ».[2]

45. [*Peccatum originale, quo homines infecti nascuntur, veram habet peccati rationem*]. Porro semper credit et praedicat ac praxi baptizandi etiam infantes universa ostendit Ecclesia peccatum, quod ab uno homine in omne genus humanum generatione transfunditur, non esse ut quorundam ferunt placita modernorum, defectum ex limitatione humanae naturae manantem, vel carentiam unionis cum societate hominum Deo servientium, vel ipsam multiplicitatem divisionemque qua universum genus humanum inde ab initio laboraret, vel solum propensionem in malum, quam omnes a nativitate experiuntur, sed esse, licet diversa ratione ac peccatum personale, vere et proprie peccatum, quod homines reos tenet eosque, nisi per regenerationem deleatur quod generatione contractum est, in perditionem trahit.

Novimus enim docente fide homines nasci expertes a vita Dei (cf. *Eph.* 4, 18), iniustos, mortuos quantum ad animam, natura filios irae (cf. *Eph.* 2, 3), qui, nisi per meritum Christi Deo reconcilientur et in Christo renascantur, vitam aeternam, ad quam destinati sunt, consequi non possunt. « Per unius delictum, ait enim Apostolus, in omnes homines in condemnationem » (*Rom.* 5, 18).

46. [*Peccatum originale est voluntarium voluntate Adae, primi parentis*]. Credit praeterea ac profitetur Ecclesia originale peccatum, quod inest unicuique proprium, non ex eo habere peccati rationem, quod homo nascendo fit

membrum societatis hominum corruptae, sed ex eo quod ab illo pendet et profluit grandi peccato, quod Adam, humani generis caput et fons, in paradiso patravit, ideoque esse « voluntarium ratione sui principii, scilicet voluntatis primi parentis ».[3] « In primo quidem Adam [Deum] offendimus, inquit venerandae traditionis testis Irenaeus,[4] non facientes eius praeceptum », et similiter Ecclesiae Doctor Ambrosius: « Omnes, inquit, in primo homine peccavimus, et per naturae successionem culpae quoque ab uno in omnes transfusa successio est ».[5]

47. [*Per peccatum originale genus humanum in deterius commutatum est*]. Item credit et profitetur Ecclesia per illam praevaricationem primi parentis universum genus humanum non solum innocentiam amisisse incurrisseque necessitatem nascendi cum carentia iustitiae debitae, verum etiam in deterius secundum corpus et animam commutatum fuisse.

Amissa enim originali iustitia, quam sibi et universae suae propagini mandatum Dei transgrediendo Adam perdidit, homines imperio mortis etiam corporalis subacti sunt et vulnera susceperunt concupiscentiae et ignorantiae; quibus eorum liberum arbitrium minime quidem exstinctum est, verum tamen attenuatum viribus et inclinatum in malum, ut non solum ad opera salutis facienda nihil valeat sine gratiae praevenientis auxilio, dicente Domino: « Sine me nihil potestis facere » (*Io.* 15, 5), sed etiam ad totam legem naturalem servandam diuque peccata vitanda, nisi divinitus liberatum adiutumque, impares habeat vires.

48. [*Peccatum originale revelatum continetur in Epistola ad Romanos*]. Tenet insuper ac profitetur sacrosancta Synodus, doctrinam Concilii Tridentini et praecedentium Conciliorum confirmans ac declarans,[6] veritatem de peccato originali, quod in omnes homines pertransiit, ab Apostolo doceri in *Epistola ad Romanos,* cap. 5, 12-19, prout verba illa Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit.

NOTAE

[1] Ad singulas paragraphos notes:

Ad § 44: *Peccatum originale naturam induit mysterii.*

Si considerentur omnia elementa, quae a revelatione de peccato originali perhibentur, nempe quod est verum peccatum et non solum poena peccati, quod est voluntarium voluntate primi parentis, quod generatione transfunditur etiam a parentibus quibus iam est remissum, quod in privatione iustitiae originalis consistit, negari non posse videtur in peccato originali naturam mysterii latere.

Tamen cavendum est ne declarando peccatum originale esse mysterium quaestionem disputatam definire velimus, scilicet utrum sola ratione ex malis huius vitae exsistentia peccati originalis demonstrari possit. Novimus S. AUGUSTINUM adhibuisse hoc argumentum (cf. v. g. *Contra Iulianum,* IV, 16, 82). S. THOMAS scribit quod « satis probabiliter probari potest huiusmodi defectus [mortem et concupiscentiam] esse poenales; et sic colligi potest humanum genus peccato aliquo originaliter esse infectum » (*Contra Gentes,* IV, 52). S. BONAVENTURA existimat « catholicis doctoribus non solum fide sed etiam rationum evidentia certitudinaliter [appa-

rere] » humanam naturam in praesentis vitae conditionem deiectam esse merito primae praevaricationis (*In II Sent.* d. 30, a. 1, q. 1).

Quapropter necessarium erat distinguere inter exsistentiam peccati originalis, cui et vita hominum plena tentationibus et aerumnis testimonium saltem probabile nemine, quantum scitur, diffitente reddit, et definitam seu accuratam notionem peccati originalis, quae tegitur mysterii velamine.

Item placuit verba S. Augustini [*referre*], quae occasione disputationum de peccato originali contra rationalismum Iuliani Eclanensis prolata sunt.

Ad § 45: *Peccatum originale veram habet peccati rationem.*

Peccatum originale veram habere rationem peccati definitum fuit in Concilio Arausicano II, can. 2 (DENZ. 175) et in Concilio Tridentino, *Decretum super peccato originali,* can. 2 (DENZ. 789). Quam notionem peccati multis modis Concilium Tridentinum exprimit; loquitur enim de *reatu* peccati originalis qui in baptismate remittitur (DENZ. 792), de peccato originali quod mors est animae (DENZ. 789), quod homines a conceptione iniustos facit (DENZ. 795), impios (DENZ. 796), Deo inimicos (DENZ. 799), filios irae (DENZ. 793), qui Deo indigent reconciliari per Dominum Christum (DENZ. 790). Praeterea Concilium Lugdunense II (DENZ. 464) et Concilium Florentinum (DENZ. 693) definierunt illorum animas qui in actuali mortali peccato vel *solo originali* decedunt, mox in infernum descendere, poenis disparibus puniendas.

Quae omnia urgenda esse videntur propter eorum opiniones qui reatum peccati originalis aut negare aut enervare contendunt, existimantes peccatum originale nihil esse aliud quam defectum humanae naturae ex eius finitudine provenientem (malum radicale), aut defectum communitatis religiosae cui ex dispositione divina homo pertinere deberet, aut propensionem vehementem qua homines ad malum feruntur, aut (obscura est sententia) rerum multiplicitatem antequam multiplicitas ope evolutionis ad unitatem redigatur.

Ad § 46: *Peccatum originale est voluntarium voluntate primi parentis.*

Urgendum videtur tum propter quorundam opiniones, qui dicunt homines trahere peccatum originale quia nascendo inseruntur in societatem hominum qui non Deo serviunt sed peccato, tum propter eos, qui polygenismum defendere conati sunt vel saltem demonstrare certum non esse quod a fide catholica excludatur.

Vide votum Patris A. TRAPÉ, O.E.S.A., *de Monogenismo* in quo quaedam argumenta proponuntur, e quibus apparet hoc ad fidem pertinere catholicam quod peccatum originale generatione transfundatur et de uno in omnes homines pertranseat.

Ad § 47: *Per peccatum originale totus homo in deterius commutatus est.*

In § 47 redigenda, iuxta desiderium a quibusdam membris Subcommissionis expressum facta est distinctio inter amissionem gratiae sanctificantis et necessitatem moriendi vulneraque ignorantiae et concupiscentiae.

Quod homo per peccatum originale sit in deterius conmutatus, cf. Concilium Arausicanum II, can. 1 (DENZ. 174) et Conc. Trid. (DENZ. 788).

De vulneribus peccati originalis praeclare S. THOMAS, I-II, q. 85, a. 3.

De libero arbitrio non exstincto quidem, sed attenuato et inclinato, cf. Conc. Trid. (DENZ. 793).

Tandem haec ipsa verba Concilii Tridentini explicantur per doctrinam de necessitate gratiae tum ad opera salutis facienda, cum ad peccata contra legem Dei

naturalem diu vitanda, quae urgenda videntur propter eos qui doctrinam pelagianam de viribus liberi arbitrii exaltando gratiae spernunt necessitatem.

Ad § 48: *Peccatum originale revelatum in Epistula ad Romanos continetur.*

Compertum est quam diversae perhibeantur interpretationes de pericope ad *Rom.* 5, 12. Porro rem dogmatice considerando, videtur Magisterium Ecclesiae authentice interpretatum fuisse verba Apostoli ita ut non liceat in alios sensus illa detorquere. Nam:

a) Concilium Carthaginense a Zosimo Summo Pontifice approbatum, postquam egerit de peccato originali quod infantes nascendo trahunt, haec addit: « Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus: "Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt", nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit » (DENZ. 102). Haec ipsa verba repetit Concilium Tridentinum (DENZ. 791).

b) Concilium Arausicanum II asserit eos qui negant peccatum originale, quod mors est animae, in omnes pertransire, contradicere Apostolo dicenti: Per unum hominem, etc. (DENZ. 175). Etiam haec verba repetit Concilium Tridentinum (DENZ. 789).

Addendum est in Concilio Tridentino inter errores, quos refellendi causa decretum de peccato originali editum est, tertio loco istum recenseri: « Tertius est Pelagianorum, quem etiam secutus est Erasmus, Paulum ad *Rom.* 5 huius peccati originalis nullam prorsus facere mentionem ».

[2] S. AUGUSTINUS, *Contra Iulianum,* VI, 5, 11: *PL* 44, 829.

[3] S. THOMAS, *Q. D. de Malo,* IV, 1, ad 1.

[4] S. IRENAEUS, *Adv. Haeres.* V, 16, 3: *PG* 7, 1177.

[5] S. AMBROSIUS, *Apologia prophetae David,* II, 12, 71: *PL* 14, 915; *CSEL* 32, 2, 276.

[6] Cf. *Conc. Trid.*, Decr. *sup. pecc. orig.*: DENZ. 789 et 791; *Conc. Carth.* anni 418, approbatum a Zosimo Papa: DENZ. 102 et *Conc. Arausic. II,* can. 2: DENZ. 175.

CAPUT 9

DE UNITATE SEU DE COMMUNI ORIGINE GENERIS HUMANI

49. [*Doctrina de communi origine generis humani*]. Cum non desint inter Ecclesiae filios, qui, nostris diebus, unitatem originis humani generis aut negant aut in dubium vocant, sacrosancta Vaticana Synodus secunda ad doctrinam de peccato originali tuendam, qua credimus peccatum illud ab uno [1] in omnes generatione transfundi,[2] necnon ad fovenda necessitudinis caritatisque vincula inter omnes populos, qui ad unam Christi gratiam vocantur quemadmodum ab uno fonte promanant, profitetur et docet, quod universa Ecclesia, divina innixa revelatione, semper tenuit et docuit, homines nempe hisce in terris post Adam viventes, quamlibet gerant corporis formam vel colorem, communem suae naturae habere originem sicut communem salutis habent auctorem.[3] Ait enim Apostolus: « Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius iustitiam in omnes ho-

mines in iustificationem vitae » (*Rom.* 5, 18) et iterum: « Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur » (*I Cor.* 15, 22).

Deus quippe, ut idem ait Apostolus, huius praeco veritatis, « fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae » (*Act.* 17, 26) formans « primum hominem »,[4] Adam, eiusque uxorem, quae *mater cunctorum viventium* (*Gen.* 3, 20) appellata est, ut illud par coniugum totius humani generis naturale esset principium, ex quo scilicet qui uspiam nascerentur homines generatione descenderent.

50. [*Opiniones contra monogenismum reprobantur*]. Prohibet igitur sacrosancta Synodus eorum placita, qui asseverant vel post Adam hisce in terris veros homines exstitisse, qui non ab eodem protoparente naturali generatione originem duxerint, vel per Adam multitudinem quamdam protoparentum significari.[5]

NOTAE

[1] Quod peccatum originale ab *uno homine* in posteros transfunditur et non intellegi potest ut peccatum a *multitudine* quadam hominum commissa, cf. *Conc. Trident.,* Decr. *super peccat. origin.* 1: DENZ. 788: « Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus ... »; Decr. *de iustific.,* cap. 4: DENZ. 796: « Quibus verbis iustificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae ... per secundum Adam, Iesum Christum »; Decr. *super peccat. origin.* 2: DENZ. 789: « Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non eius propagini asserit nocuisse; acceptam a Deo sanctitatem ... sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse ... A.S. »; PIUS XII, Encycl. *Humani Generis*: vide notam 5.

[2] Peccatum originale transfundi in posteros per GENERATIONEM est in S. Traditione ante controversiam pelagianam: cf. TERTULL., *De testimonio animae* 3: *PL* 1, 613; CYPRIAN., *Epist.* 64, 5: *PL* 3, 1018-1019; NOVATIAN., *De Trinit.* 29: *PL* 3, 944: ORIGEN., *In Levit. hom.* 8, 3: *PG* 12, 496; ATHAN., *In Psalm.* 50, 7: *PG* 27, 240; DIDYM. ALEX., *Contra Manich.* 8: *PG* 39, 1096; APHRAAT., *Demonstr.,* 6, 14: *PS* 1, 291; *ibid.,* 23, 3: *PS* 2, 6; EPHRAEM, *Hymni de instaur. Eccl.* 4, 1: *Lamy,* 3, 974: HILAR., *In Psalm.* 118, apud AUGUST., *Contra Iulian.* I, 3, 9: *PL* 44, 645; AMBROS., *Apolog. proph. David.,* I, 11, 56: *PL* 14, 873; *Exp. in Luc.* 2, 56: *PL* 15, 1573; AMBROSIAST., *In Rom.* 5, 12: *PL* 17, 92; GREGOR. NAZ., *Orat.* 38, 16 et 40, 8: *PG* 36, 330 et 367; IDEM apud AUGUST., *Contra Iulian.* I, 5, 15: *PL* 44, 649; CHRYSOST., *In Ep. ad Rom.,* hom. 10, 2: *PG* 60, 476-477. – In ipsa controversia pelagiana cardo quaestionis erat, utrum peccatum Adae transiret in posteros *imitatione* vel *propagatione.* Cf. AUGUST., *De pecc. merit. et remiss.,* I, 9, 9: *PL* 44, 114; *ibid.,* I, 9, 10: *PL* 44, 115; *Opus imperf. contra Iulian.* I, 48: *PL* 45, 1071. – S. Thomas clare docet transfusionem per generationem esse *de fide* credendam, cf. *Summ. Theol.,* I-II, q. 81, art. 1 et 3 collato art. 4.

Quod spectat ad magisterium Ecclesiae conferas praeter LEON. MAGN., *Serm.* 22, 3: *PL* 54, 196:

Conc. Arausic. II, confirmatum a Bonif. II, can. 2: DENZ. 175: « Si quis soli Adae praevaricationem suam non et eius *propagini* asserit nocuisse ... ».

Conc. Trident., Decr. *super pecc. origin.* can. 2: DENZ. 789 repetit canonem praedictum Arausicani II. Quid vero Tridentinum nomine propagationis intellexerit, clare apparet ex Decr. *de iustificatione*, cap. 3: DENZ. 795: « Nam sicut revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahunt: ita nisi in Christo renascerentur, numquam iustificarentur » et Decr. *de pecc. orig.* 4: DENZ. 791 de infantibus baptizandis dicitur: « ut in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt ».

[3] De unitate generis humani cf. *Gen.* 1, 27 et 2, 5-25; *Act.* 17, 26; *Rom.* 5, 12-21; *I Cor.* 15, 45-47. – Quod ad Patres attinet, clare loquuntur IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 23, 2: *PG* 7, 961; EPHRAEM, *Interpr. in S. Script.*: *in Genes.* 2: *Lamy*, 1, 129; AMBROS., *De Paradiso* 10, 48: *PL* 14, 298; THEODORET., *Graec. affect. curatio*: serm. 5: *PG* 83, 944. S. Augustinus aperte docet veritatem de unitate generis humani esse de fide: cf. AUGUST., *De Gen. ad litt.* IX, 11, 19: *PL* 34, 400 et *De pecc. orig.* 24, 28: *PL* 44, 398. Vide etiam *De Civ. Dei* XVI, 8 et XVI, 9: *PL* 41, 486-487, quibus in locis de distinctione stirpium et de antipodis. – Consentit S. Magisterium, cf. PELAG. I, *Ep. ad Childebert*, 1 apr. 557: DENZ. 228[a]; LEO XIII, Encycl. *Arcanum divinae*, 10 febr. 1880: *A.S.S.* 12 (1879-1880), p. 386; PIUS XII, Encycl. *Summi Pontificatus*, 20 oct. 1939: *A.A.S.* 31 (1939), pp. 426-427.

[4] *Conc. Carthagin.* (XVI), can. 1: DENZ. 101, coll. *I Cor.* 15, 45.

[5] PIUS XII, Encycl. *Humani Generis*, 12 aug. 1950: *A.A.S.* 42 (1950), p. 576: DENZ. 2328: « Non enim christifideles eam sententiam amplecti possunt, quam qui retinent asseverant vel post Adam hisce terris veros homines exstitisse, qui non ab eodem prouti omnium protoparente, naturali generatione originem duxerint, vel Adam significare multitudinem quamdam protoparentum: cum nequaquam appareat, quomodo huiusmodi sententia componi queat cum iis, quae fontes revelatae veritatis et acta Magisterii Ecclesiae proponunt de peccato originali, quod procedit ex peccato vere commisso ab uno Adamo, quodque generatione in omnes transfusum, inest unicuique proprium ».

Theologi Concilii Vaticani I praeparaverant canonem, cf. *C.L.* VII, 1637: « Si quis universum genus humanum ab uno protoparente ortum esse negaverit: anathema sit ». In annotationibus, *ibidem* col. 544-545 extollunt « gravissimum momentum huius dogmatis de unitate et communi origine totius generis humani, quam nostra aetate ab hominibus quibusdam ex levissimis rationibus geologicis et ethnographicis in dubium vocatum esse, nemo ignorat ». Vide etiam *C.L.* VII, 515[a-b], 555-556, 1633[a-b].

CAPUT 10

DE SORTE INFANTIUM ABSQUE BAPTISMO DECEDENTIUM

51. [*Baptismus ad salutem infantium necessarius*]. Sacrosancta Synodus Spiritu veritatis edocta declarat, salvis privilegiis quae ad martyres in odium fidei occisos secundum Ecclesiae praedicationem pertinent,[1] neminem ex statu quo nascimur filii Adae filiique irae (cf. *Eph.* 2, 3) ad statum gratiae adoptionisque filiorum (cf. *Rom.* 8, 15) transferri posse sine lavacro regenerationis (cf. *Io.* 3, 5) aut eius voto.[2] Cum autem infantes ex sese sint huius voti inca-

paces, et insuper Ecclesia semper sibi persuasum habuerit in hac oeconomia salutis post Evangelium promulgatum eosdem, aetatem rationis non adeptos, sine ipso sacramento baptismatis praemia vitae aeternae consequi non posse,[3] ideo S. Synodus omnes sententias,[4] quibus pro infantibus aliud medium praeter baptismum re susceptum statuitur, inanes et sine fundamento esse declarat. Non autem desunt rationes censendi eosdem quadam felicitate suo statui accommodata perenniter frui.[5]

52. [*Officium baptizandi infantes*]. Instanter autem Sacra Synodus admonet omnes parentes eorumque locum tenentes, omnes parochos et sacro ministerio addictos, de gravi officio quo tenentur curare ut infantes neonati, quamprimum commode fieri potest, baptizentur.[6] Sedulo enim prospiciendum est, cum ut infantes morituri vitam aeternam consequantur, tum etiam ut bene valentes brevi e servitudine diaboli liberati, filii Dei nominari quaeant et sint (cf. *I* Io. 3, 1).

NOTAE

[1] BENEDICTUS XIV omnino certam tenet sententiam omnes infantes in odium fidei occisos, censendos esse vere martyres. Cf. Constit. *Beatus Andreas,* 22 febr. 1755, par. 10, coll. par. 25, et citat SUAREZ, *In S. Theol. III,* disc. 29, sect. 1, R. TAPPER, *Opera,* Coloniae 1583: art. II, p. 31: « Parvulis igitur Baptismum esse necessarium et magis quam adultis, eisque sufficere, ex superioribus patere potest, cum nullum habeant aliud medium, nisi martyrium, quo salvari sine Baptismo possunt ». Cf. etiam S. THOMAS, *Summa Theol.* II-II, q. 124, a. 1, ad 1, et *In Epist. ad Haebr.* cap. 6; cf. tandem *Synod. Montis Libani,* 1736: *CL* II, 118.

In Constitutione consulto dicitur: *in odium* fidei, quia erronee omnis mors infantium, sive ex morbo sive ex calamitate, aequiparata est martyrio.

[2] *Conc. Trid.,* Decr. *de iustificatione,* cap. 4; DENZ. 796, coll. 847; *Conc. Florent.,* Decr. *pro Iacobitis*: DENZ. 712; S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 68, a. 2.

[3] INNOCENTIUS I ad *Conc. Milev.,* n. 5: *PL* 20, 592: « Parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia *posse* donari, perfatuum est »;

GELASIUS I, *Epist.* 7, *PL* 59, 37: « Nec ausus est aliquis dicere parvulum sine hoc sacramento salutari ad aeternam vitam *posse* perduci... De parvulis autem quod asserit [pelagiana haeresis], sine sacro baptismate pro solo peccato originali non posse damnari, satis impia, satis profana propositio est »;

ORIGENES, *in Rom. Comment.,* 5, 9: *PG* 14, 1047: « Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare; sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam et Spiritum ablui deberent »;

S. AUGUSTINUS, *De anima et eius origine* 3, 9, 12: *PL* 44, 516: « Noli credere, nec dicere, nec docere: infantes antequam baptizentur morte praeventos, pervenire *posse* ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus »; similia in *Epist.* 166, 7, 21: *PL* 33, 730 (ad Hieronym.);

S. GREGORIUS MAGNUS, *Moralia* IV, cap. 3: *PL* 75, 635, de egressis ex utero et statim mortuis: « Numquid aeterna requie abortivi perfruuntur? Quisquis enim regenerationis unda non solvitur, reatu primi vinculi legatus tenetur »;

Conc. Lugdun.: DENZ. 464: « Romana Ecclesia dicit et praedicat... illorum

autem animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas »;

Conc. Florent., Decr. *pro Graecis*: DENZ. 691: « Sacro universali approbante Florentino Concilio diffinimus, ... illorum autem animas (etc., ut in *Conc. Lugdun.*) ».

Conc. Florent. Decr. *pro Iacobitis*: DENZ. 712: « Circa pueros... cum non possit alio remedio subveniri nisi per sacramentum baptismi, admonet, etc. »;

PIUS VI falsam declarat sententiam Pistoriensium doctrinam limbi, « in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur » esse fabulam Pelagianam: DENZ. 1526;

PIUS XII, *Alloc. ad obstetrices*, 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 841: « Nella presente economia non vi è altro mezzo per comunicare questa vita [soprannaturale] al bambino, che non ha ancora l'uso della ragione. E tuttavia lo stato di grazia nel momento della morte è assolutamente necessario per la salvezza: senza di esso non è possibile di giungere alla felicità soprannaturale, alla visione beatifica di Dio. Un atto di amore può bastare all'adulto per conseguire la grazia santificante e supplire al difetto del battesimo: al non ancora nato o al neonato bambino questa via non è aperta »;

S. THOMAS, *Summa Theol.* II, q. 68, a. 3: « Non potest [pueris] alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi; adultis vero subveniri potest per solum baptismi desiderium »;

Catech. Rom. II, II, n. 34: « Cum pueris infantibus nulla alia salutis comparandae ratio, nisi eis baptismum praebeatur, relicta sit, facile intelligitur etc. »;

S. PETRUS CANISIUS, *Catech. latin. et germ.* pars. I, Romae, 1933: *Catech. maior*, p. 27: « Nec solum adultis sed etiam parvulis, necessarium est [Baptismi sacramentum] ... Perirent autem non baptizati, etiam parvuli, sicut olim in Synagoga incircumcisi »; *ibid.*, p. 118: « Necessarium inquam Sacramentum non solum adultis, sed etiam parvulis... Nascuntur omnes irae filii: opus igitur habent etiam parvuli emundatione peccati, nec possunt absque hoc Sacramento mundari et in filios regenerari »;

S. ROBERTUS BELLARM., *De Baptismo* I, cap. 1, circa finem: « Etiamsi parvuli sine culpa non baptizantur, non tamen sine culpa pereunt, cum habeant originale peccatum. Qui autem fingunt aliud remedium praeter baptismum [reale], apertissime pugnant cum Evangelio, Conciliis, Patribus, atque Ecclesiae universae consensu »;

P. GASPARRI, *Catechismus Catholicus*, ed. 3, Romae 1930, 197: « Q. 359: Quid erit de anima illorum, qui sine baptismo cum solo peccato originali moriuntur? — R. Anima illorum, qui sine baptismo cum solo peccato originali moriuntur, caret beatifica Dei visione propter originale peccatum, citra tamen alias poenas, quibus personalia peccata puniuntur »;

Accedit praxis Ecclesiae, quae infantibus mortuis sine baptismo denegat sepulturam ecclesiasticam, cf. *C.I.C.*: can. 1239, § 1. Numquam Ecclesia pro illis publice orat. In sepultura autem infantis baptizati precatur: « Omnipotens et mitissime Deus, qui omnibus parvulis renatis fonte baptismatis, dum migrant a saeculo, sine ullis eorum meritis vitam illico largiris aeternam, sicut animae huius parvuli hodie credimus te fecisse... ».

Notandum est, quod antiqui qui denegant parvulis mortuis sine baptismo praemia vitae aeternae nullo modo dubitasse de voluntate salvifica Dei (cf. *I Tim.* 2, 4) et de satisfactione Christi universali (cf. *I Io.* 2, 2).

Cum praedictis testimoniis concordant plura Concilia Provincialia approbata:

Conc. Prov. Neapolitan. a. 1699: *CL* I, 180, cap. 2 *de Sacram. Bapt.*: « Per lavacrum regenerationis in verbo vitae renatos ex aqua et Spiritu Sancto et consepultos cum Christo per Baptismum in mortem ita in novam parit gratia mater infantiam, ut non aliter in Regnum Dei atque in spem vivam resurgere quisquam possit ».

Conc. Prov. Ruthen. a. 1720: *CL* II, 27: « Quamobrem Sanctae Synodo attente consideranti, quantopere Sacramentum istud ad salutem necessarium est, visum fuit monere et hortari parochos omnes, ut plebem ac praesertim obstetrices doceant, quidquid est necesse ad hoc Sacramentum non solum licite, sed etiam valide administrandum, ne contingat ipsorum ignorantia, ut parvuli minime renati ex aqua et Spiritu Sancto non intrent in regnum coelorum ».

Conc. Prov. Ebredunens. a. 1727: *CL* I, 628: « Cum omnium novae Legis Sacramentorum primum maximeque necessarium sit Baptismus, et absque eo nullus ad Regnum coelorum pateat aditus, monendi sunt parentes, ut filios suos quantocius baptizari curent ».

Conc. Prov. Coloniense a. 1860: *De Baptismo,* cap. 30: MANSI 48, 115: « Infantes vero cum huius voti capaces non sint, a regno coelesti, id est, beatitudine supernaturali excludi, si baptismo non regenerati discedunt, *fides docet* ».

Conc. Prov. Pragense quintum a. 1860, tit. IV, cap. 2 *de Sacramento Baptismi*: MANSI 48, 266: « Monendi sunt itaque a parochis parentes, ut parvulos, quam primum fieri potest, Ecclesiae offerant baptizandos, ne eorum culpa amittendae vitae aeternae periculo exponantur, a quibus ad hanc adipiscendam temporalis vitae exordium traxerunt ».

Conc. Prov. Colocense a. 1863, tit. III, cap. 2 *de Baptismo*: MANSI 48, 531 s. testimonium affert *Catech. Rom.* II, II, n. 32: « Cum pueris infantibus nulla alia salutis comparandae ratio, nisi eis baptismum praebeatur, relicta sit etc. ».

Conc. Prov. Ultraiect. a. 1865, tit. IV, cap. 2 *de Sacramento Baptismi*: MANSI 48, 703-704: « Parochi... studiosissime invigilabunt, ne quis infans ulla hominum culpa baptismo privetur, atque ita sine eo decedens, a supernaturali beatitate pereniter arceatur... Pueris quippe infantibus nulla relinquitur salutis comparandae via, nisi baptismi sacramentum re suscipiant; adultis vero... ».

Conc. plen. Baltimor. II, a. 1866, tit. V, cap. 2 *de Baptismo,* n. 225: MANSI 48, 951: « Infantes quoque suos, quod sine lacrymis dici nequit, iure fraudant, quod Christus effuso sanguine iis comparavit, et quotidie passim e vivis excedere sinunt baptismo destitutos sine quo Dei vultum coelestis beatitatis fontem et originem, aspicere numquam licebit ».

Theologi *Vaticani I* in *Const. de fide*: *CL* VII, 565 scripserunt: « Etiam qui cum solo originali peccato mortem obeunt, beata Dei visione in perpetuo carebunt », et in nota *ibidem* declarant rem esse *de fide certam.*

[4] Ultima sententia est infantes mortuos sine baptismo mansuros in limbo puerorum usque ad diem ultimum iudicii. Resurrectio mortuorum, quae est regeneratio et definitive destruit sequelas peccati originalis, iis erit loco baptismatis ideoque iis aperiet viam ad visionem Dei beatificam!

[5] Cf. S. GREGORIUS NAZIANZ., *Orat. 40 de baptismo,* 23: *PG* 36, 390;

S. AUGUSTINUS, *Contra Iulian.* V, 11, 44: *PL* 44, 809;

AMBROSIASTER, *In Rom.* cap. 5, 12: *PL* 17, 92;

S. THOMAS, *In II Sent.,* dist. 33, q. 2, a. 2, ad 2;

S. BONAVENTURA, *In II Sent.,* dist. 33, ad 3, qq. 1 et 2;

S. ROBERTUS BELLARM., *De amissione gratiae,* lib. VI, cap. 4-6, ubi plura patristica.

Nota illud: « suo statui accommodata ». Hisce verbis additis, sententia subscribi potest ab omnibus theologis diversarum scholarum. Intactae manent quaestiones disputatae, v. g. de natura limbi, an sit levis dolor, quo sensu conditio infantium sit supernaturalis, etc.

Non placuit autem commendare parvulos misericordiae Dei: quia ipsa Ecclesia hoc numquam fecit et tali phrasi indirecte conceditur theoriam illuminationis non esse omnino reprobandam.

[6] Cf. *Conc. Florent.,* Decr. *pro Iacobitis*: DENZ. 712; BENEDICTUS XIV, *Prof. fidei*: DENZ. 1470; PIUS XII, *Alloc. ad obstetr.,* cf. nota 4; *Collect. de Propag. Fide,* vol. I, n. 326, n. 347, n. 939; vol. II, n. 2060, collatis S. THOM., *Summa Theol.* III, q. 68, a. 3 et *Catech. Rom.* II, II, n. 34.

ADDITAMENTUM

Textus supra exhibitus approbatus est ab omnibus membris Subcommissionis de Deposito pure custodiendo, excepto Rev.mo Patre E. Dhanis S. I., qui aliam redactionem proposuit. Re delata ad ipsam Commissionem 19 membra approbaverunt redactionem Subcommissionis, 3 redactionem Patris Dhanis, 3 haeserunt ancipites, 2 putaverunt se etiam redactioni Patris Dhanis adhaerere non posse. Quare primum dabimus textum Patris Dhanis, deinde modificationes quas Ill.mus D. Colombo in eodem textu faciendas putat.

DE SORTE INFANTIUM ABSQUE BAPTISMO DECEDENTIUM
(red. P. DHANIS)

1. [*Baptismus ad salutem necessarius*]. Sacrosancta Synodus Spiritu veritatis edocta declarat, post Evangelium promulgatum, salvis privilegiis quae ad martyres in odium fidei occisos secundum Ecclesiae praedicationem pertinent,[1] neminem ex statu quo nascimur filii Adae filiique irae (cf. *Eph.* 2, 3) ad statum gratiae adoptionisque filiorum transferri posse sine lavacro regenerationis aut eius voto.[2] Cum insuper a saeculis in Ecclesia communis fuerit sententia infantes aetatem rationis non adeptos huiusmodi voti esse incapaces,[3] cumque adversa opinatio argumentis ad probandum firmis careat, ideo nonnisi temerario ausu, quem Sancta Synodus reprobat, contenditur promulgato iam Evangelio infantibus non baptizatis aditum patere ad beatam Dei visionem. Non autem desunt rationes censendi eos vera quadam felicitate suo statui accommodata frui; [4] ac demum Sancta Mater Ecclesia sortem eorundem, pro quibus etiam Iesus Christus mortuus est,[5] altissimae iustitiae et misericordiae Dei humiliter remittit.

2. [*Officium baptizandi infantes*]. Instanter autem Sacra Synodus admonet omnes parentes eorumque loco tenentes, omnes parochos et sacro ministerio addictos, de gravi officio quo tenentur procurandi ut neonati quam primum baptismi sacramento regenerentur. Sedulo enim prospiciendum est, cum ut infantes morituri vitam aeternam consequantur, tum etiam ut bene valentes e servitute diaboli liberati filii Dei nominari queant et sint (cf. *I Io.* 3, 1).

NOTAE

[1] Mors infantium naturalis ex morbo vel calamitate immerito aequiparata est ad martyrium; propterea adduntur verba « in odium fidei occisos ».

[2] Cf. INNOCENTIUS I, *ad Conc. Milev.*: *PL* 20, 592: « Illud vero quod eos [Pelagianos] vestra fraternitas asserit praedicare parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis et biberint sanguinem eius, non habebunt vitam aeternam in semetipsis [*Io.* 6, 54] »;

S. COELESTINUS I, *Indiculus*: DENZ. 140: « Cum sive parvuli sive iuvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitae adeunt, quam exorcismis et insufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur »;

GELASIUS I, *Epist.* 7: *PL* 59, 37: « De parvulis autem quod asserit [Pelagii doctrina] sine sacro baptismate, pro solo originali peccato non posse damnari, satis impia, satis profana propositio est... Quia propria non habent ulla peccata, constat eis sola prorsus originalia relaxari »;

Conc. Florent., Decr. *pro Iacobitis*: DENZ. 712: « Pueris... non potest alio remedio subveniri nisi per sacramentum baptismi »;

Conc. Trid., Decr. *de iustificatione*, cap. 4: DENZ. 796 (cf. etiam n. 847): « Quae quidem translatio [ab eo statu quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei] post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest ».

[3] Ea persuasio apparet v. gr. ex eo quod, ubi fit sermo de necessitate baptismi pro pueris, documenta magisterii Ecclesiae de more non adducunt distinctionem inter sacramentum baptismi in re vel in voto susceptum.

Accedit praxis Ecclesiae, quae semper urgere non desinit tempestivum baptismum infantium, et infantibus mortuis sine baptismo sepulturam ecclesiasticam non concedit; cf. *C.I.C.*, can. 1239, § 1.

Expressioribus verbis locutus est PIUS Papa XII in *Alloc. ad obstetrices*, 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 841: « Si quod hucusque diximus, defensionem et curam vitae naturalis respicit, tanto magis valere debet de supernaturali vita, quam modo natus infans baptismate accipit. In praesenti enim rerum oeconomia, nullum aliud est medium ad hanc vitam puero adhuc rationis experti communicandam. Et tamen status gratiae in momento mortis absolute necessarius est ad salutem; sine hoc, possibile non est pervenire ad felicitatem supernaturalem, ad visionem Dei beatificam. Actus quidem amoris sufficere potest adulto ad gratiam sanctificantem consequendam et baptismum supplere; at necdum genitae prolis vel modo natae haec via non patet ».

[4] Verba ita electa sunt, ut intactae maneant quaestiones disputatae, an v. gr. sit levis quidam dolor, etc. Cf. PIUS VI, Const. *Auctorem fidei*: DENZ. 1526.

[5] Cf. *Rom.* 5, 15-21. - INNOCENTIUS X, Const. *Cum occasione*: DENZ. 1096: « Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse »; haec propositio damnatur « uti falsa, temeraria, scandalosa, et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinae pietati derogans, et haeretica ».
Cf. etiam ALEXANDER VIII, *Decr. S. Off.* 24 aug. 1690: DENZ. 1294; CLEMENS XI, Const. dogm. *Unigenitus*: DENZ. 1382.

Romae, d. 22 oct. 1961.

ED. DHANIS, S. I.

TEXTUS P. DHANIS MODIFICATUS

A D. CAROLO COLOMBO

[*Baptismus ad salutem necessarius*]. Sacrosancta Synodus... Cum insuper a saeculis in Ecclesia communis fuerit sententia infantes aetatem rationis non adeptos huiusmodi voti esse incapaces, cumque adversa opinatio argumentis ad probandum firmis *adhuc* careat, ideo nonnisi temerario ausu contenditur promulgato iam Evangelio infantibus non baptizatis aditum *certe* patere ad beatam Dei visionem. Non autem desunt rationes censendi eos vera quadam felicitate, suo statui accommodata, frui, *ob merita Christi Domini qui pro ipsis quoque mortuus est;* ac demum Sancta Mater Ecclesia sortem eorumdem altissimae iustitiae et misericordiae Dei humiliter *fidenterque* remittit, « *qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus* » (cf. *Eph.* 3, 20).

[*Officium baptizandi infantes*]. Ut in textu P. Dhanis.

CAPUT 11

DE SATISFACTIONE CHRISTI

53. [*Christus, Dei Verbum, in assumpta carne patiendo et moriendo, pro peccatis hominum Deo vere et proprie satisfecit*]. Sponsa Divini Redemptoris, memor verborum S. Pauli: « Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret » (*Eph.* 5, 25-26), in hac Vaticana Synodo confirmat, tamquam veritatem inter praecipuas christianae religionis, valorem piacularem mortis Christi, declarans Dei Verbum, in assumpta humana natura patiendo et moriendo, pro peccatis nostris Deo vere et proprie satisfecisse.[1] « Omnes enim, ait Apostolus, peccaverunt, et egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius » (*Rom.* 3, 23-25).[2]

54. [*Peccatum est vera et propria offensa Dei*]. Revera, saltem in praesenti oeconomia salutis, nulla creata vis hominum sceleribus plene expiandis

erat satis, nisi humanam naturam Dei Filius reparandam assumpsisset.[3] Peccatum enim, iuxta Spiritus Sancti oracula, est iniquitas ac offensa in Deum; nam peccator, legem divinam violans, coram Deo peccat eumque contemnit, divinam maiestatem laedit et Dei inimicus fit.[4] Unde pariter edocemur quod iniquitates nostrae dividunt inter nos et Deum nostrum, clamant vindictam coram Deo, efficiunt homines Deo debitores et filios irae, egentes misericordia Dei qua gratis reconcilientur illi.[5] Proinde ad reparandam iniuriam divinae maiestati illatam, ipse Dei Filius proprium sanguinem aeterno Patri per Spiritum Sanctum obtulit (cf. *Hebr.* 9, 14) ac ita per mortem suam Deo nos reconciliavit (cf. *Rom.* 5, 10). Illi enim soli, utpote innocentissimo ac Deo Patri in dignitate aequali, congruunt verba Ioannis Baptistae: « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi » (*Io.* 1, 29).

55. [*Christus satisfactione vicaria pro cunctis hominibus iustitiam Dei placavit*]. Propitiatio autem, quae est Iesus Christus iustus, pro peccatis totius mundi (cf. *I Io.* 2, 2), efficaciam satisfactoriam, quam « vicariam » vocant, revera habuit. Non solum enim Redemptor noster « semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis » (*I Petr.* 3, 18), sed etiam ut Caput nostrum et novus Adam peccatum originale atque culpas omnium hominum et poenas iisdem debitas expiavit, quatenus, ex amore et oboedientia patiendo, longe maiorem gloriam Deo reddidit, quam exigeret recompensatio totius offensae humani generis.[6] Hoc munus iam praecinerat Isaias propheta, dum de Servo Iahweh ait: « Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit » (*Is.* 53, 4). Fortius autem docet Apostolus: « Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno; ut in gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Iesu » (*Gal.* 3, 13-14). Quod opus mirae caritatis Dei et Christi erga nos contemplatus, Ioannes Evangelista fatetur: « In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris » (*I Io.* 4, 10). Quamvis enim Deus, ex suprema sua bonitate, potuisset delicta hominum in se commissa absque poenali satisfactione dimittere, amorem miserentem unice ostendens,[7] maluit tamen ad suam misericordiam etiam in iustitia superabundanter manifestandam (cf. *Rom.* 5, 20) atque ad dignitatem hominis melius servandam, mittere Filium suum in mundum, ut per ipsum, Deum-hominem, mundum non iam iudicaret, sed salvaret, proprio Filio suo non parcens, sed pro nobis omnibus tradens illum (cf. *Rom.* 8, 32). Christus vero, decreto Patris miserentissimi ac iustissimi oboediens usque ad mortem crucis (cf. *Phil.* 2, 8), « dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis » (*Eph.* 5, 2). Concors igitur fuit voluntas Patris in decernendo, et Filii incarnati in acceptando sacrificio crucis pro salute humani generis, ita ut Apostolus integrum mysterium redemptionis his verbis complexus sit: « Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum » (*II Cor.* 5, 18).

56. [*Damnantur opiniones pervertentes notionem peccati, prout est of-*

fensa Dei, itemque satisfactionis a Christo pro nobis exhibitae]. Quapropter haec Sancta Synodus, doctrinam de humana redemptione ex purissimis divinae revelationis fontibus hauriens necnon ex perenni Ecclesiae magisterio,[8] reicit opiniones illorum, qui falso aestimantes peccato nullam veri nominis offensam Deo inferri, affirmare praesumunt sacrificium Christi in cruce alium valorem seu efficaciam non habuisse praeter quam exempli, meriti et liberationis, non autem verae et proprie dictae satisfactionis pro humanis sceleribus, quasi hoc divinae iustitiae repugnaret, dum potius tam misericordiae quam iustitiae aeterni Numinis maxime congruit.[9]

NOTAE

[1] *Conc. Vat. I, Schema secundae Constitutionis dogmaticae De Fide catholica*, can. IV, 3. *De Mysterio Verbi Incarnati*: « Si quis negaverit ipsum Dei Verbum, in assumpta carne patiendo et moriendo, pro peccatis nostris Deo vere et proprie satisfecisse, nobisque gratiam et gloriam meruisse; aut affirmare praesumpserit, satisfactionem vicariam, unius scilicet Mediatoris pro cunctis hominibus, iustitiae divinae repugnare, A.S. » [MANSI 53, 294].

[2] Cf. e. g. Fr. CEUPPENS, O.P., *Quaestiones selectae ex Epist. S. Pauli* (1951), pp. 32-36. – Cl. Auctor his verbis mentem Apostoli reddit (cum S. Thoma et, inter recentiores exegetas, M. J., Lagrange, A. Lemonnyer, J. Sickenberger, G. Ricciotti): « Deus ab aeterno voluit Christum ut expiationis victimam exhibere ac propitiationis, et hominem huius expiationis participem fieri per fidem in sanguine, seu in efficacia sanguinis Christi, quae fides conducit homines ad iustificationem » [p. 34].

[3] Cf. PIUS XI, Encycl. *Miserentissimus Redemptor*, 8 maii 1928: *A.A.S.* 20 (1928), p. 170.

[4] Cf. *I Io.* 3, 4; *Ps.* 50, 6; *Lc.* 15, 18; *I Reg.* 2, 30; *Deut.* 9, 23; *Ez.* 20, 8; 20, 21; *Rom.* 5, 10.

[5] Cf. *Is.* 59, 2; *Gen.* 4, 10; *Iac.* 5, 4; *Rom.* 12, 19; *Mt.* 6, 12; *Eph.* 2, 3; *Rom.* 3, 23; *Col.* 1, 21.

[6] S. THOMAS, *Summa Theol.*, III, q. 48, a. 2: « Christus autem, ex caritate et oboedientia patiendo, maius aliquod Deo exhibuit quam exigeret recompensatio totius offensae humani generis ».

[7] S. THOMAS, *Summa Theol.*, III, q. 46. a. 2, ad 3: « Si voluisset [Deus] absque omni satisfactione hominem a peccato liberare, contra iustitiam non fecisset ... Sed Deus non habet aliquem superiorem, sed ipse est supremum et commune bonum totius universi. Et ideo, si dimittat peccatum, quod habet rationem culpae, ex eo quod contra ipsum committitur, nulli facit iniuriam ».

[8] Cf. P. DANDER, S. I., *De satisfactione Christi* [C. T. 7/61: 37].

Meminisse iuvabit:

a) Inter SS. PATRES:

S. AUGUSTINUS, *Contra Faustum*, 14, 4: *PL* 42, 297: « Suscepit autem Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum et finiret etiam supplicium nostrum »;

ID., *De Trin.*, IV, 13, 17: *PL* 42, 899: « Morte sua quippe uno verissimo sacrificio pro nobis oblato, quidquid culparum erat unde nos principatus et potestates ad luenda supplicia iure detinebant, purgavit, abolevit, exstinxit »;

S. GREGORIUS M., *Moralia,* XVII, 30, 46: *PL* 76, 33: « Fecit [Filius Dei] pro nobis sacrificium, corpus suum exhibuit pro peccatoribus victimam sine peccato, quae et humanitate mori et iustitia mundare potuisset ».

b) Inter Doctores Ecclesiae:

S. THOMAS, *Summa Theol.* Suppl., q. 13, a. 1, ad 1: « Satisfactio non respondet peccato nisi secundum quod est offensa Dei ».

c) Magisterium Ecclesiae:

Conc. Ephesinum: DENZ. 122: « Si quis dicit, ... [Dei Verbum] pro se obtulisse semetipsum oblationem et non potius pro nobis solis ... A.S. »;

Conc. Tridentinum: DENZ. 790 loquitur de merito « Iesu Christi qui nos Deo reconciliavit, ... factus nobis iustitia, sanctificatio et redemptio [*I Cor.* 1, 30] »;

LEO XIII, Encycl. *Tametsi futura,* 1 nov. 1900: *A.S.S.* 33 (1900-1901), p. 275: « Sane cum divini venisset maturitas consilii, unigenitus Filius Dei, factus homo, violato Patris Numini cumulatissime pro hominibus uberrimeque *satisfecit* de sanguine suo, tantoque redemptum pretio *vindicavit* sibi genus humanum »;

PIUS XII, Encycl. *Orientales Ecclesias,* 15 dec. 1952: *A.A.S.* 45 (1953), p. 13: « Ad propitiandam tot tantisque iniuriis offensisque laesam divinam maiestatem ».

[9] F. CEUPPENS, congruis textibus ex utroque Testamento allatis, probat Deo iustitiam distributivam, quae remunerativam et vindicativam in Deo tantum complectitur, *formaliter* convenire [*De Deo Uno,* vol. I, 1938, pp. 226-227].

Cf. acta praesynod. *Conc. Vat. I,* text. cit. nota 1;

PIUS XII, Encycl. *Humani generis*: *A.A.S.* 42 (1950), p. 570: « Nec satis: nam peccati originalis notio, definitionibus tridentinis posthabitis, pervertitur, unaque simul peccati in universum, prout est Dei offensa, itemque satisfactionis a Christo pro nobis exhibitae »;

PIUS XII, Encycl. *Haurietis aquas,* 15 maii 1956: *A.A.S.* 48 (1956), p. 322 ubi refertur textus S. Thomae ex *Summa Theol.* III, q. 46, a. 1, ad 3: « Hominem liberari per passionem Christi, conveniens fuit et misericordiae et iustitiae eius. Iustitiae quidem, quia per passionem suam Christus satisfecit pro peccato humani generis; et ita homo per iustitiam Christi liberatus est. Misericordiae vero, quia, cum homo per se satisfacere non posset pro peccato totius humanae naturae, ... Deus ei satisfactorem dedit Filium suum »;

S. AUGUSTINUS, *De Trin.* XIII, 10, 13: *PL* 42, 1024, ostendit ad liberandum genus humanum: « Non alium modum possibilem Deo defuisse ... sed sanandae nostrae miseriae convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse »; cf. A. HACAULT, *La satisfaction du Christ-Jésus à la lumière de l'Encyclique " Humani generis",* Montréal, Canada, 1960;

Acta et Documenta Conc. Oecum. Vat. II Appar., Ser. I, vol. IV, P. I, t. 2, pp. 355-363.

V

DE CASTITATE, VIRGINITATE, MATRIMONIO, FAMILIA *

Praenotandum

Ut desiderabat Commissio Centralis, Caput « De Castitate et Pudicitia Christiana » seiunctum est a Constitutione « De Ordine Morali », et cum Constitutione « De Matrimonio et Familia » in unum Schema coniunctum.

Prooemium

1. [*Ecclesia utriusque status exemplar*]. Cum Ecclesia Catholica magna sit familia, ex virginali simul et sponsali cum Iesu Christo unione orta: numquam enim Salvator Sponsam suam, sanguine acquisitam, castissime foecundam reddere desinit verbo vitae et gratia Spiritus Sancti: idcirco S. Synodus in una eademque Constitutione dogmatica nobilitatem extollere tuerique decrevit tam castae continentiae eiusque floris pulcherrimi, virginitatis sacrae, quam casti connubii eiusque fructus caelestis, familiae christianae.

Pars prima

DE CASTITATE ET VIRGINITATE

2. [*Praenotanda*]. Cum omnia mox exponenda, ex divina ordinatione, duorum sexuum inter se differentia mutuamque ad invicem relationem supponant, pauca quaedam de origine et natura sexus, deque dominio hominis in proprium corpus, quatenus propagationi humani generis inservit, praemittuntur.

Caput I

PRAEMITTENDA DE SEXIBUS

3. [*Origo et natura sexus*]. Ipse Deus « fecit hominem ab initio masculum et feminam » (*Mt.* 19, 4) [1] et teste *Eccli.*, opera Domini universa sunt bona valde (cf. 39, 21).[2] Unde etiam ea quae hac ex parte in homine

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quarta congregatione sessionis sextae, die 7 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 893-985.

naturaliter inveniuntur, per se bona et honesta sunt,[3] attamen post Adae peccatum propriam exigunt verecundiam et custodiam (cf. *Gen.* 2, 25 et 3, 7),[4] excluso tamen omni falso vel scrupuloso pudore. Meritis autem Christi corpora renatorum facta sunt templa Spiritus Sancti: quare in corporibus quoque humanis Deus glorificari potest ac debet (cf. *I Cor.* 6, 19-20). Liquido igitur sequitur, ut animo simplici, reverenti, pudico et casto res, quae ad sexum se referunt considerentur atque tractentur oporteat.[5] Firma tamen hac sexus humani originali dignitate, absint oportet falsae superlationes, ac si idcirco quod masculum et feminam Deus fecerit hominem, eum proprie constituisset ad imaginem sui,[6] vel quod praecipue sexualibus homo ut talis constitueretur.[7] Hic enim in terra, licet sexus humanus gaudeat etiam aliis qualitatibus, primarie tamen ad matrimonium ordinatur, ut docet S. Scriptura (cf. *Mt.* 19, 4),[8] donec impleatur tempus, quo homines « in resurrectione neque nubent neque nubentur » (*Mt.* 22, 30), ut dixit Dominus.

4. [*Homo non dominus absolutus corporis*]. Attendendum sane est, quod Deus solus est dominus absolutus vitae hominis eiusdemque integritatis nominatim quod attinet ad ea, quae hominem naturaliter aptum reddunt Deoque consociant in vitae humanae propagatione.[9] Unde nefasti sunt conatus proprium sexum iam sufficienter determinatum mutandi; nec licet hominis organa genitalia mutilare [10] vel infoecunda reddere, nisi quando sanitati totius hominis aliter provideri nequeat, vel in quibusdam casibus exceptionalibus Ecclesiae doctrinae conformibus.[11] Attamen nullo in casu ius datur vel dari potest efficiendi in corpore humano transplantationem organorum sexualium animalium, cellulas germinativas secundum genus suum producentium, vel ordine inverso; [12] vel etiam germina humana utriusque sexus in laboratorio inter se uniendi, etsi, sine violentia pudicitiae et castitatis, solus et verus progressus intenditur scientiae.[13]

NOTAE

[1] Cf. etiam *Gen.* 1, 27: « Masculum et feminam creavit eos »; *Mc.* 10, 6: « Ab initio autem creaturae masculum et feminam fecit eos Deus ».

[2] Cf. etiam *Gen.* 1, 31: « Viditque Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona ».

[3] Cf. *Conc. Bracarense II* (I) (a. 561), n. 11 et 12: Denz. 241-242; Denz. 242: « *Si quis plasmationem humani corporis diaboli dicit esse figmentum* et conceptiones in uteris matrum operibus dicit daemonum figurari, propter quod et resurrectionem carnis non credit, sicut Manichaeus et Priscillianus dixerunt, A. S. »;

et sequens n. 13: Denz. 243: « Si quis dicit, *creationem universae carnis non opificium Dei,* sed malignorum esse angelorum, sicut Priscillianus dixit, A. S. ».

[4] Ex eo autem quod Deus sexualia in homine dederit non licet tamen deducere, ut quidam praetendunt, quod nullo velamine vel pudore cooperienda sint organa et functiones sexuales. Scribit S. Thomas II-II, q. 151, a. 4:

« ... Nomen pudicitiae a pudore sumitur, in quo *verecundia* significatur. Et ideo oportet quod pudicitia proprie sit illa de quibus homines *magis* verecundantur.

Maxime autem verecundantur homines de actibus venereis, ut Augustinus dicit in XIV *De Civ. Dei*... Verecundatur autem homo non solum de illa mixtione venerea, *sed etiam de quibuscumque signis eius*: ut Philosophus dicit, in II Rhet. Et ideo pudicitia *attenditur proprie circa venerea*: et praecipue *circa signa venereorum*, sicut sunt aspectus impudici, oscula et tactus... ».

[5] Cf. PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri*, ubi plura habentur contra naturalismum, nulla habita ratione labis « a protoparentibus ad omnem posteritatem transmissae ». Atque praesertim quoad puellas Pontifex asserit: « ... sed etiam in gymnicis ludis atque exercitationibus, in quibus christianae peculiari modo modestiae puellarum cavendum, utpote quas ostentare sese atque ante omnium oculos proponere *summopere dedeceat*... », cf. DENZ. 2215.

PIUS XII, *Ad Docentes ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum*: *A.A.S.* 33 (1951), p. 736: « Antiqui Graeci et Romani ut sermone indicarent quae ad castitatem pertinent, singulari utebantur nomine: " αἰδοῖα - verenda " ea appellabant, si quidem de rebus agitur, quae *reverenti modo rationeque tractari debent* ».

[6] Dicunt aliqui quod Deus fecerit hominem ad imaginem Suam, *in quantum* masculus et femina. Haec non est quaedam solitaria affirmatio, sed invenitur apud plures.

[7] Cf. PIUS XII, *Ad Patresfamilias e Gallia Romam peregrinantes*, 18 sept. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 733: « Cette propagande menace encore le peuple catholique d'un double fléau, pour ne pas employer une expression plus forte. En premier lieu, *elle exagère outre mesure* l'importance et la portée dans la vie, *de l'élément sexuel* ».

PIUS XII, *Iis qui interfuerunt Conventui internationali quinto de psychotherapia et psychologia*, Romae habito, 13 apr. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 279: « Ces dynamismes peuvent être *dans* l'âme, *dans* l'homme; ils ne sont cependant pas *l'âme*, ni *l'homme* ».

[8] Cf. PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices*, 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), pp. 849, 852: « Infatti di Dio la S. Scrittura dice che creò l'uomo a sua immagine e lo *creò maschio e femmina*, ed ha voluto — come si trova ripetutamente affermato nei Libri sacri — che " l'uomo abbandoni il padre e la madre, e si unisca alla sua donna, e formino una carne sola ". Tutto questo è dunque vero e voluto da Dio; ma non deve essere disgiunto dalla funzione primaria del *matrimonio*, cioè dal servizio per la vita nuova... *Al presente*, infatti, si suole sostenere, con le parole e con gli scritti (anche da parte di alcuni cattolici), la *necessaria autonomia*, il proprio fine e il proprio valore della sessualità, ... *indipendentemente* dallo scopo della procreazione di una nuova vita ».

Ut habeatur aliqua notitia de mente modernorum, etiam catholicorum, quoad sexualitatem, cf. Ephem. *Esprit*: fascicul. « La sexualité », nov. 1960, pp. 1695-1962.

N.B.: In Constitutione consulto omissum fuit quod matrimonium sit *unicus et solus* finis sexualitatis humanae.

[9] LEO XIII, *Pastoralis officii* ad Episc. Germaniae et Austriae, in: *Acta Leonis XIII*, t. XI, p. 284 (DENZ. 1939): « ... utraque divina lex, tum ea quae naturalis rationis lumine, tum quae Litteris divino afflatu perscriptis promulgata est, districte vetant, ne quis extra causam publicam hominem interimat aut *vulneret, nisi salutis suae defendendae causa, necessitate coactus* ».

PIUS XI, Encycl. *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 565: « Publici vero

magistratus in subditorum membra directam potestatem habent nullam... Ceterum, quod *ipsi privati homines in sui corporis membra dominatum alium non habeant, quam qui ad eorum naturales fines pertineat, nec possint ea destruere aut mutilare aut alia via ad naturales functiones se ineptos reddere, nisi quando bono totius corporis aliter provideri nequeat, id christiana doctrina statuit atque ex ipso humanae rationis lumine omnino constat* ».

PIUS XII, *Sermo ad medicos,* 21 maii 1948: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. X, p. 98: « ... Il principio è inviolabile. *Iddio solo è Signore della vita* e *della integrità dell'uomo,* delle sue membra, dei suoi organi, delle sue potenze, *di quelle particolarmente che lo associano all'opera creatrice* ».

PIUS XII, Sermo « *All'unione medico-biologica di S. Luca* », 12 nov. 1944: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. VI, p. 186: « L'uomo invero non è il proprietario, *il signore assoluto del suo corpo,* ma soltanto l'usufruttuario ».

[10] Cf. documenta in superiori nota citata.

[11] Cf. Encycl. *Casti connubii,* l. c.; Decretum S. Officii 22 febr. 1940: *A.A.S.* 32 (1940), p. 73; PIUS XII, cit. Sermo 21 maii 1948, l. c.: « ... non è meno illecito... di inaridire o *sterilizzare, mediante un'operazione che nessun altro motivo giustifica le sorgenti della vita* ».

PIUS XII, *Allocutio ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), pp. 843 s.: « *La sterilizzazione diretta* — cioè quella che mira, come mezzo o come scopo, a rendere impossibile la procreazione — è una grave violazione della legge morale, ed è quindi illecita. Anche l'autorità pubblica non ha alcun diritto, sotto pretesto di qualsiasi " indicazione " di permetterla, e molto meno di prescriverla o di farla eseguire a danno di innocenti. Questo principio si trova già enunciato nella Enciclica summenzionata di Pio XI sul matrimonio. Perciò quando, or è un decennio, la sterilizzazione venne ad essere sempre più largamente applicata, la S. Sede si vide nella necessità di dichiarare espressamente e pubblicamente, che *la sterilizzazione diretta sia perpetua che temporanea, sia dell'uomo che della donna, è illecita, in virtù della legge naturale, dalla quale la Chiesa stessa, come sapete, non ha la potestà di dispensare* ».

IOANNES XXIII, *Prima Romana Synodus 1960,* II, II, art. 493.

[12] PIUS XII, *Allocutio dirigentibus ac sociis Sodalitatis italicae oblatorum « corneae »* etc.: *A.A.S.* 48 (1956), p. 460: « *La transplantation de glandes sexuelles animales sur l'homme est à rejeter comme immorale...* ».

[13] PIUS XII, *Iis qui interfuerunt Conventui universali de fecunditate et sterilitate humana,* Neapoli indicto, 19 maii 1956: *A.A.S.* 48 (1956), p. 471: « Au sujet des tentatives de fécondation artificielle humaine " *in vitro* ", qu'il Nous suffise d'observer qu'il faut les rejeter comme immorales et absolument illicites ».

Hic tamen Constitutio habet prae oculis omnia illa moderna experimenta, quae fiunt per unionem vitalium germinum humanorum, etiam independenter ab intentione foecundationis artificialis sed ad alios fines obtinendos. Multi exspectant, ut Ecclesia clare dicat in omni hypothesi illa experimenta esse illicita, quamvis legislationes civiles hucusque, quantum scimus, nihil faciant; immo materialistae occasionem arripiant publice in ephemeridibus principia divina irridendi.

CAPUT II

DE CASTITATE SOLUTORUM ET VIRGINITATE

5. [*De castitate in solutis*]. Omni homini officium grave quidem, sed non minus honorificum incumbit dominandi impetus affectusque sexuales per castitatis exercitium, quo caro et sensus rationi, qua homo ad altiora evehitur, debite subiiciuntur, et per rationem fide illustratam, legi evangelicae. Differt autem castitatis exercitium in solutis et matrimonio iunctis, cum in solis solutis annexam habeat continentiam. Ex divina enim ordinatione, lege etiam naturae manifesta, homo iam non eo ipso quod habeat validam sexualem potentiam consequitur ius eandem exercendi. Solo enim in legitimo matrimonio et suis quidem limitibus moralibus, ius illud obtinetur.[1] Grave igitur officium habet homo solutus, sive solitarie sive cum alio, omittendi actiones, quae natura sua constituunt potentiae proprie et specifice sexualis perfectos vel imperfectos exercendi usus aut quae in huiusmodi usum libera et conscia voluntate ordinantur.[2] Severum attendatur ad monitum Spiritus Sancti per Apostolum dicentis: « Nolite errare: neque fornicarii, neque indolis servientes, neque adulteri, neque molles neque masculorum concubitores... regnum Dei possidebunt » (*I Cor.* 6, 9-10).[3] Immo etiam pravi contra castitatem interni actus deliberati severe prohibentur a Domino (cf. *Mt.* 5, 28; 15, 18-19). Neque dicatur haec, praesertim hodie, vitari non posse. Nam etiam soluti capaces sunt, iuvante Dei gratia, servandi castitatem, ut de ipsis quoque iam declaravit S. Tridentina Synodus,[4] et continuo docuit Ecclesia.[5] Non minus hodie quam olim, etiam pro iuvenibus, valent monita Apostoli: « Corpus autem non fornicationi sed Domino, et Dominus corpori... An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti...? » (*I Cor.* 6, 13, 19-20).[6] « Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem » (*I Thess.* 4, 7). Castitas licet neque unicus neque primus sit valor in vita morali hominum, tamen sine ea vita moralis integra exsistere nequit, neque ullo modo denegari debet quanti etiam valoris coram Deo sit aestimanda casta vita illorum, qui, etiam extra matrimonium, puros et immaculatos se servant in hoc saeculo; etenim non absque ratione cum ipsa caritate etiam modestia, continentia et castitas inter Spiritus Sancti fructus adnumerantur (cf. *Gal.* 5, 22-23).

6. [*De virginitate*]. Quodsi Ecclesia semper castitatem, ut fructum eximium Spiritus Sancti (cf. *Gal.* 5, 23) eximio honore tenuit, utique inter thesauros suos maxime pretiosos semper reputavit perfectam illam castitatem, qua quis in sacra virginitate sese consecrat Dei famulatui et propter regnum caelorum (cf. *Mt.* 19, 12), spirituali liberae voluntatis proposito, a nuptiis earumque corporalibus delectationibus abstinet; qui honor crescit si illa castitas, ex suscepto voto perpetuo, maiore circumdatur robore ac firmitate.[7] Tali enim consecratione homo quodammodo puritatem Angelorum aemulatur,[8] statum caelestem aliquatenus anticipat,[9] perfectius Christo Virgini, ex

Virgine immaculata nato, adsimulatur, atque arctius cum Deo, Spiritui purissimo, coniungitur. Eadem quoque consecratione obtinetur, ut homo facilius vacet rebus divinis atque expeditius opera aggrediatur apostolica ob Regnum Dei dilatandum suscepta.[10] Quare Ecclesia a Spiritu Sancto per Paulum Apostolum (cf. *I Cor.* 7, 7-8 et 7, 38) edocta, virginitatem ob Deum susceptam, prae matrimonio extollere numquam desinit,[11] et a sacrorum ministris ritus latini postulat, ut volenter libenterque perfectae castitatis obligationibus pareant easdemque ministris rituum orientalium onus honorificum commendat.

7. [*Defensio et cura castitatis*]. At castitas, tanti valoris apud Deum, ut revera servetur, efficaciter est amanda, in humilitate vigilanter custodienda, defendenda et promovenda per apta media naturalia et supernaturalia.[12] Natura quidem iam homines in hoc adiuvat per quemdam innatum pudorem, qui magis crescit et iuvat si spiritu christiano imbuitur. Pudicitia enim vere dici potest prudentia et munimen castitatis.[13] Unde non est sequenda opinio, qua actus impudici indifferentes censeantur.[14] A fortiori nec sequenda est illa quorumdam aberratio, qua iidem contra pudicitiam actus commendentur, ut, per directe quaesitam et obtentam quamdam in illis sensualem delectationem, melius quis posset servare castitatem et vitare peccatum consummatae et perfectae luxuriae.[15] Nec minus damnatur aliud extremum, quo nempe variae rationes, ordinis naturalis, immo ipsa religio et moralitas, invocantur ad defendendum et propagandum proprium quemdam cultum nuditatis, neglecta hominum conditione post peccatum Adae (cf. *Gen.* 2, 25; 3, 7).[16] Quod autem ad sic dictam « initiationem sexualem » attinet:[17] etsi haec S. Synodus, ut in promptu est, prudentem, pudicam et christianam educationem et institutionem de rebus ad sexum spectantibus pro singulorum conditione et exigentia commendat, reprobare tamen debet huiusmodi initiationem indiscriminatam, inconditionatam, inverecundam, et naturalisticam.[18] Insuper cum summa aversione novit haec S. Synodus quot ac quantae sint hodie contra castitatem detestandae insidiae, quibus in hodiernae culturae quamplurimis manifestationibus, etsi datis sub specie ludi, recreationis, scientiae, artis vel laudandae pulchritudinis, de facto animae, sanguine Christi redemptae, singulis momentis et quasi ubique etiam in sinu familiae ad malum incitantur, immo trahuntur.[19] Monet igitur omnes ut contra talia pericula muniant semetipsos, orationibus, ieiuniis, Poenitentiae et Eucharistiae sacramentis, pietate erga Virginem Mariam. Fugiant quoque proximas, quas vocant, occasiones.[20] Quomodo enim possunt sincero corde orare: « Et ne nos inducas in tentationem » (*Mt.* 6, 13), si tentationes ipsi libere quaerunt? Memor autem verborum Domini contra scandalizantes, Ecclesia ius et officium habet insurgendi contra scandalizantes et praesertim contra publicam moralitatis sexualis depravationem.[21] Et etiam auctoritas civilis moralitatem custodire et defendere debet mediis sibi congruis et efficacibus,[22] maxime iuvando conatus omnium, singulorum et inter se unitorum, in promovenda morali-

tate publica, etiam ubi laeditur scriptis, emissionibus radiophonicis, televisione aliisque culturae humanae instrumentis.

8. [*Quidam errores censurantur*]. Offendunt igitur graviter Ecclesiae doctrinam affirmationes, quibus, etiam in homine normali, fere omnia, inclusis religiosis, moralibus immo supernaturalibus, veluti a priori e sexualibus sint explicanda, addita accusatione pastores animarum habendos esse inidoneos suique officii non capaces, cum haec et alia moderna postulata nesciant.[23] Error insuper est peccatum internum contra castitatem non recognoscere velle, vel ipsum peccatum externum novis, v. g. ex psychoanalysi desumptis, iisque doctrinas Ecclesiae offendentibus mensurare criteriis.[24] Idcirco eodem tenore ut perfalsae habendae sunt sententiae iniuriose insinuantes actiones quas ethica traditionalis Ecclesiae tenet ut castitati offensivas, potius exigi ab ipsa natura vel a sana humanae personae evolutione.[25] Pessimum autem est tenere ipsos peccaminosos amores erga eiusdem sexus personas ut privilegium altioris culturae.[26] Insuper ut perniciosos haec S. Synodus stigmatizat errores, quibus, si credis, proprie et apprime in campo castitatis, numquam vel fere nunquam essent actiones subiective graviter malae, maxime tempore iuventutis et in habitudinariis, occasionariis et recidivis, quippe quia sufficienti libertate praesumantur carere, immo etiam actiones huiusmodi asserantur inevitabiles.[27] Eousque procedit error ut ad ipsas actiones obiective graviter malas licitum dicatur aliquem inducere, ubi illa sunt tantum et ad summum peccata materialia; [28] vel etiam speciales obligationes circa castitatem tempore adolescentiae assumptae asserantur esse practice non exsistentes, cum adolescentes a priori et universaliter praesumantur carere maturitate psychologica, atque necessaria circa personam alterius sexus experientia.[29] Tandem S. Synodus ut iniuriosos quoque repudiat errores, secundum quos Ecclesia per doctrinam suam de castitate et de pudicitia laederet sanam et robustam iuventutis educationem. Haec contra Deum directe diriguntur, cum ipse Deus dicat per Apostolum: « Fornicatio autem et omnis immunditia... nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos » (*Eph.* 5, 3).

NOTAE

[1] Pius XII, in cit. *Allocutione* 19 maii 1956: *A.A.S.* 48 (1956), p. 472 sq. habetur pertractatio specifica de intrinseca malitia peccati contra sextum.

[2] S. Zephyrinus (?) in Tertulliani *De pudicitia,* cap. 1: Denz. 43.

Conc. Lugdunense I (a. 1245): Denz. 453: « De fornicatione autem, quam *solutus* cum soluta committit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum, cum tam *fornicarios, quam adulteros a regno Dei* Apostolus asserat *alienos* (*I Cor.* 6, 9 s.) ».

Errores de rebus moralibus damnati in Decr. S. Off. 4 martii 1679, nn. 48-49: Denz. 1198: « Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, *ut contrarium omnino rationi dissonum videatur* ». Denz. 1199: « *Mollities iure naturae prohibita non est.* Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali ».

Errores Zanini de Solcia, damnati litteris *Cum sicut* 14 nov. 1459, n. 7: DENZ. 717 g: « Extra matrimonium luxuriam non esse peccatum, nisi legum positivarum prohibitione, easque propterea minus bene disposuisse, et sola prohibitione ecclesiastica se fraenari, quominus Epicuri opinionem ut veram sectaretur ».

Conc. Viennense (a. 1311-1312): *Errores Beguardorum et Beguinarum,* n. 7: DENZ. 477: « Quod mulieris osculum, cum ad hoc natura non inclinet, est mortale peccatum; *actus autem carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non est,* maxime cum tentatur exercens ».

ALEXANDER VII, *Errores de rebus moralibus damnati* die 18 martii 1666, n. 40: DENZ. 1140: « Est probabilis opinio, quae dicit, *esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem,* quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis ».

Decr. S. Officii 2 aug. 1929: DENZ. 2201.

PIUS XI, Encycl. *Casti connubii,* 21 dec. 1930: DENZ. 2230.

Cf. etiam *errores Michaëlis de Molinos,* prop. 24, 41, 42, 47-53: DENZ. 1244, 1261, 1262, 1267-1273.

Quoad gravitatem actuum turpium, cf. S. THOMAS, *Lectura in Eph.,* c. 5, 4, lect. II: « Tria ergo vitia excludit, scilicet turpitudinem quae est in *tactis turpibus* et *amplexibus* et *osculis libidinosis...* Et haec omnia sunt *mortalia,* in quantum ad mortalia peccata ordinantur, quia aliquid etiam si bonum sit ex genere, in quantum ad mortale ordinatur, est mortale ».

[3] Cf. etiam *Gal.* 5, 19; *Eph.* 5, 5; *II Petr.* 2, 9 s.; *Apoc.* 22, 15.

PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), pp. 182 s.: « Omnes sancti viri sanctaeque mulieres suorum sensuum cupidinumque motibus impense invigilarunt eosque interdum acerrime cohibuerunt, secundum verba ipsius Divini Magistri docentis: " Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proiice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam " (*Matth.* 5, 28-29). *Qua admonitione, ut luculenter patet, id a nobis imprimis Redemptor noster postulat ut nempe, ne mente quidem, peccato unquam concedamus,* itemque ut ea omnia a nobis firma voluntate arceamus, quae pulcherrimam eiusmodi virtutem vel levissimo modo commaculare queant. Hac in re nulla nimia diligentia, nulla severitas nimia haberi potest ».

[4] Cf. *Conc. Tridentinum,* Sess. XXIV, can. 9: DENZ. 979; qui textus citatur infra ab Encycl. *Sacra Virginitas,* in nota sequenti.

[5] PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 181: « Verumtamen etsi Deo dicata castitas *ardua virtus est,* eam nihilo secius ii fideliter perfecteque servare possunt, qui Iesu Christi invitationi, re diligenter considerata, generoso respondeant animo, et quidquid possunt ad hanc rem assequendam efficiant. Nam, cum eiusmodi virginitatis vel coelibatus statum capessierint, idcirco hoc donum gratiae a Deo accipient, quo adiuti suum propositum exsequi *possint.* Quapropter, si forte habeantur, " qui non sentiunt se castitatis (etiamsi eam voverint) habere donum " (cf. *Conc. Trid.,* Sess. XXIV, c. 9), *ne ipsi contendant exinde suis obligationibus hac in re satisfacere non posse.* Nam " Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis (cf. S. AUG., *De natura et gratia,* c. 48, n. 50: *PL* 44, 271) et adiuvat ut possis " (*Conc. Trid.,* Sess. VI, c. 11). Hanc, solacio plenam veritatem eorum quoque in memoriam revocamus,

quorum voluntas *ob nervorum perturbationes infirmata est,* et *quibus nonnulli medici, interdum etiam catholici,* nimia facilitate suadent — speciosam interponentes causam, se nempe non posse sine mentis aequilibritatis detrimento castitatem servare — *ut eiusmodi obligatione eximantur* ».

Quoad hos textus obici nequit unice ibidem de illis qui castitatem perfectam voverint sermonem fieri. Nam si possibilitas servandi castitatem valet pro illis qui *perpetuo* se obstrinxerunt, a fortiori valet pro aliis, qui tamen cogitant se in posterum matrimonio iungi.

Alia ex parte expresse de iuvenibus etiam ait Pius XII in *Nuntio radiophonico,* 23 martii 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 275: « Consapevoli pertanto del diritto e del dovere della Sede Apostolica d'intervenire, quando bisogni, autorevolmente nelle questioni morali, Noi nel discorso del 29 ottobre del passato anno Ci proponemmo d'illuminare le coscienze intorno ai problemi di vita coniugale. *Con la medesima autorità dichiariamo* oggi agli educatori e *alla stessa gioventù: Il comandamento divino della purezza dell'anima e del corpo vale senza diminuzione anche per la gioventù odierna. Anch'essa ha l'obbligo morale, e, con l'aiuto della grazia, la possibilità di conservarsi pura* ».

[6] Cf. etiam *Eph.* 5, 3 ss.

[7] Cf. Pius XII, Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 mart. 1954: *A.A.S.* 46 (1954), pp. 161-191. De voto *ibidem,* p. 165.

[8] S. Ioannes Chrysostomus, *In Mt.* hom. 70, 5: *PL* 58, 660.

S. Bonaventura, *De perfectione evangelica,* q. 3, a. 3.

S. Thomas, *Catena aurea in Matth. evang.* cap. 22, v. 30-32 ed. Parm. 1860, p. 254 *B*: « ... sic omnes virtutes sunt *res angelicae, praecipue tamen castitas,* per quam vincitur natura virtutibus ».

S. Cyprianus, *De habitu virginum,* 22: *PL* 4, 462: « Cum castae perseveratis et *virgines, Angelis Dei estis aequales* ».

S. Ambrosius, *De Virginibus,* lib. 1, c. 8, n. 52: *PL* 16, 202-203.

Pius XII, Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 martii 1954: *A.A.S.* 46 (1954), pp. 167, 173.

[9] Cf. *Mt.* 22, 30.

[10] Cf. *I Cor.* 7, 32-34.

[11] Cf. *Conc. Trid.,* de Sacr. matrim. can. 10: Denz. 980; *C.I.C.,* can. 132, § 1; *Sacra Virginitas,* l. c., p. 163.

[12] Pius XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: A.A.S., 46 (1954), pp. 182, 187: « Haec autem sunt, quae Divinus ipse Redemptor nobis commendavit adiumenta, quibus virtutem nostram *efficaciter* tueamur: *sedula nempe assiduaque vigilantia,* ... quae ad quaelibet pertinet nostrae vitae momenta et ad quaevis etiam rerum adiuncta, nobis omnino *necessaria* est: " Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem " (*Gal.* 5, 17.) Si quis vero aliquid, etsi parum, corporis illecebris concesserit, facile is ad ea " opera carnis ", quae Apostolus enumerat (cf. ibid. 19-21), et quae turpiora ac foediora sunt hominum vitia, se prolabi sentiet ».

[13] Pius XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 185: « Rectius profecto utiliusque fecerint sacrae iuventutis educatores, si adulescentium mentibus *christianae pudicitiae* praecepta inculcaverint quae quidem tantopere valet ad virginitatis incolumitatem servandam et quae *castitatis prudentia* dici potest. Pudicitia enim et ingruens periculum prospicit, et vetat ne quis se discrimini prodat,

et ea etiam rerum adiuncta vitare iubet, a quibus aliquis minus prudens non refugit ». Haec valent, uti patet, non solum pro illis qui se vovent *sacrae* virginitati: sed etiam pro omnibus solutis, qui castitatem servare debent.

[14] Hic intenditur illa erronea at divulgata praesertim inter iuvenes sententia, vid. in amorosis provocationibus vel occasionibus moralitatem non tangi, si inter se tantum *tactus impudicos agant*: praesertim si fiant ad melius inveniendum propriam coniugem. Haec divulgata et privatorum persuasio invadit campum etiam moralitatis publicae, ubi ipse pudor mensuratur ad beneplacitum depravatae hominum consuetudinis, non vero iuxta dictamina legis naturalis et christianae.

Scribit e contra Pius XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 185: « [Pudicitia] *verba* minus honesta non amat, et ab *immodestia* vel levissima abhorret, atque a *suspecta familiaritate* cum alterius *sexus personis diligenter cavet...* ».

[15] Hic prae oculis habetur, quod, etiam hodie, aliquando saltem practice, in tentationibus contra castitatem quis reputatur sibi licere ad illas superandas, tactus vel visus impudicos circa personam alterius sexus facere, ipsa consentiente. Tali modo praetendunt moderari, uti dicunt, flammam libidinis, et ideo nihil mali fieri atque ideo posse tranquilla conscientia ad sacramenta accedere.

Licet non incidatur directe in errores Michaëlis de Molinos, qui in tentationibus contra castitatem directe invisebat actionem diabolicam, tamen in istis etiam aliqua relatio cum illis erorribus inspici potest. Ita in prop. 47 condemnata ab Innocentio XI: Denz. 1267, legitur: « Cum huiusmodi violentiae occurrunt, sinere oportet, ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo; et etiamsi sequantur pollutiones et *actus obscoeni propriis manibus* et etiam peiora, non opus est seipsum inquietare (*Viva*: inquietari), *sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia et timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et prae omnibus non opus est haec confiteri, et sanctissime fit non confitendo;* quia hoc pacto superatur daemon, et acquiritur thesaurus pacis ».

Ut patet, fundamentum erroris *Michaëlis de Molinos* potest esse aliud, sed media et suggestiones erroneae in propositione contentae aliquam habent relationem cum istis novis suggestionibus, ab aliquibus datis vel permissis ad superandas difficultates sexuales.

[16] Hic intenditur etiam « *nudismus* » sive ut doctrina sive ut praxis. Hodie quam maxime divulgatus est praesertim in aliquibus regionibus: uti in Gallia, in Austria, in Helvetia, in Scandinavia, in America, etc. Adsunt « campi nudistarum » quamplurimi et societates; potest etiam alia appellatione se praesentare: ut « *naturismus* » vel « *cultura libera corporis* », etc. Proponitur completa seu totalis nuditas variis rationibus commendata: scilicet philosophicis, hygienicis, paedagogicis, moralibus, socialibus, artisticis. Ipsi cultores « nudismi » non raro accusationes vehementes faciunt sive contra S. Bibliam et S. Paulum in specie, sive contra Ecclesiam, cum videantur non favere « nudismo ».

[17] Vox « initiatio sexualis » invenitur in *Decret. S. Officii,* 21 mart. 1931: *A.A.S.* 23 (1931), p. 118.

[18] Documenta Pontificia sunt plura:

Instructio S. Officii ad Episcopos Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis, 24 nov. 1875 (confirmata a Summo Pontifice Leone XIII), in: *Codicis Iuris Canonici Fontes,* T. IV, pp. 362-365. Ibidem aliquid dicitur in genere de periculo coeducationis.

PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 71 ss.

Decr. S. Officii, 21 martii 1931: *A.A.S.* 23 (1931), pp. 118-119.

PIUS XII, *Sermo ad matresfamilias italicas,* 26 oct. 1941: *A.A.S.* 33 (1941), p. 450.

PIUS XII, *Sermo ad patresfamilias gallicos,* 18 sept. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 732 s.

PIUS XII, *Sermo ad docentes ex Ordine Fratrum Carmelitarum Discalceatorum,* 23 sept. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 736: « Quocirca huiusmodi verecundia non ita accipienda est, ut hac super causa perpetuo aequiparetur silentio utque in impertienda disciplina morum ne sobrius quidem cautusque sermo de iis umquam fiat. His super rebus adulescentes consiliis idoneis *instruantur* eisque *liceat* aperire animum, sine haesitatione quaerere, responsum accipere, quod securum, perspicuum, satis explicatum ipsis lumen et fiduciam iniciat ».

PIUS XII, *Iis qui interfuerunt Conventui internationali quinto de psychotherapia et psychologia,* 13 apr. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 282: « Un mot sur la méthode utilisée parfois par le psychologue pour libérer le moi de son inhibition dans les cas d'aberration dans le domaine sexuel: Nous pensons à *l'initiation sexuelle complète, qui ne veut rien taire, rien laisser dans l'obscurité.* N'y a-t-il pas là une surestimation pernicieuse du savoir? Il existe aussi une éducation sexuelle efficace, qui en toute sécurité enseigne dans le calme et l'objectivité ce que le jeune homme doit savoir pour se conduire lui-même et traiter avec son entourage ».

PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 186: « Verumtamen, nostris hisce temporibus, nonnulli institutores educatoresque nimio saepius sibi officium esse ducunt innocentes pueros puellasque tali modo arcanis humanae generationis initiandi rebus, qui eorum *pudorem* offendat. Atqui iusta hac in re agendi *temperatio* ac *moderatio adhibenda est,* quae a *christiana pudicitia* requiritur ».

Potest etiam addi *Instructio S. Officii,* 16 maii 1943, *Periodica* 33 (1944), pp. 130-133; ubi normae reservatae dantur « de agendi ratione confessariorum circa sextum Decalogi praeceptum ». Ibi expresse dicitur p. 132: « Itidem ne audeat confessarius, seu sponte seu rogatus, de natura vel modo actus quo vita transmittitur, poenitentes docere, atque ad id nullo umquam praetextu adducatur ». Haec instructio die 4 nov. 1955 a S. S. Congr. S. Off. communicata fuit cum omnibus Episcopis.

Quoad *coeducationem,* in se sola spectatam, nihil expresse in Constitutione dictum habetur, quia res est sat difficilis ob particularia adiuncta regionum.

[19] Hic prae oculis habetur severa reprobatio omnium modernorum modorum, quatenus sunt potius oblectamenta carnis exhibita sive in quibusdam peculiaribus institutis (« Istituti di bellezza »), sive in modo se vestiendi, in *choreis* praesertim modernis, in quibusdam *concursibus pulchritudinis,* in *spectaculis,* in *imaginibus,* in *cantionibus,* in *scriptis,* in *exercitationibus corporalibus indecoris,* in *aquaticis et promiscuis balneis,* in *mundanis sylvestribus relaxationibus.* In omnibus istis pudor saepe offenditur, sine ulla animae christianae respectu. Concilium igitur hac in re silere nequit, sicut nec siluit Christus. Nam hodie scandalum eo magis crescit et divulgatur, quod ope emissionis radiophonicae, pelliculae rotantis, et televisionis id quod prius uno solo loco aspici poterat, nunc ubique terrarum videre est. Nec minus notum est hodiernam *divarum* latriam occasionem esse scandali. In prima redactione haec erant magis specificata. Postea praevaluit ut haec omnia in Con-

stitutione solummodo quasi velato dicantur et improbentur, ne ipsa Constitutio nimis cruda aut « veristica » diiudicaretur.

[20] PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 183: « Ad tuendam castimoniam, secundum Hieronymi sententiam, fuga magis valet quam apertum certamen: " Ideo fugio, ne vincar " (S. HIERON., *Contra Vigilant.*, 16: *PL* 23, 352). Quae quidem fuga ita intellegenda est, ut non modo peccandi *occasiones* diligenter arceamus, sed praesertim ut in huius generis certaminibus mentem animumque ad divina erigamus... ».

[21] De isto iure et officio Ecclesiae, quod hodie a laicistis ipsi negatur, nullum dubium moveri potest, uti apparet ex frequentibus Ecclesiae documentis, in quibus contra violatores moralitatis publicae insurgit: cf.

PIUS X, Encycl. *Editae saepe*: *A.A.S.* 2 (1910), p. 357.

PIUS XI, Encycl. *Firmissimam constantiam,* 28 martii 1937: *A.A.S.* 29 (1937), p. 189.

PIUS XII, *Ad patresfamilias e Gallia Romam peregrinantes,* 18 sept. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), pp. 730 ss.

PIUS XII, Litt. *I rapidi progressi,* ad Episc. Italiae, 1 ian. 1954: *A.A.S.* 46 (1954), p. 18.

PIUS XII, Encycl. *Miranda prorsus*: *A.A.S.* 49 (1957), p. 765 ss.

[22] PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri.*

PIUS XII, Litt. *I rapidi progressi,* ad Episc. Italiae, 1 ian. 1954: *A.A.S.* 46 (1954), p. 20 s.: « Alle autorità pubbliche soprattutto spetta prendere ogni cautela, perchè in nessuna maniera sia recata offesa o turbamento a quell'aura di *purezza* e di *riservatezza* che deve circondare il focolare domestico... Noi nutriamo profonda fiducia che l'alto senso di responsabilità di coloro che presiedono alla vita pubblica verrà ad impedire le tristi eventualità... ».

Ita etiam in pluribus aliis Magisterii documentis.

[23] Non tangitur hic *expresse* sic dictus *pansexualismus,* cum sciatur hodie inter psychologos adesse, qui negant et ipsum Freud docuisse vere pansexualismum. Hac de causa increparunt ipsum Pius XII, cum de methodo pansexuali sermonem facit, ut infra notatur. Ex alia parte constat quod *theoretice* et *practice* in vita hominum nimis elementa sexualia producuntur quasi sint unica vel saltem praeeminentia, immo explicativa realitatum etiam supernaturalium. Ideo *sexualismus* damnatur eo sensu, quo in Constitutione intelligitur. Pro hac quaestione, quidquid sit de pansexualismo freudiano, remanent ut valida documenta sequentia:

PIUS XII, Sermo 14 sept. 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 783: « Il n'est pas prouvé, *il est même inexact,* que la méthode pansexuelle d'une certaine école de psychanalyse soit une partie intégrante indispensable de toute psychothérapie sérieuse et digne de ce nom; que le fait d'avoir dans le passé négligé cette méthode ait causé de graves dommages psychiques, des erreur dans la doctrine et dans les applications en éducation, en psychothérapie et *non moins encore dans la pastorale;* qu'il soit urgent de combler cette lacune, et d'initier tous ceux qui s'occupent de questions psychiques, aux idées directrices et même, s'il le faut, au maniement pratique de cette technique de la sexualité ».

In quodam articulo cui titulus: *A proposito di psicanalisi,* auctoritative edito in *L'Osservatore Romano,* 21 sept. 1952, occasione illius sermonis Summi Pontificis, legitur: « Aggiungono inoltre cotesti psicanalisti, che anche i sacerdoti, in cura

d'anime o dedicati alla direzione spirituale delle coscienze, dovrebbero conoscere le parti sostanziali della teoria e della prassi della psicanalisi, così intesa, e persuadersi che questo mezzo non può essere trascurato, benchè essi medesimi, personalmente, non debbano usarlo, ma debbano servirsi dell'aiuto di un competente medico psicoanalista. Altrimenti è da temersi — essi sostengono — che i sacerdoti esercitino il loro ministero spirituale con pericolo e danno delle anime. Purtroppo queste idee vengono *imprudentemente* proposte e difese in articoli, libri e conferenze anche da alcuni teologi, i quali più preoccupati dell'aspetto medico, trascurano le norme stabilite dalla morale cristiana, di nuovo promulgate ed inculcate dal Sommo Pontefice ».

Evidenter neque Summus Pontifex neque praesens Constitutio vult damnare cognitionem et utilitatem istarum scientiarum, etiam ex parte sacerdotum; attamen error est omnia per sexum in pastorali animarum explicare, atque accusare pastoralem catholicam ac si hac in re Ecclesia defecerit in essentialibus quoad directionem animarum. In Constitutione scite provisum est, quod dum damnatur error, pro secunda parte tantum *describatur accusatio,* vitato tamen verbo damnationis, ne Concilium accusetur aversionis erga scientias. Habetur tamen erroris, de quo in Constitutione, descriptio et reprobatio etiam apud PIUM XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 174: « Imprimisque a communi probatorum hominum sensu, quem quidem Ecclesia semper in honore habuit, ii *procul dubio aberrant, qui naturalem sexus instinctum considerant quasi potiorem maioremque humanae compagis propensionem* et exinde concludunt hominem non posse per totius vitae cursum huiusmodi appetitum coërcere sine gravi periculo eius corporis vitalia potissimumque nervos perturbandi, ideoque humanae personae aequilibritati detrimentum inferendi ». In aliis quoque locis (cf. supra nota 7) reprobatur quaecumque exaggeratio elementi sexualis in vita hominis.

[24] Contra e. g. Dr. HESNARD, *Morale sans péché* et alii eiusdem libri qui ideo in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt. Pro notitia errorum ibidem contentorum, cf.: *L'Osservatore Romano,* 23-24 ian. 1956, *Psicanalisi e mitomorale,* ubi explicatur damnatio trium librorum D.ris Hesnard.

[25] Cf. apud eundem HESNARD et non paucos medicos antiquos et modernos.

PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 174 s.: « ... et exinde concludunt hominem *non posse* per totius vitae cursum *huiusmodi appetitum coercere sine gravi periculo* eius *corporis vitalia* potissimumque nervos perturbandi, ideoque *humanae personae* aequilibritati detrimentum inferendi ».

Idem PIUS XII, in *Allocut. ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 850 s.: « Tutti questi valori secondari della sfera e dell'attività generativa rientrano nell'ambito dell'ufficio specifico dei coniugi, che è di essere autori ed educatori della nuova vita. Alto e nobile ufficio! il quale però *non appartiene all'essenza di un essere umano completo,* come se, non venendo la naturale tendenza generativa alla sua attuazione, si avesse in quache modo o grado una *diminuzione della persona umana.* La rinunzia a quell'attuazione non è — specialmente se fatta per i più nobili motivi — una mutilazione dei valori personali e spirituali ».

Cf. etiam PIUS XII pluribus aliis occasionibus. Licet aliqua verba directe se referant ad virginitatem et castitatem perpetuam, tamen principium moralis catholicae est sat clarum.

[26] Hodie quoque vitium *homosexualitatis* sat divulgatur; nedum de illo foedis-

simo vitio horror saltem habeatur, praetenditur illud etiam laudandum et proponendum tamquam signum superioris amoris et altioris culturae. Nam, dicitur, amare personam alterius sexus facile est; sed amare sexualiter personam eiusdem sexus non est omnium, sed tantum paucorum, qui ad hoc idonei et educati sunt. Sic intelligitur cur factum illud deplorandum propagetur, scilicet etiam homines maioris ingenii huic vitio fuisse addictos.

[27] Hic agitur contra plures modernos, praesertim inter psychologos, qui libertatem sufficientem, maxime in iuvenibus et quoad peccata contra sextum non admittunt; cum e contra libertas in normalibus suppondenda est quousque non probetur contrarium, ut non una vice edixit PIUS XII.

PIUS XII, *Allocutio* 26 maii 1957: *A.A.S.* 49 (1957), p. 406: « Perciò la morale e il diritto non si immobilitano in un'attitudine superata, quando affermano che bisogna dimostrare ove la libertà cessa, e non ove comincia. La sana ragione e lo stesso buon senso si sollevano contro un tale determinismo di fatto che ridurrebbe al minimo la libertà e la responsabilità ».

PIUS XII, *Nuntius radiophonicus* 23 martii 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 275: « *Respingiamo,* quindi come *erronea* l'affermazione di coloro, che considerano *inevitabili* le cadute negli anni della pubertà, le quali così non meriterebbero che se ne faccia gran caso, *quasi che non siano colpa grave,* perchè ordinariamente, essi aggiungono, *la passione toglie la libertà necessaria,* affinchè un atto sia moralmente imputabile ».

Non sine ratione et relatione ad istos errores damnatus est a S. Officio liber MARC ORAISON, *Vie chrétienne et le problème de la sexualité,* Paris 1951.

[28] PIUS XII, *Allocutio ad parochos Urbis et concionatores sacri temporis Quadragesimalis: De praeceptis Decalogi,* 22 febr. 1944: *A.A.S.* 36 (1944), p. 73, ubi data opera Pontifex sermonem facit de erroneis conceptibus quoad peccatum grave (de quibus cf. etiam supra in Const. de Ordine Morali). Specifice autem quoad peccata contra sextum sic lamentatur Pontifex: « Per portare un esempio: le moltiformi deviazioni del sesto comandamento non sarebbero per il credente, il quale nel resto vuol mantenersi unito a Dio e conservarsi amico di Lui, *nessuna grave mancanza, nè importerebbero colpa mortale* ».

PIUS XII, *Allocutio* 13 apr. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 286, ubi agit ex professo de sic dicto « peccato materiali » et inter alia dicit: « La psychothérapie peut encore moins donner au malade le conseil de commettre tranquillement un péché matériel, parce qu'il le fera sans faute subjective, et ce conseil serait aussi erroné si une telle action devait paraître nécessaire pour la détente psychique du malade et donc pour le but de la cure. On ne peut jamais conseiller une action consciente qui serait une déformation, non une image de la perfection divine ».

Cf. etiam PIUS XII, *Allocutio* 1 oct. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 728.

[29] Ita PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas*: *A.A.S.* 46 (1954), p. 183 s.: « Nonnulli siquidem autumant christianos omnes, ac praesertim sacrorum administros, non ut superioribus aetatibus esse a mundo segregandos, ut aiunt, sed mundo praesentes esse oportere, et ideo necesse est eos *aleam subire atque eorum castitatem in discrimen adducere, ut inde clare pateat utrum habeant, an non, validam, obsistendi facultatem*: omnia igitur videant iuvenes clerici, ita ut omnia cernere aequo animo assuescant, atque adeo quibusve perturbationibus se immunes reddant ».

Sed iam eousque hodie proceditur ut etiam relationes amorosae consulantur

illis qui vovere se cupiunt castitati perpetuae. Insuper directe hic id increpari intenditur quod affirmant multi psychologi, tempore nempe pubertatis et primae iuventutis hominem esse incapacem actus humani plene liberi et plene responsabilis. Haec pro dolor est opinio quae auditur etiam a psychologis catholicis. In Constitutione evidenter non increpatur sanus educationis modus ad castitatem, quo iuvenes et etiam clerici, si ad curam animarum destinati sunt, educantur ita, ut omnia quae debent videre vel tractare, cum animo puro et simplici videant ac tractent. Item non intenduntur conditiones extraordinariae vel pathologicae, vel impetuosae sexualitatis, quae redderent iuvenem minus aptum sese vovendi castitati perfectae vel quae possent minuere imputabilitatem. Quae omnia in singulis casibus secundum singulorum adiuncta sunt mensuranda.

Pars altera

DE MATRIMONIO ET FAMILIA

9. [*Praenotanda*]. In fontibus divinae Revelationis non semel cum unio mystica Christi et Ecclesiae, tum alia religionis mysteria, nuptiarum ac familiae similitudinibus exponuntur.[1] Iam solo hoc facto a Spiritu Sancto innuitur matrimonium et familiam non esse labilia et mutabilia hominum inventa, sed procedere a Deo, qui est auctor naturae et gratiae, et « apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio » (*Iac.* 1, 17). Hac de causa S. Synodus, non minus Spiritu amoris quam veritatis edocta, ut casti connubii familiaeque christianae institutio, finis, functio clarius innotescant, ut eorundem momentum, nobilitas, pulchritudo amplius effulgeant, et ab errorum tenebris, ubique exsurgentium efficacius defendantur, id proponere intendit quod ipse Deus in creando hominem masculum et feminam (cf. *Gen.* 1, 27 et 5, 2; *Mt.* 19, 4) reapse voluit, et Iesus Christus in matrimonio restaurando illoque ad Sacramenti dignitatem elevando, Ecclesiae veluti legem fundamentalem nec umquam mutabilem divinitus consignavit.

Caput 1

DE ORDINE MATRIMONII CHRISTIANI DIVINITUS CONSTITUTO

10. [*Matrimonii origo, natura, dignitas*]. Providit Deus humani generis multiplicationi per matrimonii institutionem (cf. *Gen.* 2, 18-25).[2] Est igitur matrimonium origine, fine, officio, natura sua bonum et sacrum,[3] immo pro baptizatis Sacramentum, ad cuius dignitatem a Christo est elevatum.[4] Docet autem S. Synodus hoc Sacramentum inter Christianos eo ipso constitui, quod duo baptizati, vir et mulier, uno eodemque mutuo ac valido consensu in verum connubium se legitime iungunt.[5] Atque ideo ex ipsa voluntate Dei et Christi talis humanus consensus, etiam in christiano coniugio, ita est essentialis, ut sine ipso Sacramentum non habeatur; [6] ita personalis, ut

nullo alio consensu vel humana potestate suppleri valeat; [7] ita unus et indivisibilis, ut inter baptizatos nullum dari possit verum atque validum matrimonium, quin sit eo ipso Sacramentum.[8] Hac autem indole sacramentali tanta est sponsorum christianorum dignitas, nobilitas et splendor, ut ipsi non tantum purissimam atque foecundissimam unionem Christi cum Ecclesia repraesentent (cf. *Eph.* 5, 32-33), sed iidem efficiantur per validum consensum mutuo exterius rite manifestatum et acceptum, huius Sacramenti administri, utpote hoc suo consensu signum constituentes, quo non ponentibus obicem gratia confertur.[9] Gratia enim, ut docet Synodus Tridentina, quam ipse Christus sua nobis passione promeruit, naturalis amor perficitur, indissolubilis unitas confirmatur coniugesque sanctificantur.[10] Atque ita revera coniuges in proprio suo statu symbolum esse possunt atque debent gratiae et caritatis Salvatoris.

11. [*Matrimonium et sacra virginitas*]. Hac tamen matrimonii christiani dignitate non obstante, in ordine morali obiectivo a Deo instituto sacrae virginitatis vel sacri coelibatus status ille quo propter regnum Dei renuntiatur connubio, melior et beatior est habendus, ut cum Synodo Tridentina [11] semper repetit Ecclesia, sacris litteris (cf. *Mt.* 19, 11 ss.; *I Cor.* 7, 25-27, 32-36, 38, 40) sacraque traditione edocta.[12] Hac de causa, nedum per sacram virginitatem, qua modo peculiari Christo virgini adsimulamur, propriae personalitatis evolutio impediatur vel diminuatur, potius per illam augeri et ad perfectiorem gradum adduci potest (cf. *I Cor.* 7, 33-40).[13] Atque ideo castum quoque connubium, quod est magnum mysterium in Christo et in Ecclesia (*Eph.* 5, 32), honore cedere debet virginitati propter regnum caelorum assumptae, etiam ubi sacra virginitas non iungitur voto vel professioni aliorum evangelicorum consiliorum.

12. [*Matrimonii proprietates*]. Licet igitur matrimonium christianum, in se consideratum, non constituat statum evangelicae perfectionis, tamen suam quoque perfectionem exigit. Atque in primis ordo vigens divinus circa eius proprietates, fines et bona est servandus, etiam, si opus, actibus heroicis.[14] Restaurando quod corruerat, Christus statuit, ut non solummodo matrimonium christianum, sed matrimonium pro omnibus, sit stabiliter unum; insuper ita indissolubile, ut numquam voluntate partium, immo nulla auctoritate mere humana dirimi queat.[15] Unitas ergo et indissolubilitas ita sunt cuique matrimonio intrinsecae et essentiales,[16] ut nec contrahentium contrariae voluntati obnoxiae esse possint, ideoque ab eo qui vult verum matrimonium necessario et perpetuo recipi debeant.[17] Omnia igitur, quae ab hominibus, quatenus hac in re quavis potestate destitutis, contra matrimonii unitatem vel indissolubilitatem proponuntur vel fiunt, neque correspondent exigentiis naturae vel bono societatis, nec sunt humanae culturae progressus, sed potius actus nullius valoris, quibus appareat hominis peccatoris in ordine morali ab originali iustitia miserrimus regressus. Quae enim laedunt ordinem divinum, nec individuo, nec familiae, nec societati civili prodesse ullo modo valent.[18]

13. [*Matrimonii fines*]. Habet insuper matrimonium in se, independenter scilicet ab intentione contrahentium, suos fines obiectivos divinitus statutos.[19] Inter quos, attenta ratione divinae institutionis et docente ipsa natura necnon magisterio Ecclesiae,[20] finis primarius unice est prolis procreatio atque educatio,[21] etiamsi matrimonium particulare foecundum non sit.[22] Atque ideo prolis procreatio, licet non sit obiectum consensus matrimonialis, tamen ita est per se omni coniugio connaturalis, immo hoc sensu essentialis, ut nulla humana voluntate actibus contra naturam excludi possit;[23] ita etiam essentialis, ut in quovis valido consensu, ius perpetuum et exclusivum ad actus per se ad prolis generationem naturaliter aptos veluti obiectum proprium tradendum includatur; [24] ita demum est primaria et praevalens, ut ab aliis finibus intentis, licet a natura indicatis, non dependeat, imo cum illis nec aequiparari nec confundi queat.[25] Alii autem matrimonii fines obiectivi, ex indole ipsius matrimonii oriundi sed secundarii, ut mutuum coniugum adiutorium et concupiscentiae remedium, debite intenti iura quamvis subordinata in matrimonio constituunt,[26] et ideo isti secundarii fines in se non sunt spernendi vel parvipendendi, sed debito modo in vera charitate promovendi.[27] Dum prolis procreatio modo legitimo unice in matrimonio obtinetur, concupiscentia etiam extra matrimonium cum gratia Dei vinci potest.[28] Quatenus tamen mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae in ipso matrimonio sunt consequenda, participant de natura specifica unionis coniugalis, quippe quae a quocumque alio adiutorio, etiamsi ex amicitia praebeatur, specifice differt.[29] Alii autem fines subiectivi, quibus homines non raro proxime et prima ratione [30] moventur ad coniugium ineundum, non obstant matrimonio, dummodo finibus ab ipsa natura indicatis non contradicant, sed eis subordinentur.[31]

14. [*Ecclesiae potestas*]. Matrimonium, utpote pertinens ad ordinem divinum, non singulis hominibus, sed Ecclesiae Christus concredidit, ut doctrinam et normas quibus regitur custodiret explicaret, determinaret.[32] Hanc autem potestatem Ecclesia non solum exerceat oportet in bonum animarum, sed etiam in fidei christianae favorem [33] et Mystici Corporis incrementum.[34] Hac de re Christus, qui voluit ut Ecclesia quam maxime defenderet indissolubilitatem matrimonii ab ipso restauratam, eidem Ecclesiae etiam dedit potestatem [35] solvendi, intra limites et conditiones iure divino stabilitas, vinculum omnium aliorum coniugiorum, cum naturalium, tum sacramentalium, excepto tamen et semper matrimonio post utriusque partis baptismum consummato.[36]

15. [*Auctoritatis civilis competentia*]. Legitima auctoritas civilis absque dubio competentia gaudet circa effectus mere civiles matrimonii, etiam baptizatorum, ad normam legis naturalis secundum boni communis rectas exigentias.[37] Gaudet etiam potestate vi proprii iuris, ex sua quoque parte et in suo campo, enuntiandi, applicandi, urgendi postulata matrimonialia iuris naturalis. Nulla vero potestate gaudet sive circa solutionem vinculi cuiusvis matrimonii valide initi,[38] sive circa matrimonii christiani indolem sacramenta-

lem,[39] sive circa alia bona cum matrimonio divinitus statuta,[40] sive circa impedimenta ab Ecclesia posita,[41] sive circa sententias iudiciales ab Ecclesia prolatas.[42] Haec enim utpote Dei et non Caesaris, unice Ecclesiae competunt (cf. *Mt.* 22, 21).[43]

16. [*Errores damnantur*]. Scit S. Synodus quantopere sanitas Corporis Christi mystici etiam ab ordine divino quoad matrimonium recte agnito dependeat.[44] Quam ut tueatur, imprimis constringitur condemnare radicales illos omnes errores, secundum quos matrimonium, in sua origine et constitutione, esset quoddam phaenomenon mere sociale in continua evolutione; non vero procederet a Deo et a Christo neque potestati Ecclesiae esset subiectum.[45] Item damnat errores illos, quibus tenetur matrimonium christianorum vel non esse sacramentum vel ipsum sacramentum esse quid accessorium aut separabile ab ipso contractu.[46] Reprobat etiam sententiam qua asseritur matrimonium esse medium specificum attingendi perfectionem eam, qua revera ac proprie homo sit imago Dei et Sanctissimae Trinitatis.[47] Item condemnat illorum placita, qui tenent vel statum matrimonialem in ipso ordine obiectivo meliorem esse quam statum virginitatis aut coelibatus ob regnum Dei initum, vel etiam vinculum sacri coelibatus esse obsoleti valoris immo hodie impossibile et excedens Ecclesiae competentiam necnon relaxandum iuxta voluntatem subiecti.[48] Severe improbat errores et theorias, quibus dicitur non adesse ordinem divinum immutabilem circa proprietates et fines matrimonii. Atque nominatim ut summam calumniam refellit assertum, matrimonii indissolubilitatem non procedere a Deo, sed esse crudele inventum Ecclesiae, non minus crudeliter retentum.[49] Improbat insuper theorias, quibus recto ordine valorum subverso, finis primarius matrimonii postponitur valoribus biologicis et personalibus coniugum[50] et amor coniugalis, in ipso ordine obiectivo, proclamatur tamquam finis primarius.[51]

NOTAE

[1] Cf. *Mt.* 9, 15; 22, 2; 25, 1; *Eph.* 5, 22-32; *Apoc.* 19, 7-9 etc.

[2] Cf. Leo XIII, Litt. *Ci siamo,* 10 iulii 1879: *Acta Leonis XIII,* Romae 1881 ss., t. I, pp. 236-247; Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880: *Acta Leonis XIII,* t. II, pp. 10-40.

Pius XI, Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930, *A.A.S.* 22 (1930), pp. 539-592 (passim): Denz. 2225-2250, coll. pluribus aliis Ecclesiae documentis.

[3] Cf. *Conc. Bracarense* II, can. 11: Denz. 241.

Conc. Lateranense II, can. 23: Denz. 367.

Professio fidei Durando de Osca et sociis eius Waldensibus praescripta: Denz. 424.

Decretum pro Armenis: Denz. 702; Errores Armenorum 19: Denz. 537.

Leo XIII, Encycl. *Arcanum divinae sapientiae*: *Acta Leonis XIII,* t. II, pp. 22 s.: « Etenim cum matrimonium habeat Deum auctorem, fueritque vel *a principio* quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo *sacrum* et *religiosum* quiddam, non adventitium, sed *ingenitum,* non ab hominibus accep-

tum, sed natura *insitum*... Igitur cum matrimonium sit *sua vi, sua natura, sua sponte sacrum,* consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium ».

PIUS XI, Encycl. *Casti connubii*; coll. pluribus aliis documentis.

Ita in aliis documentis pontificiis.

Recentissime: *Prima Romana Synodus,* art. 490, § 1.

[4] *Conc. Tridentinum,* Sess. XXIV, can. 1: DENZ. 971 et in multis aliis documentis.

[5] *Conc. Florentinum*: *Decretum pro Armenis*: DENZ. 702: « *Causa efficiens* matrimonii regulariter est *mutuus consensus per verba de praesenti expressus* ».

PIUS XI, Encycl. *Casti connubii*: DENZ. 2225: « At, quamquam matrimonium suapte natura divinitus est institutum, tamen *humana* quoque *voluntas* suas in eo partes habet easque *nobilissimas;* nam *singulare* quodque matrimonium, prout est coniugalis coniunctio inter hunc virum et hanc mulierem, non oritur nisi *ex libero utriusque sponsi consensu...* ».

LEO XIII, Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* l. c., p. 25 s.: « ... in matrimonio christiano contractum a sacramento *non esse dissociabilem;* atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit *eo ipso sacramentum.* Nam Christus Dominus *dignitate* sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est *ipse contractus,* si modo sit factus iure... Itaque apparet, omne inter Christianos iustum coniugium, *in se et per se* esse sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse sacramentum *decus* quoddam *adiunctum,* aut proprietatem allapsam *extrinsecus* quae a contractu disiungi ac disparari hominum arbitratu queat ».

Ita etiam in pluribus aliis magisterii Ecclesiae documentis.

[6] Cf. PIUS IX, *Syllabus,* n. 66: DENZ. 1766.

PIUS XI, Encycl. *Casti connubii,* l. c.

In Concilio Vaticano Primo, quoad hoc paratus erat sequens canon: MANSI 53, col. 721: « Can. 2: Si quis dixerit, matrimonii *sacramentum* non esse *ipsum* inter Christianos contractum, qui *consensu* perficitur; aut esse aliquid contractui accessorium et ab eo *separabile*; aut vi contractus mere civilis posse inter christianos verum matrimonium consistere: A. S. ».

[7] PIUS XI, Encycl. *Casti connubii*: DENZ. 2225: « ... qui quidem liber voluntatis actus, quo *utraque pars* tradit et acceptat ius coniugii proprium, ad verum matrimonium constituendum tam necessarius est, ut *nulla humana potestate suppleri valeat* ».

Cf. *C.I.C.,* can. 1081, § 1.

PIUS XII, *Sermo* 5 martii 1941: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. III, p. 8: « Davanti all'altare, solo la vostra libera volontà è valsa a congiungervi col nesso del sacramento del matrimonio, e *nessun altro consenso poteva sostituirsi al vostro.* Altri sacramenti — quelli cioè che sono più necessari — quando manchi il ministro, possono essere suppliti dalla potenza della misericordia divina, che varca anche i segni esterni per portare la grazia nei cuori... *Ma nel sacramento del matrimonio non v'è supplenza di ministri, come non v'è sostituzione di persone*: vi trionfa l'incomparabile grandezza del maggior dono, che è la libertà del volere... ».

[8] Doctrina de inseparabilitate contractus a sacramento matrimonii et vice versa valde discussa, elaborata et praeparata fuit in *Conc. Vat. I.* Multum disputatum fuit de definibilitate vel minus. Affirmari potest hoc fuisse quoddam punctum cen-

trale totius Commissionis ad parandum schema quoad matrimonium christianum. Hoc explicatur ex invadenti errore *liberalismi et laicismi,* tunc temporis furente.

Canones parati quoad hoc erant sequentes: MANSI 53, col. 720 s.: « Can. 1. Si quis dixerit, Christum non evexisse matrimonium ad sacramenti dignitatem, et viri ac mulieris coniunctionem haberi inter christianos posse, quae sit verum matrimonium, non autem sacramentum: A. S. ». Can. 2: cf. supra, n. 6.

[9] Cf. *Catechismus Romanus,* c. VIII: De matrim. Sacr., n. 4-8.

PIUS XI, Encycl. *Casti connubii*: DENZ. 2237: « Et quoniam Christus ipsum coniugalem inter fideles validum consensum *signum* gratiae *constituit,* ratio sacramenti cum christiano coniugio tam intime coniungitur, ut nullum inter baptizatos verum matrimonium esse possit, " quin sit eo ipso sacramentum ". Cum igitur sincero animo fideles talem consensum praestant, *aperiunt sibi sacramentalis gratiae thesaurum,* ex quo supernaturales vires hauriant ad officia et munera sua fideliter, sancte, perseveranter ad mortem usque adimplenda ».

PIUS XII, *Sermo* 5 martii 1941: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. III, p. 6: « ... voi stessi siete stati costituiti da Dio *ministri del sacramento,* voi, di cui Egli si è servito per stringere l'indissolubile unione vostra ed effondere nelle vostre anime le grazie che vi rendano costanti e fedeli ai vostri nuovi obblighi. *A quale grande onore e dignità vi ha Egli innalzati!* ».

[10] Cf. *Conc. Trid.,* Sess. XXIV: DENZ. 969.

[11] *Conc. Trid.,* Sess. XXIV, can. 10: DENZ. 980: « Si quis dixerit, *statum* coniugalem anteponendum esse *statui virginitatis vel coelibatus,* et non esse melius ac beatius, manere in virginitate aut coelibatu, quam iungi matrimonio [cf. *Mt.* 19, 11 s.; *I Cor.* 7, 25 s. 38, 40]: A. S. ».

[12] Cf. *Catechismus Romanus,* c. VIII: De matrim. Sacr., n. 12; *Prima Romana Synodus,* art. 490, § 2, et praesertim: PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 martii 1954, *A.A.S.* 46 (1954), 161-191, coll. pluribus aliis documentis.

[13] PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas,* 25 martii 1954, *A.A.S.* 46 (1954) p. 176 s.: « Nam, quamquam ii omnes, qui perfectae castitatis institutum amplexi sunt, humano huiusmodi amore se abdicaverunt, nihilo secius hac de causa affirmari non potest eos ob hanc eandem privationem suam reddidisse humanam personam quasi imminutam ac despoliatam. Ii enim a caelestium ipso munerum Datore spirituale aliquid accipiunt, quod quidem illud in immensum exsuperat " mutuum adiutorium ", a coniugibus sibi invicem impertitum. Cum siquidem ei omnino se devoveant, qui suum principium est, quique divinam cum ipsis participat vitam, *semetipsos non minuunt, sed quam maxime adaugent* ».

PIUS XII, *Sermo* 15 sept. 1952: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. XIV, p. 334: « Aujourd'hui Nous voulons uniquement Nous adresser à ceux qui, prêtres ou laïcs, prédicateurs, orateurs ou écrivains, n'ont plus un mot d'approbation ou de louange pour la virginité vouée au Christ; qui depuis des années, malgré les avertissements de l'Eglise et à l'encontre de sa pensée, accordent au mariage une préférence de principe sur la virginité; qui vont même jusqu'à le présenter comme le seul moyen capable d'assurer à la personnalité humaine son développement et sa perfection naturelle: ceux qui parlent et écrivent ainsi, qu'ils prennent conscience de leur responsabilité devant Dieu et devant l'Eglise ».

[14] PIUS XII, *Sermo* 6 dec. 1939: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. I, p. 414: « È immacolato dinnanzi a Dio chiunque compia con fedeltà e senza debolezza *gli obblighi* del *proprio stato.* Dio non chiama tutti i suoi figli allo *stato di perfezione,* ma

invita ciascuno alla perfezione del suo stato: " Siate perfetti, diceva Gesù, come è perfetto il vostro Padre celeste " (*Mt.* 5, 48). I doveri della castità coniugale voi li conoscete. Essi *esigono* un coraggio reale, *talvolta eroico,* e una fiducia filiale nella divina Provvidenza... ». Cf. etiam PIUM XI, *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 579.

Ut patet ex isto textu et ex Constitutionis nostrae contextu verbum « perfectio » hic accipitur in sensu morali sat amplo quatenus scilicet includat *praecepta* et consilia: nam Summus Pontifex imprimis loquitur de *obligationibus* proprii status.

[15] *Conc. Tridentinum,* Sess. XXIV: DENZ. 969: « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus Sancti instinctu pronuntiavit, cum dixit: " Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una " [*Gen.* 2, 23 s.; cf. *Eph.* 5, 31] ».

Hoc autem vinculo *duos tantummodo copulari* et coniungi, Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tamquam a Deo prolata, referens dixit: « Itaque iam non sunt duo, sed una caro » [*Mt.* 19, 6], statimque eiusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit: « Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet... ».

Can. 2: DENZ. 972: « Si quis dixerit, licere Christianis *plures* simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum [*Mt.* 19, 4 ss. 9]: A. S. »... can. 7: DENZ. 977: « Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam [*Mc.* 10; *I Cor.* 7], propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moechari que eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit: A. S. ».

Cf. etiam *Prima Romana Synodus,* art. 491-492.

[16] LEO XIII, Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880, *Acta Leonis XIII,* t. II, p. 12 s.: « Atque illa viri et mulieris coniunctio, quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte *impressas et insculptas prae se tulit proprietates,* nimirum unitatem et perpetuitatem ».

Cf. PIUM XI, Encycl. *Casti connubii,* passim.

[17] PIUS XI, Encycl. *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 541: « ... quae proinde leges nullis hominum placitis, nulli ne ipsorum quidem coniugum contrario convento obnoxiae esse possint... ».

PIUS XII, Encycl. *Sertum laetitiae,* 1 nov. 1939, *A.A.S.* 31 (1939), p. 640: « Hac ipsa de causa summopere curandum est, ut *dogma,* quod adserit divino iure *individuum perpetuumque matrimonium vinculum,* a nuptias contrahentibus *religiose retineatur sancteque custodiatur...* Utinam patria vestra alieno experimento potius quam proprio usu novisset damnorum cumulum, quem divortiorum licentia parit! Suadeat religionis reverentia, suadeat erga nobile americanum genus pietas, ut dire invalescens curetur et avellatur morbus, cuius consectaria ita nervose et vere LEO Pp. XIII descripsit: " Divortiorum causa fiunt maritalia foedera mutabilia: extenuatur benevolentia: infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur: tuitioni atque institutioni liberorum nocetur: dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio: discordiarum inter familias semina sparguntur: minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt, ne, cum libidini virorum inservierint,

pro derelictis habeantur. Et quoniam ad perdendas familias, frangendas regnorum opes nihil tam valet quam corruptela morum, facile prospicitur *prosperitati familiarum ac civitatum maxima inimica esse divortia* " (Litt. Encycl. *Arcanum*) ».

[18] Verba Constitutionis directe refellere volunt etiam falsam persuasionem, quod divortium vinculi valeat etiam in foro Dei et quod introductio divortii sit signum civilitatis, cum omnes fere nationes *materialiter* civiliores illud institutum habeant. Unde necessitas declarandi sollemniter quod illud potius sit sic dictae « civiltà del peccato » productum.

[19] Momentosum est in primis affirmare, quod ipsi fines matrimonii sint intelligendi iuxta ordinem constitutum ab ipso Deo iuxta doctrinam Pii XI, Encycl. *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 542: « ... *Ex Deo* sunt ipsa matrimonii institutio, *fines,* leges, bona... ».

[20] Fontes doctrinae circa quaestionem de fine matrimonii videntur expressi in verbis Pii XII, *Sermo ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 849: « Precisamente per tagliar corto a tutte le incertezze e le deviazioni, che minacciavano di diffondere errori intorno alla scala dei fini del matrimonio e ai loro reciproci rapporti, redigemmo Noi stessi alcuni anni or sono [10 marzo 1944] una dichiarazione sull'ordine di quei fini, indicando quel che la stessa struttura interna della *disposizione naturale rivela,* quel che è *patrimonio della tradizione cristiana,* quel che i *Sommi Pontefici hanno ripetutamente insegnato,* quel che poi nelle debite forme è stato fissato dal Codice di Diritto canonico ». Si tales fontes valent pro hierarchia finium, valent iam etiam pro ipsorum exsistentia et natura.

[21] Cf. in primis *Catechismus Romanus,* De matrimonii Sacramento, c. VIII, n. 12: « Quod vero a Domino dictum est: Crescite et multiplicamini, id eo spectat, ut *cuius rei causa matrimonium institutum erat,* declaret ». Quae verba praecedunt omnia alia quae postea ipse Catechismus Romanus dicit de rationibus quibus homines moventur ad matrimonium. Adde:

Leo XIII, Encycl. *Rerum Novarum,* 23 maii 1891, *Acta Leonis XIII,* t. XI, p. 104: « Ius coniugii naturale et primigenium homini adimere, *causamve nuptiarum praecipuam,* Dei auctoritate initio constitutam, quoquo modo circumscribere lex hominum nulla potest: *Crescite et multiplicamini* ».

Pius XI, Encycl. *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 543: « Itaque *primum* inter matrimonii bona locum tenet *proles* ».

Pius XII, *Sermo* 3 oct. 1941: *A.A.S.* 33 (1941), p. 423: « Nella quale delicata altrettanto che difficile questione due tendenze sono da evitarsi: quella che nell'esaminare gli elementi costitutivi dell'atto della generazione dà peso unicamente al *fine primario* del matrimonio, come se il *fine secondario* non esistesse o almeno non fosse *finis operis* stabilito dall'Ordinatore stesso della natura; e quella che considera il fine secondario come ugualmente *principale,* svincolandolo dalla essenziale sua subordinazione al fine primario, il che per logica necessità condurrebbe a funeste conseguenze. Due estremi, in altre parole, se il vero sta nel mezzo, sono da fuggirsi: da una parte, il negare praticamente o il deprimere eccessivamente il fine secondario del matrimonio e dell'atto della generazione; dall'altra, lo sciogliere o il separare oltre misura l'atto coniugale dal fine primario, al quale secondo tutta la sua intrinseca struttura è primieramente e in *modo principale* ordinato ».

Pius XII, *Sermo* 18 martii 1942: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. IV, p. 5: « Dio ha stabilito che al *fine essenziale e primario* del vincolo coniugale, che è la *generazione dei figli,* cooperassero il padre e la madre... ».

Pius XII, *Sermo ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 848 s.: « Ora la verità è che il matrimonio, come *istituzione naturale,* in virtù della *volontà del Creatore* non ha come fine primario e intimo il perfezionamento personale degli sposi, ma *la procreazione e la educazione* della nuova vita... » et paulo post, p. 852, prosequitur: « Ora invece questo è insomma tutto subordinato e ordinato a quell'*unica grande legge* della " *generatio et educatio prolis* ", vale a dire al compimento del *fine primario del matrimonio* come origine e sorgente della vita ».

Et in eodem sermone Pius XII dicit, p. 850 s.: « Tutti questi valori secondari della sfera e dell'attività generativa rientrano nell'ambito dell'*ufficio specifico* dei coniugi, che è di essere autori ed educatori della nuova vita ».

Cf. etiam *Prima Synodus Romana,* art. 493.

[22] Pius XII, *Sermo ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 849.

[23] Pius XI, Encycl. *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 559: « At nulla profecto ratio, ne gravissima quidem, efficere potest, ut quod *intrinsece est contra naturam,* id cum natura congruens et honestum fiat. *Cum autem actus coniugii suapte natura proli generandae sit destinatus,* qui, in eo exercendo, naturali hac eum vi atque virtute de industria destituunt, contra naturam agunt et turpe quid atque intrinsece inhonestum operantur ».

[24] Cf. *C.I.C.,* can. 1013, § 1.

Non agimus hic de distinctione inter *ius* et *exercitium iuris.*

[25] Cf. *Decretum S. Off.,* 1 apr. 1944: *A.A.S.* 36 (1944), p. 103.

[26] Cf. Pium XII, *Sermo ad obstetrices,* 29 oct. 1951, *ll. cc.*

[27] Cf. Pium XII, Alloc. *ad Sacram Romanam Rotam,* 3 oct. 1941: *A.A.S.* 33 (1941), p. 421; et Alloc. *ad obstetrices*; cf. supra.

[28] Cf. S. R. Rotae Sententiam 22 ian. 1944: *A.A.S.* 36 (1944), pp. 179-200.

[29] Cf. Pium XII, *Sermo ad obstetrices,* 29 oct. 1951, *ll. cc.*

Fines enim secundarii in matrimonio consequendi, licet subordinate, participant de natura specifica unionis coniugalis, quae a quacumque, etiam amicali unione specifice differt, per relationem intrinsecam essentialem cum fine primario, ad quem igitur illi fines obiectivi sed secundarii per se ordinati etiam sunt.

Cf. Pium XI, *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 561.

[30] *Catechismus Romanus,* De matrim. Sacr., c. VIII, n. 13. Ibidem sermo fit de finibus matrimonii sub aspectu *subiectivo* seu finis operantis.

[31] Hic agitur de motivis personalibus, quibus coniuges vario modo moventur ad ineundum matrimonium particulare cum determinata persona. Nam matrimonium in casu particulari exsurgere non potest sine sponsorum voluntate: cf. Pium XI, *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 541.

[32] Leo XIII, Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880, *Acta Leonis XIII,* t. II, p. 18.

Pius XI, Encycl. *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 539 ss.

Haec autem Ecclesiae potestas, ut expresse dicitur in documentis haud paucis magisterii Ecclesiae, se extendit sive ad ipsa sponsalia, sive ad ipsum vinculum ineundum vel relaxandum, sive ad conditiones quoad validitatem et liceitatem, sive ad iudicia declarationis nullitatis, sive ad separationem coniugum, sive ad defensionem sanctitatis in matrimonio servandae, etiam adiuncta canonica coactione; et in genere se extendit ad omnia, quae ei competunt iuxta iuris divini latitudinem, ab ipsa sola Ecclesia authentice interpretandam.

[33] Hic alluditur ad *Privilegium Paulinum et Petrinum.* Cuius potestatis exer-

citium, etiamsi antea intercesserit dispensatio ab *impedimento disparitatis cultus* Ecclesiae iudicio prudenti relinquitur. Ideo non dantur in Constitutione aliae declarationes.

[34] LEO XIII, Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880, *Acta Leonis XIII,* t. II, p. 17: « Neque iis dumtaxat quae commemorata sunt, Christiana eius perfectio absolutioque continetur. Nam primo quidem nuptiali societati excelsius quiddam et nobilius propositum est, quam antea fuisset; ea enim spectare iussa est non modo ad propagandum genus humanum, sed ad *ingenerandam Ecclesiae sobolem, cives sanctorum et domesticos Dei*: *ut* nimirum *populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur* (*Cat. Rom.,* cap. VIII) ».

[35] PIUS XII, *Allocutio ad S. R. Rotam,* 3 oct. 1941: *A.A.S.* 33 (1941), pp. 421-426, praesertim p. 424, n. 3 usque ad p. 426; *Allocutio ad S. R. Rotam,* 1 oct. 1942: *A.A.S.* 34 (1942), pp. 338-343; *Allocutio ad S. R. Rotam,* 2 oct. 1944: *A.A.S.* 36 (1944), pp. 281-290.

[36] PIUS XI, Encycl. *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 552: « Quod si exceptioni, etsi rarissimae, haec firmitas obnoxia videatur, ut in quibusdam coniugiis *naturalibus* solum *inter infideles* initis vel, si inter *Christifideles,* ratis illis quidem sed nondum consummatis, ea exceptio non *ex hominum voluntate* pendet, neque potestatis cuiuslibet mere humanae, sed ex *iure divino,* cuius una custos atque interpres est Ecclesia Christi. Nulla tamen, neque ullam ob causam, facultas huiusmodi cadere unquam poterit in *matrimonium christianum ratum atque consummatum* ». Cf. DENZ. 2236.

[37] BENEDICTUS XIV, Litt. *Redditae sunt nobis,* 17 sept. 1746: MIGNE, *Theol. Curs. compl.,* Paris 1839-1845, t. 25, p. 682.

PIUS VII, Litt. *Que votre Majesté,* 26 iunii 1805.

PIUS IX, Litt. *La lettera,* 9 sept. 1852: *C.I.C. Fontes,* v. II, pp. 869-872.

LEO XIII, Litt. *Ci siamo,* 1 iunii 1879: *Acta Leonis XIII,* tom. I, p. 236 s.

LEO XIII, Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880, *Acta Leonis XIII,* t. II, pp. 10-40; *Allocutio consistorialis,* 18 martii 1895, *Acta Leonis XIII,* t. XV, pp. 73-77; Litt. *Quam religiosa,* 10 aug. 1898, *Acta Leonis XIII,* t. XVIII, pp. 140-144.

PIUS XII, *Alloc. ad S. R. Rotam,* 6 oct. 1946, *A.A.S.* 38 (1946), pp. 391-397, coll. aliis pluribus documentis.

[38] PIUS VI, Litt. *Litteris tuis,* 11 iulii 1789: MIGNE, *ibidem,* t. 25, p. 703. Cf. etiam alia documenta in superiori nota et in sequentibus citata.

[39] PIUS VI, Litt. *Deessemus nos,* 16 sept. 1788: MIGNE, *ibidem,* t. 25, p. 694.

PIUS VII, Litt. *Que votre Majesté,* 26 iunii 1805.

LEO XIII, Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880, *Acta Leonis XIII,* t. II, pp. 10-40; *Alloc. consist.* 16 dec. 1901: *Acta Leonis XIII,* t. XXI, pp. 185-188.

PIUS XII, *Alloc. ad S. R. Rotam,* 6 oct. 1946, cf. not. 37.

[40] Ex documentis pontificiis sat constat, quod auctoritas civilis non potest delimitare finem primarium matrimonii (ut alio loco Constitutionis dicitur) neque leges ferre, legibus divinis iniuriosas, circa unitatem, indissolubilitatem, fidelitatem, etc. Plura sunt quoad hoc documenta Ecclesiae.

[41] PIUS VI, Const. *Auctorem fidei* contra errores Synodi Pistoriensis, errores de sponsalibus et matrimonio, prop. 60: DENZ. 1560.

[42] Hae iudiciales sententiae Ecclesiae possunt intelligi etiam quoad sponsalia,

quoad vinculum vel etiam quoad simplicem separationem coniugum: pro qua tamen cf. PIUM XI, *Casti connubii.* Cf. etiam notam sequentem.

[43] PIUS IX, Litt. *La lettera,* in *Codicis Iuris canonici Fontes,* t. II, p. 870: « Non vi è pertanto altro mezzo di conciliazione che, *ritenendo Cesare quello che è suo, lasci alla Chiesa ciò che ad essa appartiene.* Il potere civile disponga pure degli effetti civili, che derivano dalle nozze, ma lasci alla Chiesa il regolarne la *validità* fra i cristiani. La legge civile *prenda le mosse dalla validità od invalidità del matrimonio,* come sarà dalla Chiesa determinata, e partendo da questo fatto, che è fuori della sua sfera il costituirlo, disponga allora degli effetti civili ».

[44] Cf. *Catechismus Romanus,* De matrim. Sacr., c. VIII, n. 1.

[45] Cf. Schema paratum in Conc. Vat. I: MANSI 53, 719 s.

[46] Cf. Schema paratum in Conc. Vat. I: *ibid.*

[47] Cf. etiam Schema Const. De Ordine Morali, a Commissione Theologica praeparatum.

[48] Cf. *Conc. Trid.,* Sess. XXIV, can. 9: DENZ. 979.

PIUS XII, Encycl. *Sacra virginitas,* 25 mart. 1954: *A.A.S.* 46 (1954), p. 161 ss.

[49] *Conc. Trid.,* Sess. XXIV, c. 5-7; DENZ. 975-977.

PIUS IX, *Syllabus,* n. 67; DENZ. 1767.

LEO XIII, Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* cf. supra not. 2.

PIUS XI, *Casti connubii,* cf. supra not. 2.

PIUS XII, *Alloc.* 22 apr. 1942: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. IV, p. 47: « Il vincolo del matrimonio cristiano è così forte, che, se esso ha raggiunto la sua piena stabilità con l'uso dei diritti coniugali, *nessuna potestà al mondo, nemmeno la Nostra, quella cioè del Vicario di Cristo, vale a rescinderlo* ».

PIUS XII, *Alloc.* 16 martii 1946, *ibid.,* t. VIII, p. 14: « ... il matrimonio fra battezzati validamente contratto e consumato non può essere sciolto da nessuna potestà sulla terra, *nemmeno dalla Suprema autorità ecclesiastica* ».

[50] Cf. varias positiones erroneas de finibus matrimonii inter quos: H. DOMS, *Vom Sinn und Zweck der Ehe,* Breslau, 1935. Cf. etiam E. MICHEL, *Ehe, Eine Anthropologie der Geschlechtsgemeinschaft,* Stuttgart 1948 (2ª ed. 1950). Hic liber in *Indicem* a S. Officio insertus est: *A.A.S.* 44 (1952), p. 879.

[51] Qui ponunt amorem coniugalem uti finem primarium matrimonii increpantur expresse a PIO XII, *Alloc.* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 849 s.: « Non soltanto l'opera comune della vita esterna, ma anche tutto l'arricchimento personale, lo stesso arricchimento intellettuale e spirituale, *perfino tutto ciò che vi è di più spirituale e profondo nell'amore coniugale come tale, è stato messo, per volontà della natura e del Creatore, al servizio della discendenza* ».

PIUS XII, *Alloc.* 19 maii 1956: *A.A.S.* 48 (1956), p. 469 s.: « Plusieurs fois déjà Nous avons cru nécessaire de rappeler comment les intentions particulières des conjoints, leur vie commune, leur perfectionnement personnel, ne pouvaient se concevoir que subordonnés au but qui les dépasse, la paternité et la maternité. " Non seulement l'œuvre commune de la vie extérieure, disions-Nous dans une allocution adressée aux sages-femmes le 29 octobre 1951, mais encore tout l'enrichissement personnel, même l'enrichissement intellectuel et spirituel, jusqu'à ce qu'il y a de plus spirituel et profond dans l'amour conjugal comme tel, a été mis par la volonté de la nature et du Créateur au service de la descendance ". Tel est l'enseignement constant de l'Eglise; elle a rejeté toute conception du mariage qui menace-

rait de le replier sur lui-même, d'en faire une recherche égoïste de satisfaction affectives et physiques dans l'intérêt des seuls époux ».

Cf. etiam: PIUS XI, *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 548 s., quamvis quidam ex verbis *Catechismi Romani,* ibidem relatis, indebite superextollunt amorem coniugalem ut finem primarium ipsius matrimonii.

CAPUT 2

DE IURIBUS, OBLIGATIONIBUS, VIRTUTIBUS MATRIMONIO CHRISTIANO PROPRIIS

17. [*Iura et officia singulorum hominum*]. Omnis homo habet per se ius innatum, personale et inviolabile matrimonium legitime ineundi. Potest tamen obstare vera eius incapacitas vel aliud legitimum impedimentum.[1] Aliquando vero quidam propter rationes tum alias, tum medicas, eugenicas, oeconomicas, sociales adhortandi sunt, ne contrahant matrimonium, nisi rationes praevalentes ordinis personalis et moralis, aliis quidem rationibus inferioris valoris non obstantibus, dictent ut etiam illi matrimonium ineant vel eo utantur.[2] Itidem nulla privata vel publica auctoritate homo, naturaliter capax, indebitis limitibus et conditionibus praematrimonialibus vi iuris a matrimonio ineundo impediri potest.[3] His iuribus salvis uniuscuiusque officium est se etiam in matrimonii praeliminaribus prudenter, iuste casteque gerere.[4] Hac de causa moraliter improbanda sunt imprudentia sponsalia, alterius partis dolosae deceptiones, et illicitae libertates sexuales inter futuros sponsos, etiam ad matrimonium securius ineundum.[5] Non enim, monente Apostolo (*Rom.* 3, 8), facienda sunt mala ut eveniant bona. Summi momenti autem est ad matrimonium recta atque christiana educatio et praeparatio, in spiritu castitatis, caritatis et sacrificii, adiuvantibus varii generis mediis cum naturalibus, tum maxime supernaturalibus, vitatis naturalismi erroribus.[6] In ipsa denique nuptiarum celebratione officium grave est consensum requisitum legitime exprimere, vetita quacumque simulatione seu profanatione.

18. [*Iura et obligationes quoad bonum prolis*]. Ex ordine divinitus constituto, circa matrimonii naturam, proprietates et fines, elucet quomodo ipse Deus et Christus ordinaverint ipsum ad quaedam bona consequenda. Quae quidem bona veluti in summam collegit S. Augustinus hisce verbis: « Haec omnia bona sunt, propter quae nuptiae bonae sunt: proles, fides, sacramentum ».[7] Circa ista tria bona divinitus data sunt iura et obligationes, a coniugibus debite servanda; et inter ea, attenta ratione finali, ob quam matrimonium a Deo institutum est, bonum prolis primum locum tenet.[8] Ideoque oportet, ut proles amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur, ut nervose dicit idem S. Augustinus; [9] eademque, ut toties monet S. Scriptura, tamquam verum bonum, benedictio caelestis donumque Dei fideliter agnoscatur.[10] Quod attinet ad ipsum procreandi actum, qui, utpote

a Deo ordinatus per se legitimus et bonus est,[11] ius et officium coniugum est, in modo agendi ea servare quae sunt secundum naturam.[12] Quare etiam in matrimonio legitime inito desiderium in se tam laudabile habendi prolem ex proprio coniugio, non legitimat foecundationem, quam vocant artificialem: non autem prohibet artificiale adiumentum actus coniugalis.[13] Similiter omnes modi vel artes, quibus in usu coniugii directe, de industria humana, impeditur procreatio prolis, ut intrinsece et graviter malae haberi debent.[14] Onanismus coniugalis formalisque ad eundem cooperatio numquam sunt licitae.[15] Quoad amplexum, qui reservatus audit, pastores et fideles, se gerant iuxta doctrinam et decreta S. Sedis.[16] Respectu prolis conservandae coniuges grave officium habent vitandi quamcumque sive ut finem sive ut medium intentam prolis occisionem,[17] quamvis sit per abortum therapeuticum procurata.[18] Illicitum quoque est post actum coniugalem positum, processum conceptionis quocumque gradu obtentum interrumpere,[19] vel foetus nondum nati directam destructionem operari: nam sic etiam peccatur contra grave praeceptum Dei.

19. [*Iura, obligationes et virtutes quoad bonum fidei*]. Coniugum quoque est sancte servare et promovere bonum fidei, quod importat cum alia, tum coniugii unitatem et castam coniugum fidelitatem, et christianum inter coniuges amorem.[20] Exigit autem casta fidelitas ab utroque coniuge, etiam iustitiae titulo, ut serventur et reddantur iura sibi invicem in contrahendo matrimonio tradita. Quaevis igitur adulterina relatio absolute est ab utroque coniuge vitanda. Nam a peccato adulterii non excusat adulterium alterius coniugis, nec eiusdem silentium vel consensus, vel suorum iurium renuntiatio,[21] nec adulterium solis actibus internis commissum (cf. *Mt.* 5, 28). Insuper casta fidelitate exigitur ut in debito mutuo reddendo nullo modo agatur contra legem Dei, etiamsi actus vere heroicos imponat. Quos tamen actus coniuges, iuvante Dei gratia praestare possunt ac debent. Deus enim impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis et petere quod non possis, et adiuvet ut possis, cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos, supra id quod possumus, tentari (cf. *I Cor.* 10, 13).[22]

20. [*De caritate coniugali*]. Supra autem omnia iura, officia et virtutes, proprium principatum tenens,[23] splendet caritas, quae etiam in vita coniugali alias leges supponit et implet, immo complet et elevat, monente Apostolo: « Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam » (*Eph.* 5, 25). Quapropter amor christianus coniugalis non tantum excellat oportet gloriosis insignibus caritatis, ab Apostolo exaltatis (cf. *I Cor.* 13, 4-7), sed quantum fieri potest imitari debet suo modo amorem Christi erga Ecclesiam (cf. *Eph.* 5, 25 ss.), sanguine acquisitam (*Act.* 20, 28). Est igitur caritas amoris coniugalis perfectio[24] ac plenitudo: nam etiam de statu matrimoniali valet verbum Dei: plenitudinem legis esse dilectionem (cf. *Rom.* 13, 10). Ne tamen amor coniugalis essentialis dicatur ad consensus nuptialis validitatem;[25] neque idem potius quam in divinae voluntatis ex toto corde observantia ponatur in quadam animae mollitie, a nonnullis proclamata

veluti basis vitae cuiusdam spiritualis solis coniugibus propriae; [26] absit denique, ut restringatur ad quasdam sensuales et caecas inclinationes: sed animo et opere coniuges, in Deo et propter Deum, se invicem ament oportet.[27]

21. [*Obligationes quoad bonum sacramenti*]. Bonum sacramenti « quo denotatur et vinculi indissolubilitas et contractus in efficax gratiae signum per Christum facta elatio atque consecratio » [28] sub proprio aspectu est praecellens [29] atque etiam gravia importat munera. Imprimis grave officium christifidelium est, ne seposito connubio religioso ab Ecclesia praescripto, solo « matrimonio civili » se iungant, quo actu iuridico hoc solo sensu coniuges ab auctoritate civili declarantur, quatenus in foro status civilis instruuntur iuribus oneribusque mere civilibus. Sciant fideles ex unione sola et mere civili, prout contradicit legibus irritantibus Ecclesiae, nullum sibi exsurgere coram Deo validum vinculum coniugale vel Sacramentum. Hac de causa dolose invalide contra leges Ecclesiae coniuncti iure merito ut publici peccatores habentur, atque Ecclesia ius habet filios suos errantes publice ut tales declarandi eosque poenis canonicis afficiendi.[30]

22. [*De divortio civili*]. Graviter prohibentur coniuges quominus petant divortium, quod vocant civile, veluti proprie dictam dissolutionem, ac si ipsum validum vinculum coram Deo acceptum ab auctoritate civili posset dissolvi; immo neque aliis licitum est directe et formaliter ad tale divortium civile cooperari. Nullo enim casu et ratione, etsi non raro gravi et dolorosa, fidelibus licet, permanente sacro vinculo, dimittere uxorem ad accipiendam aliam, ut clare docet ipse Dominus (*Mc.* 10, 11), quamvis nonnumquam hoc invalide concedat civilis auctoritas. Aliquando vero ipsum « divortium civile », salvo tamen vinculo et non contradicente auctoritate ecclesiastica, peti potest. Nec illa, quae vocatur simplex separatio facienda est leviter, sine iusta, gravi, proportionata causa.[31]

23. [*De matrimoniis mixtis*]. Ubi matrimonium inter duos catholicos sine extraordinariis difficultatibus contrahi potest, bonum religionis exigit, ut viri et mulieres catholici vitent matrimonia quae mixta dicuntur, maxime cum infidelibus. Sed etiam fidelium est, iuxta prudentiae et aliarum virtutum dictamina, vitare matrimonium cum illis, qui Deo vel religioni adversantur [32] vel cum illis qui nomine non vita sunt catholici. Licet Ecclesia sua potestate utendo mixta matrimonia permittat, tamen pars catholica, ipsa dictante lege divina, in matrimonio mixto sibi concesso vitare debet pericula fidei et indifferentismum, sedulo semper incumbere in catholicam prolis educationem, atque amanter et prudenter conari coniugem ad veritatem catholicam perducere.[33] Pastores autem specialem curam habeant eorum, qui matrimonio mixto iuncti sunt. Scit quidem S. Synodus matrimonia mixta in nonnullis locis vitari non posse, sed ab hoc facto contingenti ne deducantur falsa principia vel periculosa incitamenta.[34]

24. [*Errores damnantur*]. S. Synodi est severe damnare illud quod vocant « matrimonium ad tempus » vel « ad experimentum » vel « amicale ».[35] Reiicit insuper, ut homine atque maxime ut christiano indignas, instructio-

nes illas, quibus variis artificiis, veri nominis hedonismus in ipso sacro ac sancto coniugio propagatur.[36] Reprobat theorias, quibus ut licita retinetur coniugibus fidei coniugalis violatio, sive cum amor mutuus inter coniuges defecerit, sive cum sexualitatis impetus intra limites matrimonii monogamici coarctari non posse praetendatur.[37] Erroneum quoque est asserere ipsam auctoritatem civilem nullo in casu gaudere potestate puniendi, et quidem per se aequali poena cum viros, tum mulieres adulteros.[38] Increpat autem illos qui praetendunt, et quidem sub specie boni Ecclesiae, universaliter et per se loquendo coniugia mixta potius esse promovenda quam toleranda. Erronea quoque est sententia, videlicet ex solo defectu amoris matrimonium ut invalidum declarari vel solvi posse.[39] Severissime denique condemnat S. Synodus illum quem vocant « amorem liberum », quo etiam falso praetextu inter homines construendi novam fraternitatem et societatem, contra ordinem divinum peccatur atque letale vulnus infligitur non solum matrimonio, sed etiam familiae et societati.

NOTAE

[1] Leo XIII, Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880, *Acta Leonis XIII,* t. II, pp. 10-40.

Pius XI, *Casti connubii,* 31 dec. 1930, *A.A.S.* 22 (1930), pp. 539-592, passim.

Pius XII, *Alloc.* 3 oct. 1941: *A.A.S.* 33 (1941), p. 422: « E in primo luogo, se si considera il *diritto al matrimonio,* i Nostri gloriosi Predecessori Leone XIII e Pio XI insegnarono già, che " niuna legge umana può togliere all'uomo il *diritto naturale e primitivo del coniugio* ". Tale diritto invero, poichè fu dato all'uomo *immediatamente* dall'Autore della natura, supremo Legislatore, non può essere ad alcuno negato, se non si provi che egli, o vi abbia liberamente rinunziato o sia incapace di contrarre matrimonio per difetto di mente o di corpo. Ma, perchè nei casi particolari il matrimonio da contrarre venga impedito o già contratto sia dichiarato nullo, è necessario che questa incapacità antecedente e perpetua consti non soltanto in modo dubbio o probabile, ma con morale certezza; e in tale condizione di certezza, nè il matrimonio si può permettere, nè già celebrato può dirsi valido ».

[2] Pius XI, *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 565: « Et fas profecto non est homines, matrimonii ceteroqui capaces, quos, adhibita etiam omni cura et diligentia, nonnisi mancam genituros esse prolem conicitur, ob eam causam gravi culpa onerare si coniugium contrahant, quamquam saepe matrimonium iis dissuadendum est ».

Pius XII, *Alloc.* 7 sept. 1953: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. 15, p. 265: « Certainement, on a raison, et dans la plupart des cas le devoir, de faire remarquer à ceux qui sont certainement porteurs d'une hérédité très chargée, quel fardeau ils sont sur le point de s'imposer à eux-mêmes, au conjoint et à leur descendance; ce fardeau deviendra peut-être intolérable. Mais déconseiller n'est pas interdire. Il peut y avoir d'autres motifs, surtout moraux et d'ordre personnel, qui l'emportent tellement qu'ils autorisent à contracter et à user du mariage même dans les circonstances indiquées ».

[3] Pius XI, *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 564 s.

PIUS XII, *Alloc.* 7 sept. 1953, *l. c.*, p. 264 s.: « Un autre chemin conduit au même but: l'interdiction du mariage ou son impossibilité physique par l'internement de ceux dont l'hérédité est tarée sont également à rejeter. L'objectif poursuivi est bon en soi, mais le moyen de l'obtenir lèse le droit personnel à contracter et à user du mariage. Quand le porteur d'une tare héréditaire n'est pas apte à se conduire humainement, ni par conséquent à contracter mariage, ou lorsque plus tard il est devenu incapable de revendiquer par un acte libre le droit acquis par un mariage valide, on peut l'empêcher d'une manière licite de procréer une nouvelle vie. Hors de ces cas, l'interdiction du mariage et des rapports matrimoniaux pour des motifs biologiques, génétiques et eugéniques est une injustice, quel que soit celui qui porte cette interdiction, un particulier ou les pouvoirs publics ».

[4] PIUS XI, *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 585. Implicite hic improbantur illi moderni sed imprudentes modi inveniendi coniugem per sic dictas « Agenzie matrimoniali », non tamen *per se*, sed quatenus aliqua virtus christiana in illis modis laedatur.

[5] *Prima Romana Synodus*, art. 495, § 2.

[6] PIUS XI, *Casti connubii*, l. c.; *Decr. S. Off.*, 21 martii 1931: *A.A.S.* 23 (1931), p. 118.

PIUS XII, *Alloc. ad parochos*, 22 febr. 1944: *A.A.S.* 36 (1944), pp. 69-87; *Alloc.* 18 sept. 1951: *Discorsi e Radiomessaggi*, t. 13, pp. 241-245; *Alloc.* 19 martii 1953: *ibid.*, t. 15, pp. 9-17; *Alloc.* 19 apr. 1953: *ibid.*, pp. 95-98; *Alloc.* 8 sept. 1953: *ibid.*, pp. 269-272.

IOANNES XXIII, *Prima Rom. Syn.*, art. 494.

[7] S. AUGUSTINUS, *De bono coniugali*, 24, 32: *PL* 40, 394: « Haec omnia bona sunt, propter quae nuptiae bona sunt: proles, fides, sacramentum »: cf. PIUM XI, *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 543.

[8] Cf. *Gen.* 1, 28; *I Tim.* 5, 14.

PIUS XI, *Casti connubii*, *l. c.*: DENZ. 2228: « Itaque primum inter matrimonii bona locum tenet proles ». Cf. etiam *Catechismus Romanus*, De matrim. Sacr., c. VIII, n. 23: « Primum igitur bonum est proles... ».

[9] S. AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.* IX, 7, 12: *PL* 34, 397.

[10] Cf. *Ps.* 126, 3; *Ps.* 127, 3; *Io.* 16, 21; *I Tim.* 2, 15.

PIUS XII, *Alloc. ad obstetrices*, 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), ubi longa expositio.

[11] Cf. PIUS XII, *Alloc. ad obstetrices*, *l. c.*

[12] Cf. PIUS XI, *Casti connubii*, *l. c.*: DENZ. 2239.

PIUS XII, *Alloc. ad obstetrices*, cf. supra, et plurimae decisiones S. Sedis.

[13] Cf. *Decretum S. Off.*, 26 martii 1897: *A.S.S.* 29 (1896-97), p. 704.

PIUS XII, *Alloc.* 29 sept. 1949: *A.A.S.* 41 (1949), pp. 557-561.

PIUS XII, *Alloc. ad obstetrices*, *l. c.*, p. 850: « ... abbiamo *formalmente* esclusa dal matrimonio la *fecondazione artificiale* ».

PIUS XII, *Alloc.* 19 maii 1956: *A.A.S.*, 48 (1956), p. 471: « Sur le diverses questions de morale qui se posent à propos de la fécondation artificielle, au sens ordinaire du mot, ou " insémination artificielle ", Nous avons déjà exprimé Notre pensée dans un discours adressé aux médecins le 29 septembre 1949; aussi Nous renvoyons pour le détail à ce que Nous disions alors et Nous Nous limitons ici à répéter le jugement donné pour conclure: " En ce qui touche la fécondation artificielle, non seulement il y a lieu d'être extrêmement réservé, *mais il faut absolument*

l'écarter ". En parlant ainsi, on ne proscrit pas nécessairement l'emploi de certains moyens artificiels destinés *uniquement* soit à faciliter l'acte naturel, soit à faire atteindre sa fin à l'acte naturel normalement accompli ».

In Constitutione, uti patet, interdicitur quaecumque foecundatio vere artificialis, ut iam fecit *Prima Synodus Romana,* art. 493, § 2. Sine addito condemnatur: ideoque non solum inter ipsos coniuges, sed a fortiori extra legitimum coniugium vel ex alio viro.

[14] Ergo in primis condemnatur omnis sterilisatio *directa* sive *perpetua* sive *temporanea,* quae operatur ad vitandam prolem: cf. PIUM XI, *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 560: « quemlibet matrimonii usum, in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituatur, Dei et naturae legem infringere, et eos qui tale quid commiserint gravis noxae labe commaculari ».

PIUS XII, *Alloc. ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 844. Quoad modernas artes ad tempus suspendendi facultatem generativam (scilicet irradiatione, pillulis, « drogues », etc.), verba Summi Pontificis prae oculis habenda sunt: PIUS XII, *Alloc.* 12 sept. 1958: *A.A.S.* 50 (1958), pp. 734-736.

[15] Plura sunt documenta et decisiones S. Sedis quoad onanismum coniugalem:

S. Paenitentiaria: 15 nov. 1816; 23 apr. 1822; 1 febr. 1823; 8 iunii 1842; 27 maii 1847; 21 maii 1851; 2 martii 1853; 14 dec. 1876; 16 iunii 1880; 10 martii 1886; 13 nov. 1901; 2 sept. 1904; 3 apr. 1916; 3 iunii 1916: cf. quoad omnia: FR. HÜRTH, LEO XIII et PIUS XI: *Enc. de Matrimonio Christiano, Textus et Documenta, Ser. Theologica 25,* Romae 1953, p. 86 ss.

S. Officium, 21 maii 1851; 19 apr. 1853; 1 dec. 1922: *ibid.,* p. 87, 99, 94.

PIUS XI, *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 559 ss.

PIUS XII, *Alloc. ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 842 ss.; *Alloc.* 19 maii 1956: *A.A.S.* 48 (1956), p. 469 ss.

[16] Hic prae oculis habetur illa copula reservata, quae licet non moderni temporis, sed etiam antiquitus usitata a coniugibus, hodie maxime diffunditur etiam a catholicis ore ac scriptis; immo adsunt aliqua Instituta (e. g. in Gallia « Dynam-Institut » et « L'Institut de sexologie familiale », etc.) qui methodos docent et propagant. Licet Commissio sciat de difficultate determinandi, num talis amplexus in se sit intrinsece malus, tamen Ecclesia ob periculum hedonismi diffundendi ius habet practice prohibendi quominus propagetur, sicut iam fecit *Monitum S. Off.* 30 iunii 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 546.

Cf. etiam PIUM XII, *Alloc.* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), pp. 851-853.

[17] Cf. inter alia: PIUS XI, *Casti connubii*: DENZ. 2242.

[18] Cf. *Decretum S. Off.* 4 maii 1898: *A.S.S.* 30 (1897-98), p. 704; 24 iulii 1895: *A.S.S.* 28 (1895-96), p. 383 s.; 31 maii 1884: *A.S.S.* 17 (1884), p. 556.

PIUS XI, *Casti connubii,* l. c.: DENZ. 2243.

[19] Hic condemnantur omnes artes quibus processus vitalis humanus iam incoeptus interrumpitur. Neque excusat probabilis sententia, qua anima rationalis tantum post aliquod tempus conceptionis infundi retineatur. Quidquid sit de veritate istius doctrinae, etiam a magnis moralistis retenta, remanet principium, quod numquam licet interrumpere processum vitalem humanum iam incoeptum.

[20] PIUS XI, *Casti connubii, l. c.*: DENZ. 2231 ss., 2247 s.

[21] Ex professo de condemnatione adulterii sub omnibus aspectibus: PIUS XI, *Casti connubii,* ubi expresse etiam improbantur qui « quaecumque de fide coniugali

retinenda latae fuerint poenales reipublicae leges, eas irritas esse volunt, aut certe irritandas »: *A.A.S.* 22 (1930), p. 566.

Cf. etiam *Decretum S. Off.* 4 martii 1676, prop. 50: DENZ. 1200: « Copula cum coniugata, consentiente marito, non est adulterium ».

Cf. etiam: *Prima Romana Synodus,* art. 492, § 2: « Coniugalis fides est *utrique* coniugi ius et officium sacrum ». Non raro putatur adulterium esse reprehensibile tantum in muliere.

[22] *Conc. Tridentinum,* Sess. VI, c. 11: DENZ. 804 et Sess. XXIV, can. de matr. 9: DENZ. 979.

S. AUGUSTINUS, *De natura et Gratia,* c. 43, n. 50: *PL* 44, 271.

PIUS XII, *Alloc.* 20 aug. 1941: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. III, p. 184: « Allorchè i Nostri Predecessori di venerata memoria, e particolarmente il Sommo Pontefice Pio XI nella Lettera Enciclica *Casti connubii,* hanno richiamato a ricordato *le sante ed ineluttabili leggi della vita matrimoniale, ponderavano e si rendevano perfettamente conto che in non pochi casi agli sposi cristiani si richiede un vero eroismo per osservarle inviolabilmente* ».

PIUS XII, *Alloc.* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 846 s., ubi denuo agit de possibilitate et de gratia.

[23] Cf. PIUS XI, Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: DENZ. 2232.

[24] Multi hodie confundunt *amorem* coniugalem *naturalem* cum *caritate* coniugali, quae est ordinis supernaturalis. Unde Constitutio sermonem facit de caritate. Gratia perficit amorem ipsum coniugalem iuxta doctrinam *Conc. Tridentini,* Sess. XXIV: DENZ. 969.

PIUS XII, *Alloc.* 29 ian. 1941: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. II, p. 384: « Un'affezione mutua, nata nella sola inclinazione che vi porta l'uno verso l'altra, o anche nella mera compiacenza per i doni umani che scoprite con tanto appagamento l'uno nell'altra; una tale affezione, per quanto bella e profonda si riveli e riecheggi nella intimità dei fidi colloqui di sposi novelli, non è mai che basti; nè varrebbe a pienamente comporre quell'unione delle vostre anime, quale l'ha intesa e bramata l'amorosa Provvidenza di Dio nel condurvi l'uno verso l'altra. *Soltanto la carità soprannaturale, vincolo di amicizia fra Dio e l'uomo,* può stringere nodi incrollabili a tutte le scosse, a tutte le vicissitudini, a tutte le prove inevitabili durante una lunga vita a due... ».

Et in eodem sensu iam LEO XIII, Encycl. *Arcanum divinae sapientiae*: *Acta Leonis XIII,* t. II, p. 16: « Iamvero Apostolis magistris accepta referenda sunt, quae sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt, nimirum Christum Dominum ad sacramenti dignitatem evexisse matrimonium... atque in eo, *ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia mire conformato, et amorem qui est naturae consentaneus perfecisse,* et viri et mulieris individuam suapte natura societatem *divinae caritatis* vinculo validius coniunxisse ».

[25] Reprobatur hic conceptio, qua amor coniugalis dicatur *obiectum* proprium consensus matrimonialis, qua talis. Cum e contra solum *ius* ad actus per se aptos ad prolis generationem, utpote obiectivum, non vero amor coniugalis, exsistere potest per se « etiam non considerato qualiter ab agente fiat » ut dicit S. THOMAS (II-II, q. 57, a. 1). Attamen non negatur, quod amor coniugalis, perfectus caritate supernaturali, sit lex quae debet totam vitam coniugalem christiane pervadere. Alius error adest, qui ponit amorem coniugalem uti finem primarium matrimonii, de quo increpatio fit circa finem Constitutionis.

[26] Habetur prae oculis quaedam falsa « spiritualitas coniugalis » et quaedam falsa conceptio amoris coniugalis, in quibus praescinditur a legibus, ut iam monuit agens contra sic dictam « moralem novam » Pius XII, *Nuntius radioph.* 23 martii 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 270 ss. et 18 apr. 1952: *Discorsi e Radiomessaggi,* t. XIV, p. 71 ss.

Iam antea Pius XI, *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 583: « Quidquid tandem verbo et scripto asseri et propagari velit, firmiter constanterque coniugibus sanctum ac sollemne esto: in omnibus quae ad matrimonium pertinent, sine ulla haesitatione *Dei mandatis stare se velle*: *mutuo caritatis auxilio semper praestando,* castitatis fide servanda, vinculi firmitate numquam violanda, *iuribus per coniugium acquisitis non nisi christiane semper et moderate adhibendis, primo praesertim coniugii tempore,* ut, si quando postea rerum adiuncta continentiam postularint, uterque iam assuetus continere, faciliore negotio, se queat ».

[27] Cf. Pius XI, Encycl. *Casti connubii*: Denz. 2232, cui adde: Pius XII, *Alloc.* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 852 s.: « Al presente... si suole sostenere, con le parole e con gli scritti (anche da parte di alcuni cattolici) la necessaria autonomia, il proprio fine e il proprio valore della sessualità e della sua attuazione, indipendente dallo scopo della procreazione di una nuova vita... Non si vorrebbe ammettere altro freno nel modo di soddisfare l'istinto che l'osservare l'essenza dell'atto istintivo... Questo edonismo anticristiano troppo spesso non si arrossisce di erigerlo a dottrina, inculcando la brama di rendere sempre più intenso il godimento nella preparazione e nella attuazione della unione coniugale; come se nei rapporti coniugali tutta la legge morale si riducesse al regolare compimento dell'atto stesso, e come se tutto il resto, in qualunque modo fatto, rimanga giustificato dalla *effusione del reciproco affetto, santificato dal sacramento del matrimonio, meritevole di lode e di mercede dinnanzi a Dio e alla coscienza.* Della dignità dell'uomo e della dignità del cristiano, che mettono un freno agli eccessi della sensualità, non si ha cura. *Ebbene, no.* La gravità e la santità della legge morale cristiana non ammettono una sfrenata soddisfazione dell'istinto sessuale e di tendere così soltanto al piacere e al godimento; essa non permette all'uomo ragionevole di lasciarsi dominare sino a tal punto, nè quanto alla sostanza, nè quanto alle circostanze dell'atto. Si vorrebbe da alcuni addurre che la felicità nel matrimonio è in ragione diretta al reciproco godimento nei rapporti coniugali. No: la felicità nel matrimonio è invece in ragione diretta del vicendevole rispetto fra i coniugi, anche nelle loro intime relazioni; non già quasi che essi giudichino immorale e rifiutino quel che la natura offre e il Creatore ha donato, ma perchè questo rispetto, e la mutua stima che esso ingenera, è uno dei più validi elementi di un *amore puro,* e *per ciò stesso tanto più tenero* ».

[28] Cf. Pius XI, Encycl. *Casti connubii*: Denz. 2234.

[29] Cf. Pius XI, Encycl. *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 569: « Sed sicut haec bona tertium, quod sacramenti est, longe antecellit, ita nil mirum, quod hanc imprimis excellentiam multo acrius videmus ab iisdem oppugnari »; cf. etiam pp. 550-553.

[30] Quoad matrimonium civile iam in *Conc. Vat. I* parati erant aliqui canones: cf. Mansi 53, 721, 718 (n. 16), 752.

Hac in re innumera sunt documenta magisterii Ecclesiae: cf. inter alia:

Instructio S. Congr. de Disciplina Sacramentorum: *A.A.S.* 21 (1929), p. 352 et: *Prima Romana Synodus,* art. 496, § 2: « Itali fideles noverint, si " forte civi-

liter contrahere ausi fuerint, quamvis animus ipsis sit celebrandi postea religiosum matrimonium, se pro publicis peccatoribus habitum iri, et parochum ad normam can. 1066 se gessurum " ».

In aliquibus tamen regionibus matrimonium civile imponitur ut praecedat matrimonio religioso. In his casibus evidenter sufficit quod fideles faciant quod possint.

[31] Doctrina contra divortium civile innumeris habetur in documentis Ecclesiae, ut unusquisque facile sibi comparare potest.

Quoad iustam causam in separatione considerandam sic scribit *Catechismus Romanus,* De matrim. Sacr., n. 20: « Neque enim sancta Ecclesia viro et uxori permittit, ut sine *gravioribus causis* alter ab altero discedat ».

[32] Etiam quoad matrimonium mixtum, in *Conc. Vat. I* doctrina et canon parata erant: MANSI 53, 721, 754 s.

Cf. *Decr. S. Off.,* 1 iul. 1949: *A.A.S.* 41 (1949), p. 334, et *Declar. S. Off.* 11 aug. 1949: *A.A.S.* 41 (1949), p. 427 s.

[33] BENEDICTUS XIV, Encycl. *Magnae nobis,* 29 iunii 1748: *Bullarium,* t. II, Romae 1754, p. 247 ss.

CLEMENS XIII, Litt. Apost. *Quantopere,* 16 nov. 1763; *Bullarii Rom. Continuatio,* t. II Pont. Clem. XIII, Romae 1837, p. 425 ss.

PIUS VI, Litt. *Exsequendo nunc,* 13 iulii 1782: *C.I.C. Fontes,* Vol. II, p. 655 ss.

PIUS VIII, Litt. Ap. *Litteris altero,* 25 martii 1830: *C.I.C. Fontes,* Vol. II, p. 733 ss.

GREGORIUS XVI, Encycl. *Summo iugiter,* 27 maii 1832: *Acta Gregorii Papae XVI,* Vol. I, Romae 1901, p. 140 ss.; Encycl. *Commissum divinitus,* 17 maii 1835: ibid., Vol. II, Romae 1901, p. 32 ss.; Breve *Non sine gravi,* 23 maii 1846: ibid., Vol. III, Romae 1902, p. 537 s.; Litt. Ap. *Quas vestro,* 30 apr. 1841: ibid., Vol. III, Romae 1902, p. 122 ss.

LEO XIII, Encycl. *Arcanum divinae,* 10 febr. 1880: *Acta Leonis XIII,* t. II, p. 10 ss.; *Constanti Hungarorum,* 2 sept. 1893: ibid., t. XIII, p. 268 ss.; Litt. *Quam religiosa,* 16 aug. 1898: ibid., t. XVIII, p. 140 ss.

PIUS XI, *Casti connubii*: *A.A.S.* 22 (1930), p. 539 ss.

PIUS XII, Encycl. *Sertum laetitiae,* 1 nov. 1939: *A.A.S.* 31 (1939), p. 635 ss.

C.I.C., cann. 1060-1066.

[34] PIUS VII, Breve *Etsi Fraternitatis* 8 oct. 1803: *C.I.C. Fontes,* t. II, p. 718: « Atque horum primum est, Catholicorum cum haereticis connubia Ecclesiam catholicam tamquam illicita, perniciosa et detestabilia perpetuo interdixisse et reprobasse, quod innumeris possemus Conciliorum, Summorumque Pontificum decretis demonstrare... Et licet in quibusdam regionibus propter locorum et temporum difficultatem eadem connubia *tolerari* contingat, id quidem ad eam referendum est aequanimitatem, quae *nulla ratione approbationis et consensus cuiuspiam loco habenda sit,* sed merae *patientiae,* quam ad maiora vitanda mala affert necessitas, non voluntas... », coll. pluribus aliis documentis.

[35] PIUS XI, Encycl. *Casti connubii*: A.A.S. 22 (1930), p. 558 s.: « Hisce principiis innixi, quidam eo devenerunt, ut nova effingerent coniunctionum genera, ad praesentes hominum ac temporum rationes, ut opinantur, accommodata, quae totidem novas matrimonii species esse volunt: aliud ad *tempus,* aliud ad *experimentum,* aliud *amicale* quod plenam matrimonii licentiam omniaque iura sibi vindicat,

dempto tamen indissolubili vinculo et prole exclusa, nisi partes suam vitae communionem et consuetudinem in pleni iuris matrimonium deinde converterint ».

[36] Hic habetur prae oculis divulgatus liber *Il matrimonio perfetto* auctoris VAN DE VELDE in Indicem librorum prohibitorum immissus; et condemnari intenditur etiam modus quo in pelliculis ipsa sanctitas matrimonii profanatur publice.

[37] Cf. PIUS XI, Encycl. *Casti connubii,* ubi isti errores expresse damnantur.

[38] Hic non intratur in particularibus quaestionibus vel erroribus circa delictum adulterii eiusque punitionem ex parte civilium legislationum. Sed tantum quoddam principium generale improbatur.

[39] De isto « libero amore » etiam hodie continuo Ecclesiae adversarii sermonem faciunt. Unde ista divulgata conceptio tandem explicite est damnanda.

CAPUT 3

DE ORDINE FAMILIAE CHRISTIANAE DIVINITUS CONSTITUTO

25. [*Origo et dignitas familiae christianae*]. Familia ex ipso ordine divino parentibus et prole constituitur, et quidem, ex legitimo matrimonio,[1] quo deficiente per se neque dari potest, coram Deo et Ecclesia, aliqua legitima familia. Proles tamen illegitima possidet iura et officia, quae obveniunt ex ipso procreationis facto. Origine, natura sua et fine familia, sicut matrimonium, est sacra et pro christianis sancta,[2] qua sanctitate familia christiana prae aliis splendescit. Secundum igitur ordinem divinum, in ipsa regnare debent gratia et virtutes, atque in primis caritas, in imitatione illius sanctissimae nazarethanae familiae, quae est omnis familiae christianae perfectissimum exemplar.[3]

26. [*Familia ut vera societas*]. Attento eodem ordine divino, familia vera societas est, alias societates naturales per se antecedens; [4] licet ab istis, ut proprios suos fines reapse consequi valeat, iuvari et promoveri possit ac debeat. Immo familia est, et usque ad finem saeculi erit, societas cuique homini, in quocumque ordine sociali, necessaria et inviolabilis, aliarum societatum principium et praesuppositum, propria unitate spirituali et morali, iuridica atque oeconomica praedita.[5] Proprietates igitur et bona quibus matrimonium ornatur, praesertim unitas, indissolubilitas et casta fidelitas utriusque coniugis etiam in tutamen et bonum totius familiae a Deo data sunt.[6]

27. [*Auctoritas in societate domestica*]. Familia utpote ordinatus convictus, non potest esse sine propria auctoritate,[7] in spiritu tamen servitii secundum illud *Mt.* 23, 11: « Qui maior est vestrum, erit minister vester ». Auctoritatis autem principium residet in viro, qui ideo est caput familiae.[8] Ipse naturalem primatum habet in uxorem et liberos. Qui naturalis primatus in uxorem confirmatus et elevatus est per sacramentum matrimonii,[9] docente Apostolo: « Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae... Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus » (*Eph.* 5, 22-24). Quamvis

igitur mulier subiecta est viro, tamen ut mater propriam etiam habet in filios auctoritatem, patris auctoritati subordinatam. Immo vices viri in gerenda familia uxor habet, cum ille officio suo satisfacere non valuerit.[10] Sequitur ut filii in parentum potestate sint (cf. *I Tim.* 3, 4), quousque et ipsi sui iuris fiant.[11] Insuper mulier in familia est velut cor, propriis distinctisque dotata qualitatibus et muneribus, ut suaviter et efficaciter disponat omnia ad totius convictus domestici bonum.[12] Hac de causa uxor a viro non veluti ancilla habenda est, quasi quibuslibet mariti placitis subiecta; sed mulier socia viri in procreatione, etiam socia in prolis educatione sit et viro adiumentum ut voluit Deus iam ab initio (cf. *Gen.* 2, 18), in caritate et sanctificatione.[13] Ecclesia autem, memor doctrinae Apostoli coram Deo non esse masculum neque feminam, sed omnes baptizatos esse unum in Christo Iesu (cf. *Gal.* 3, 28), reiecit et reiicit ideas falsas, quibus mulier describatur veluti maturo deficiens iudicio, vel suorum actuum dominii incapax, vel ad iura sua exercenda deficienter instructa.[14] Viri ergo in uxorem auctoritas informari atque temperari debet virtutibus tum naturalibus tum supernaturalibus, praesertim amore coniugali secundum divinum mandatum: « Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea » (*Eph.* 5, 25). Ut autem utriusque genitoris in prolem auctoritas ea moderatione exerceatur sine qua educationis uberior fructus sperari nequeat, parentibus et peculiariter patri dictum est: « Nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant » (*Col.* 3, 21).[15] Sint fortes et suaves: si vero mites fuerint, Deus eos docebit vias suas (*Ps.* 24, 9), ut et ipsi filios conducere valeant in via Domini. Sicut autem auctoritas patris amore informari oportet, sic oboedientia uxoris filiorumque sit etiam amoris obsequium.

28. [*Quidam errores improbantur*]. Erroneum igitur est divinam familiae originem negare vel ordinationem in ipsa a Deo positam subvertere,[16] vel ordinis divini et Ecclesiae regimini et influxui illam subducere. Atque ideo haec S. Synodus dum iura mulieris defendit, reprobat tamen illam malam emancipationis formam qua eiusdem mulieris, sive ut filiae sive ut uxoris sive ut matris, propria natura, functio et munus deturpantur, falsa quadam aequalitatis cum viro conceptione inducta.[17] Nec approbat quod alii, immo ipsa auctoritas civilis, in detrimentum etiam boni familiaris, naturales viri et mulieris distinctas qualitates et munera vel negant, vel parvipendunt, vel, quod peius est, practice destruunt, falsa quadam libertatis exaltatione moti.[18]

NOTAE

[1] Cf. LEO XIII, Epist. *Ci siamo,* 1 iun. 1879: *Leonis XIII P. M. Acta,* I, pp. 237-238.

ID., Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880: *A.S.S.* 12 (1879-80), p. 391.

Id., Epist. *Il divisamento,* 8 febr. 1893: *Leonis XIII P. M. Acta,* XIII, pp. 37-38.

Id., *Alloc. in Consistorio,* 18 mart. 1895: *Leonis XIII P. M. Acta,* XV, pp. 74-75.

Pius XII, *Alloc. ad sponsos,* 12 iul. 1939: *Discorsi e Radiomessaggi,* I, p. 247.

[2] Cf. Leo XIII (in documentis supra notatis).

Pius XI, Encycl. *Ubi arcano,* 23 dec. 1922: *A.A.S.* 14 (1922), p. 678.

Id., Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.* 22 (1930), pp. 539 ss., 583-584, 590.

[3] Leo XIII, Epist. Apost. *Neminem fugit,* 14 ian. 1891: *Leonis XIII P. M. Acta,* XII, p. 149.

Pius XI, Encycl. *Ubi arcano,* 23 dec. 1922: *A.A.S.* 14 (1922), p. 690.

[4] Leo XIII, Encycl. *Rerum novarum,* 15 maii 1891: *Leonis XIII P. M. Acta,* XI, p. 104: « En igitur familia seu societas domestica, perparva illa quidem, sed *vera societas,* eademque omni civitate *antiquior*; cui propterea sua quaedam iura officiaque necesse est, quae minime pendeant a republica ».

Pius XI, Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: *A.A.S.* 22 (1930), pp. 52-53.

[5] Pius XII, *Alloc.* d. 21 nov. 1953: *Discorsi e Radiomessaggi,* XV, p. 477: « Essa [la Chiesa] non può cessare di ammonire e di ricordare che, secondo la volontà del Creatore e l'ordine naturale da lui stabilito, la famiglia dev'essere un'unità *spirituale e morale, giuridica ed economica...* ».

[6] Cf. Pius XII, Encycl. *Sertum laetitiae,* 1 nov. 1939: *A.A.S.* 31 (1939), p. 640.

Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *Leonis XIII P. M. Acta,* V, p. 129.

Id., Encycl. *Caritatis,* 19 mart. 1894: *ibid.,* XIV.

Id., Encycl. *Longinqua oceani,* 6 ian. 1895: *ibid.,* XV, p. 15.

Pius XI, Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.* 22 (1930), pp. 553-554.

[7] Leo XIII, Encycl. *Rerum novarum,* 15 maii 1891: *Leonis XIII P. M. Acta,* XI, p. 105: « Quemadmodum civitas, eodem modo familia, ut memoravimus veri nominis societas est, *quae potestate propria, hoc est paterna regitur* ».

[8] Leo XIII, Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880: *Leonis XIII P. M. Acta,* II, p. 18: « Vir est familiae princeps et caput mulieris... ».

[9] Leo XIII, Encycl. *Quod apostolici,* 28 dec. 1878: *Leonis XIII P. M. Acta, I, pp.* 178-179.

[10] Pius XI, Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.* 22 (1930), pp. 549-550: « Immo si vir officio suo defuerit, uxoris est vices eius in dirigenda familia supplere ».

[11] Hic non intratur tamen in quaestiones iuridicas de emancipatione legali et iuridica filiorum, quae dependet etiam a variis Statuum legislationibus.

[12] Pius XI, Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.* 22 (1930), p. 549: « Si enim vir est caput, mulier est cor, et sicut ille principatum tenet regiminis, haec amoris principatum sibi ut proprium vindicare potest et debet ».

[13] Leo XIII, Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880: *l. c.*: «... [mulier] subiiciatur pareatque viro, in morem non ancillae sed sociae ».

Pius XI, Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *l. c.,* p. 549: « .. neque obse-

cundare eam iubet quibuslibet viri optatis, ipsi forte rationi vel uxoris dignitati minus congruentibus... ».

[14] Pius XI, Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *l. c.,* p. 549: « ... nec denique uxorem aequiparandam docet personis, quae in iure minores dicuntur, quibus ob maturioris iudicii defectum vel rerum humanarum imperitiam liberum suorum iurium exercitium concedi non solet... ».

[15] Leo XIII, Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880: *Leonis XIII P. M. Acta,* II, p. 18, citatur in:

Pius XI, Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.* 22 (1930), p. 550: « ... divina caritas esto perpetua moderatrix officii... ».

[16] Praesertim contra communistas, socialistas, laicistas, liberales: cf. Leo XIII, Encycl. *Inscrutabili,* 21 apr. 1878.

Id., Encycl. *Quod apostolici,* 28 dec. 1878.
Id., Epist. *Ci siamo,* 1 iun. 1879.
Id., Encycl. *Arcanum divinae sapientiae,* 10 febr. 1880.
Id., Encycl. *Humanum genus,* 20 apr. 1884.
Id., Encycl. *Dall'alto,* 15 oct. 1890.
Id., Encycl. *Rerum novarum,* 15 maii 1891.
Id., Epist. *Il divisamento,* 8 febr. 1893.
Id., Epist. *Longinqua oceani,* 6 ian. 1895.
Id., *Alloc. in Consistorio,* 18 mart. 1895.
Id., Epist. *Quam religiosa,* 10 aug. 1898.
Id., *Alloc. in Consistorio,* 16 dec. 1901.
Id., Encycl. *Annum ingressi sumus,* 19 mart. 1902.
Id., Epist. *Dum multa,* 24 dec. 1902.
S. Pius X, Epist. *Afflictum propioribus,* 24 nov. 1906.
Benedictus XV, Motu Proprio *Bonum sane,* 25 iul. 1920.
Pius XI, Encycl. *Ubi arcano,* 23 dec. 1922.
Id., Epist. *Quod novas,* 25 apr. 1923.
Id., Epist. *Ci si è domandato,* 30 maii 1929.
Id., Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930.
Id., Encycl. *Divini Redemptoris,* 19 mart. 1937.
Pius XII, Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939.
Id., Encycl. *Sertum laetitiae,* 1 nov. 1939.
Id., *Nuntius Radiophonicus,* 17 iun. 1945.
Ioannes XXIII, Encycl. *Ad Petri cathedram,* 29 iun. 1959.
Id., Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961.

Ex his omnibus documentis Summorum Pontificum, clare elucet continua praeoccupatio Ecclesiae expresse condemnandi errores et vitia, quae etiam ordinem familiarem offendunt.

[17] Pius XI, Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.* 22 (1930), pp. 567-568, ubi ex professo et longe increpatur error malae mulieris emancipationis.

Ioannes XXIII, *Prima Rom. Syn.,* art. 213, § 2.

[18] Leo XIII, Epist. *Quod apostolici,* 28 dec. 1878: *Leonis XIII P. M. Acta,* I, pp. 171, 178 ss.

Benedictus XV, Motu proprio *Bonum sane,* 25 iul. 1920: *A.A.S.* 12 (1920), p. 314.

Pius XI, Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: *A.A.S.* 22 (1930), pp. 49-86.

Id., Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.* 22 (1930), p. 568.

Caput 4

DE IURIBUS, OBLIGATIONIBUS, VIRTUTIBUS FAMILIAE CHRISTIANAE PROPRIIS

29. [*Responsabilitas parentum quoad numerum filiorum*]. Parentum reapse christianorum, hodie praesertim, veluti signum distinctivum esse debet generosus et dictamine virtutum christianarum imbutus modus, quo circa numerosam prolem et corde sentiant et factis se gerant.[1] Minime utique ignorat S. Synodus quot et quantae difficultates, hac in re gravi coniugibus occurrere possint. Universim ideo docet e lege divina, naturali vel positiva, ad numerum filiorum in unaquaque familia habendum quod attinet, non esse universalem normam, sed in singulis casibus ponderandum esse, quid conditiones individuales, bonum totius familiae et societatis innuant, iuxta dictamina prudentiae christianae, aliis etiam virtutibus connexae. In suis igitur decisionibus particularibus fideles ne moveantur solis considerationibus temporalibus et materialibus, sed in primis supernaturalibus, in luce rationis et fidei.[2] Et, ut christianos decet, in ipsa numerositate prolis mensuranda, memores sint Providentiae divinae, qua omnia sapienter ordinantur. In re tam gravi caveant etiam fideles ab irrationabili et caeco instinctu et a variis hedonismi formis.[3] Licitum autem est coniugibus, recte utriusque consentientibus, ex iusta causa matrimonio uti solis istis diebus, qui praevidentur infoecundi.[4] Suprema vero regula esto Apostoli universale monitum: « Omnia vestra in caritate fiant » (*I Cor.* 16, 14). Nam ipsa continentia illicita coniugibus evadit si per illam, ut animadvertit ipse Apostolus (cf. *I Cor.* 7, 5) coniuges in proximum peccandi periculum versentur. Atque ideo valores rationesque mere medicales, eugenicae, oeconomicae, sociales et aliae ordinis temporalis et materialis minime praeponi vel coaequari possunt valoribus et rationibus altioris ordinis, scilicet religiosi et moralis.[5]

30. [*Superpopulationis timor*]. Nulla obligatio restringendi prolis multiplicationem ex solo timore superpopulationis absolutae, seu disproportionis universalis, necessariae et definitivae inter numerum hominum viventium et quantitatem mediorum temporalium ipsis necessariorum, per se deduci potest. Theoria enim « superpopulationis absolutae » a priori probari nequit, nisi negando indolem spiritualem agentis humani, immo nisi defectus divinae Providentiae ponatur in ordine creationis ab ipso sapientissimo Deo constituto.[6] Quaedam vero superpopulatio relativa et temporanea quae propter concursum variarum causarum contingentium hic vel alibi evenire potest, potius stimulare debet homines ad novas vias in productione bonorum quaerendas et in bonis productis recte distribuendis quam ad procreationem pro-

lis contra legem divinam limitandam. Propagatio idearum circa necessitatem adaequationis generationis infantium ad conditiones oeconomicas continue variabiles significat introducere in familiam spiritum calculi et materialismi huic convictui omnino alienum.[7] Nihil tamen prohibet, ne quidam processus et quaedam transformationes sociales in ordine oeconomico, hygienico, instructionis publicae in aliisque bonis consequendis promoveantur. Valde autem cavendum est, ne in his transformationibus socialibus, valores essentiales et ordinis superioris convictus domestici corrumpantur; sed omnino curandum ut ipsae mutationes cum legibus divinis conformiter perficiantur.[8]

31. [*Iura et officia parentum quoad prolis educationem*]. Parentum officium grave et divinitus sancitum est, praesertim verbo et exemplo prolem propriam educare non solum quoad naturalia et terrena, sed prae aliis quoad supernaturalia et aeterna.[9] Unde in primis ipsi parentes, etiam ex debito erga ipsam prolem, curare debent ut non tantum neonati quam primum fieri potest in vita supernaturali renascantur, sed etiam ut iam a prima aetate religiose educentur praesertim quoad elementa religionis christianae rectamque observantiam legis evangelicae.[10] Ipsum enim matrimonium et familia eo quoque tendit, ut crescat corpus Ecclesiae numerusque electorum augeatur.[11] Bona naturalia et terrena parentes in filiorum educatione attendere debent, servata tamen recta valorum aestimatione et gradatione.[12] Scientiae autem et artes paedagogicae sint oportet veris et christianis principiis conformes,[13] attento praesertim quod homo ex una parte illuminationibus et motionibus Spiritus Sancti illustratur et ducitur, ex altera vero parte malae concupiscentiae et aliis peccati originalis sequelis manet obnoxius.

32. [*Iura et officia filiorum*]. Filii suorum parentum re vera esse debent honor (cf. *Mal.* 1, 6), corona et gloria (cf. *Prov.* 17, 6). Oportet igitur ut filii reapse sint erga parentes oboedientes, dociles, ipsos amantes non solum affective sed etiam effective seu in operibus, ut non una vice monet S. Scriptura.[14] Curandum etiam ne filii in suis iuribus laedantur, praesertim cum agitur de libera proprii matrimonii electione vel de sequenda libere sacra vocatione.[15]

33. [*Munera cum aliorum tum societatis civilis erga familiam*]. Cognati quoque sive naturales sive spirituales et alii quoque munere vel officio familiis addicti adiuvare debent easdem aliquo modo sibi coniunctas, imprimis in prolis sustentatione et recta educatione. Etiam auctoritas civilis sua habet munera respectu convictus domestici. Auctoritas igitur civilis, sive nationalis sive internationalis, propriis organis et mediis, ius et officium habet servandi, defendendi et promovendi bona familiae, ipsam etiam positive iuvando, praesertim in filiorum sustentatione et educatione, iuxta exigentias boni communis.[16] Atque ideo eadem publica auctoritas curare debet ne familia deficiat vel privetur rebus sibi necessariis, etiam ad iustum et rectum sui in coetu sociali profectum; insuper ne familiae ius ad laborem, cum debito et congruo salario, contra ipsam naturalem iustitiam vel aequitatem, violetur; ne denique familia indebite possibilitate emigrandi privetur vel eius membra

indebite separatim vivere cogantur; et in genere, ne ipsi parentes, maxime vero matres, directe vel indirecte, a possibilitate recte implendi propria munera impediantur.[17]

34. [*Familia et scholae*]. Quantum ad scholas attinet, auctoritati civili iustas parentum et Ecclesiae iura laedere non licet, ut nempe filii recte et christiane etiam in scholis educentur.[18] Immo eadem auctoritas civilis familiam etiam hac in re mediis sibi congruentibus et pro posse iuvare debet.[19] Parentum enim ius et officium est diligenter cavere, ne filii scholas vel associationes adeant in quibus vel religio vel morum integritas in proximo periculo versetur,[20] quod saepe obtineri nequit nisi expensis, quae familiae solvere non valent.

35. [*Familia et Ecclesia*]. Familia iure divino Ecclesiae concredita est, non solum quia matrimonium, e quo legitime oritur, ad Ecclesiam primo et per se pertinet; sed etiam quia Ecclesia divinitus ius habet gravissimum illudque independens et inviolabile a quacumque potestate humana, educationem christianam impertiendi, per suos quidem magistros et scholas, non solum filiis familias sed etiam ipsis parentibus, praesertim ad ipsorum instructionem in christiane implendis proprii status obligationibus.[21] Hoc ius Ecclesiae proprium est cum propter suum universale magisterium, tum etiam propter suam maternitatem spiritualem in filios et parentes.[22] Nam sola Ecclesia, administrando Sacramenta ad sanctuarium conscientiae sive parentum sive filiorum nomine Christi accessum habet.[23] Ipsa igitur intimitas coniugalis vel familiaris proprios habet limites, etiam quoad ipsa familiae membra. Quibus omnibus fit ut familia christiana talis ac tantae matris Ecclesiae evadat honorificum organon vivum atque sanctum, in aedificationem Corporis Christi.

36. [*Errores censurantur*]. Erroneum est, immo humanae atque christianae dignitatis laesivum in ponderandis demographicis problematibus, hominum procreationem eorumque familiam unice in ordine ad servitium societatis civilis considerare vel eas ad modum specierum animalium tractare et sic re vera detrudere.[24] Hac de causa S. Synodus, dum instantissime omnes hortatur ut quisque pro sua possibilitate familias numerosas efficaciter adiuvet, simul severe reprobat commendationem vel propagationem inhonestorum mediorum anticonceptionalium ad delimitandam prolem; quibus non tantum non defenditur bonum populorum, ut hodie aliquando praetenditur, sed potius corrumpitur totus ordo socialis.[25] Damnat insuper S. Synodus theorias omnes, quibus quocumque modo abnegantur Ecclesiae et familiae iura quoad puerorum educationem; vel quibus hac in re ius primarium auctoritati civili attribuitur; eosque gravissime improbat, qui ad leges iniquas, de matrimonio et familia ferendas, directe dant operam vel formaliter cooperantur.[26] Reiicit autem, quoad ipsam educationem iuvenum, cuiusdam moralis doctrinae placita, quibus Ecclesia diffamatur ac si in educatione morali potius quam legem libertatis et amoris foveret exclusive quamdam educationem moralem unice legibus et timori innitentem, negativam, contra-

dicentem, uti aiunt, authenticae Christi doctrinae et methodo. Quae quidem quam falsae sint erga Ecclesiam accusationes vel malevolae insinuationes, patebit recordanti, quomodo ipse Christus urserit Decalogi etiam praecepta negativa (cf. *Mt.* 19, 18),[27] immo instanter abrenuntiationem et crucem proposuerit (cf. *Mt.* 16, 24). Et si Apostolus, Spiritu divino ductus omnes fideles monet ut cum timore et tremore operentur suam salutem (cf. *Phil.* 2, 12), ea verba sibi duplicem ob titulum ii sibi dicta sciant, qui educationi Christianae aeque onerosae ac gloriosae ex divina voluntate se tradunt.

EPILOGUS

37. [*Admonitio brevis*]. Haec sunt, quae Sacrae Synodo pro huius temporis necessitatibus exponenda videbantur, non tantum ut veritas melius innotesceret, sed etiam ut libentius agnosceretur atque in ipsa vita salutariter exprimeretur. Monet igitur Pastores, ut fideles sancte de hisce decretis instruant bonisque consiliis adiuvent; monet coniuges ut continuo crescere in se sinant dona et gratias, quas in suscipiendo Sacramento, quo figuratur amor sponsalis Christi et Ecclesiae, caelitus acceperunt; monet parentes et filios, ut imitantes sacram Nazarethanam familiam ad altiora continuo tendant. Monet omnes, ut sacrificia, in hoc ordine post Adae lapsum veluti inevitabiliter cum donis divinis coniuncta, animo generoso in spiritu amoris et subiectionis Deo offerant. Ut pia mater fidelium Ecclesia compatitur angustiis, miseriis, angoribus, quibus magnus infantium numerus premitur nec raro deprimitur. Sed etiam sacrificia a Deo et Iesu Christo volita, silere non potuit. Et non minus fidelibus nonnullis lamentantibus, quam inimicis multis calumniantibus respondere cogitur: « Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum iudicate... Oboedire oportet Deo magis quam hominibus » (*Act.* 4, 19 et 5, 29). Quod si vero vox Ecclesiae audiatur, matrimonium et familia respondebunt consiliis Dei, qui est amor, et Iesu Christi, qui caritate perpetua dilexit nos; id autem « quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur » (*II* Cor. 4, 17-18).

NOTAE

[1] Pius XII, *Alloc. ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 841: « Purtroppo non sono rari i casi in cui il parlare, anche soltanto con un cauto accenno, dei figliuoli come di una " benedizione ", basta per provocare contraddizione o forse anche derisione. Molto più spesso domina la idea e la parola del grave " peso " dei figli. Come quella mentalità è opposta al *pensiero di Dio* e al linguaggio della Sacra Scrittura, e anche alla sana ragione e al sentimento della natura! ».

Id., *Alloc. Dirigentibus Foederationis nationalis Italicae Sodalitatum e Familiis cum multa prole,* 20 ian. 1958: *A.A.S.* 50 (1958), p. 93: « Soltanto la luce di-

vina ed eterna del cristianesimo illumina e vivifica la famiglia, in tal modo che, sia nell'origine sia nello sviluppo, la famiglia numerosa è spesso presa come sinonimo di famiglia cristiana ».

[2] Cf. Pius XII, *Iis qui interfuerunt Conventui VII internationali a « Societate internationali Hematologiae »* Romae habito, 12 sept. 1958: *A.A.S.* 50 (1958), pp. 732-740.

Id., *Alloc. ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), pp. 835-854.

[3] Cf. Pius XI, Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.* 22 (1930), p. 548.

Pius XII, *Alloc. ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 853: « La gravità e la santità della legge morale cristiana non ammettono una sfrenata soddisfazione dell'istinto sessuale... ».

[4] Cf. *Resp. S. Poenitentiariae,* 2 mart. 1853, 16 iun. 1880.

Pius XI, Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.* 22 (1930), p. 561.

Pius XII, *Alloc. ad obstetrices,* 29 oct. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), pp. 844 ss.

Ob discussionem vigentem inter theologos, Constitutio non determinat num iusta et *gravis* causa requiratur sub poena peccati gravis.

[5] Pius XII, *Nuntius Radiophonicus,* 24 dec. 1952: *A.A.S.* 45 (1953), p. 42: « Ma voler trarsi d'imbarazzo con la formula che il numero degli uomini deve essere regolato secondo la *economia* pubblica, equivale a sovvertire l'ordine della natura e tutto il mondo psicologico e morale ad essa legato ».

[6] Cf. Pius XII, *Alloc. Dirigentibus Foederationis nationalis Italicae Sodalitatum e Familiis cum multa prole,* 20 ian. 1958: *A.A.S.* 50 (1958), pp. 92-93.

Ioannes XXIII, Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.* 53 (1961), pp. 445 s.

N. B.: Quod spectat absolutam impossibilitatem superpopulationis universalis, Commissio theologica erat divisa. Alii putabant decisionem tam claram non esse opportunam. In subcommissione, in qua erant duo sociologi, non erat divisio. Omnes tenebant impossibilitatem superpopulationis non quidem sociologice, sed dogmatice constare. Si enim est superpopulatio, cadit illud *Gen.* 1, 22: « Crescite et multiplicamini », ideoque finis primarius matrimonii.

[7] Pius XII, *Alloc. Dirigentibus Foederationis nationalis Italicae Sodalitatum e Familiis cum multa prole,* 20 ian. 1958: *A.A.S.* 50 (1958), pp. 92-93: « Anche di recente si è visto come la cosidetta " politica demografica " non ottiene notevoli risultati, sia perchè sull'egoismo collettivo, di cui essa è spesso la espressione, prevale quasi sempre l'individuale, sia perchè le intenzioni ed i metodi di quella politica *avviliscono la dignità della famiglia* e delle persone, pareggiandole quasi a specie inferiori »;

Ioannes XXIII, Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *l. c.,* p. 447.

[8] Cf. Ioannes XXIII, Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *l. c.,* pp. 446-447.

[9] *C.I.C.,* can. 1113.

Pius XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 mart. 1952: *A.A.S.* 44 (1952), pp. 270-278.

Pius XI, Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: *A.A.S.* 22 (1930), pp. 49-86.

Id., Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.* 22 (1930), p. 545.

[10] Cf. *C.I.C.,* can. 770.

Pius XI, Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: *l. c.,* passim.

[11] PIUS XII, *Alloc.* 24 maii 1939.
Catechismus Romanus, De matrim. Sacr., c. VIII, n. 15.
[12] Cf. *C.I.C.,* can. 1113.
PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri,* passim.
[13] Cf. S. PIUS X, Encycl. *Editae saepe,* 26 maii 1910: *A.A.S.* 2 (1910), pp. 357-380.
PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri.*
PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus,* 12 ian. 1954: *A.A.S.* 46 (1954), pp. 59-62.
ID., Alloc. *Ad docentes et alumnos Universitatum Studiorum et Scholarum e Gallia Romam peregrinantes,* 21 sept. 1950: *A.A.S.* 42 (1950), pp. 735-738.
[14] Cf. *Prov.* 6, 20; *Eccli.* 3, 14; *Eph.* 6, 1; *Col.* 3, 20, etc.
[15] Cf. *C.I.C.,* cann. 214; 1087; 2352.
Prima Romana Synodus, art. 495, § 2.
[16] Cf. Pius XI, Encycl. *Divini illius Magistri.*
[17] Plura sunt documenta pontificia sive quoad salarium familiare sive quoad alia iura hic recensita.
[18] Cf. PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri.*
[19] Alluditur hic ad munus societatis civilis adiuvandi etiam scholas liberas catholicas iuxta tamen leges iustas.
[20] Cf. IOANNES XXIII, *Prima Romana Synodus,* art. 241-243.
[21] In aliquibus regionibus enim, tyrannice oppressis, solus modus praesentiae Ecclesiae est per parentes recte et christiane instructos atque ita educantes prolem.
[22] Cf. PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri*: *A.A.S.* 22 (1930), pp. 53 ss.
[23] Cf. PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 mart. 1952: *A.A.S.* 44 (1952), p. 271: « La coscienza è quindi, per dirla con una immagine tanto antica quanto degna, un ἄδυτον un santuario, sulla cui soglia tutti debbono arrestarsi; anche, se si tratta di un fanciullo, *il padre e la madre. Solo il Sacerdote vi entra come curatore di anime e come ministro del sacramento della penitenza...* ».
[24] Cf. PIUS XII, Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui Sodalitatis vulgo nuncupatae « Fronte della Famiglia » atque Consociationum inter Familias copiosae prolis,* 26 nov. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 856: « Ma vi è una miseria anche più profonda, dalla quale occorre preservare la famiglia, vale a dire l'avvilente servaggio, a cui riduce una mentalità, che tende a farne un puro organismo al servizio della comunità sociale, per procreare ad essa una massa sufficiente di " materiale umano " ».
[25] Hic agitur de condemnatione omnium modorum quibus diffunditur actus coniugalis perversio ad vitandam prolem; cf. iam PIUS XI, Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.* 22 (1930), pp. 559 ss. Sed in Constitutione damnatur error non solum sub aspectu individuali sed etiam sub aspectu sociali.
[26] Damnatio est necessaria ut ipsi catholici in re publica responsabilitatem habentes recte invigilent pro salvandis et promovendis iuribus familiae iuxta Ecclesiae doctrinam.
[27] PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus,* 23 mart. 1952: *A.A.S.* 44 (1952), pp. 274 s.: « Egli [Gesù] ha parlato della " porta stretta " e della " angusta via " che conduce alla vita [cf. *Mt.* 7, 13-14] (...) Similmente al giovane ricco, che lo interroga, egli dice: " Se vuoi entrare nella vita, osserva i comandamenti " e alla nuova domanda " Quali? " risponde: " *Non* uccidere! *non* commettere adulterio! *non* rubare! *non* fare testimonianza falsa! *onora* il padre e la madre! e ama il pros-

simo tuo come te stesso! ". Egli ha messo come *condizione* a chi vuole imitarlo, di *rinunziare* a se stesso e di prendere ogni giorno la sua croce [cf. *Lc.* 9, 23] (...). Così parlava Gesù Cristo, il *divino Pedagogo,* che sa certamente, meglio degli uomini, penetrare nelle anime e attrarle al suo amore con le infinite perfezioni del suo Cuore, *bonitate et amore plenum.* E l'Apostolo delle genti S. Paolo ha forse predicato altrimenti? (...) sono altrettanto suoi gli ammonimenti come questo: " Operate *con timore e tremore* la vostra salute " [*Phil.* 2, 12] (...) Di guisa che l'accusa di durezza opprimente, dalla "nuova morale " mossa contro la Chiesa, in realtà va a colpire in primo luogo la stessa adorabile Persona di Cristo ».

VI

DE ECCLESIA

Pars prima

Caput 1 *

DE ECCLESIAE MILITANTIS NATURA

1. [*Prologus: Dei Patris consilium*]. Aeternus Unigeniti Pater, cum liberrimo eoque arcano sapientiae suae consilio statuisset ut lapsos in Adam homines per Incarnati Filii sui mortem redimeret et in regnum eius transferret,[1] ubi venit plenitudo temporis misit eum [2] qui per Spiritum Sanctum sese hostiam Deo immaculatam offerens [3] acceptabilem sibi populum mundaret; [4] complacuit enim Patri non ut redempti, quavis habitudine connexioneque seclusa, coram se plane singuli sanctificandi consisterent, sed ut ex multitudine advocati, novum genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, novum scilicet Israël constituerent.[5]

2. [*Incarnati Filii Dei exsecutio*). Cum igitur Unigenitus Dei Filius ex muliere factus [6] habitavit in nobis [7] voluntati Patris obsecutus est;[8] qui Magistri [9] Sacerdotis [10] Regis [11] munera pro nobis obivit et populum Dei [12] ad aeternam salutem non modo per se, sed et per electos a se praepositos multipliciter sanctificat sapienterque gubernat. Quippe etenim praepositos in eo populo instituit, quos muneribus praeconis, sacerdotis, regis, sub Petro exercendis, exornavit dicens: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 18-20); et: « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur » (*Mc.* 16, 15-16).

Itaque novus hic populus, quem Paulus Apostolus Israël Dei appellavit,[13] non tanquam effusa turba, sed ut confertum agmen procedit, quod portis inferi [14] et insidiis diaboli [15] victor adversans, ad finem usque saeculi, in unitate fidei, in sacramentorum communione et in apostolicitate gubernii, unum singulareque iugiter perdurabit.

---

* Capita I-VI discussa sunt a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quinta et sexta congregatione sessionis sextae, diebus 8-9 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 986-1115.

3. [*Israël Dei nomina atque figurae*]. Porro sicut Moyses, eum qui in deserto peregrinabatur, Israël secundum carnem [16] Dei Ecclesiam nuncupavit,[17] ita et Christus Israël Dei, qui in praesenti saeculo incedens, futuram eamque manentem civitatem inquirit,[18] Ecclesiam edixit eandemque suam esse praenuntiavit,[19] non modo quod eam suo sanguine acquisivit,[20] verum etiam quod rebus omnibus ad finem proxime admoventibus instructam, super Petrum [21] eiusque successores aedificavit in quibus idem Petrus perpetua sua esset auctoritate superstes.

Quo autem clarius definitiusque Ecclesiae suae indolem naturamque hominibus patefaceret, eam sive ipse per se, sive per Apostolos diversis figuris repraesentavit hominibusque appellavit, quibus socialis et mysticus ipsius aspectus potissime describerentur: itaque quae regnum,[22] domus,[23] templum [24] Dei praedicatur, eadem grex seu ovile,[25] sponsa [26] Christi, columna et firmamentum veritatis [27] edicitur.

4. [*Figura corporis eiusque causa*]. Ex omnibus tamen figuris principem locum figura corporis tenet, qua instinctu paene Christi [28] Paulus usus est: « Et ipse est caput corporis Ecclesiae » (*Col.* 1, 18); « quae est corpus ipsius et plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur » (*Eph.* 1, 23); etenim quotquot in Ecclesiam baptismate ingressi [29] et Christum induti sunt [30] cum de uno pane Eucharistico participent, in unitate unius Corporis consummantur: [31] « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim ex uno pane participamus » (*I Cor.* 10, 17 gr.).

5. [*Enucleatio figurae corporis*]. Ecclesia ergo, eo ipso quod corpus est, oculis cernitur, quod quidem ceterae quoque figurae eiusdem insinuant; ipsa porro est multorum membrorum, haud sane aequalium, compages,[32] cum alia aliis subdantur, cumque et clerici et laici, praepositi et subditi, magistri et discipuli, insuper diversique status in ipsa consistant, quibus Christus Caput et loco et perfectione et virtute omnibus praestat.

In hac corporis compage membrorum praeter connexionem e vinculis iuridicis alia quoque connexio inest quae eorundem augmento,[33] actibus,[34] passione [35] completur, immo vero naturae ac vitae conformitas quam Dominus illustravit quando et se viti et nos palmitibus comparavit dicens: « Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere » (*Io.* 15, 5).

Sicut autem Christus Caput est Corporis, ita et Spiritus Sanctus, in Capite et in membris inhabitans [36] eius est velut Anima; qui unus cum sit, totum Corpus in unitate tenet [37] et membris omnibus, secundum mensuram donationis Christi [38] gratiam et dona administrat et charismata confert.[39] Quam ob rem Ecclesia una persona, mystica sane, in Christo Iesu esse dicitur: « Omnes enim vos unus estis in Christo Iesu » (*Gal.* 3, 28 gr.).

In eo tamen non omnia membra sanctitate virescunt quia aegrota in ipso membra consistunt quae nempe gratia et charitate privata, saltem virtute fidei cum Christo Capite iunguntur.[40] Horum tamen peccata Ecclesiam quidem offendunt; sed eiusdem sanctitatem essentialem non laedunt; Ecclesia

enim sancta est potissimum quia, ut Sponsa Christi, in sanctitate constituta cum sit,[41] sua membra ad sanctitatem gignit; quae porro non modo peccata membrorum suorum reprimit, sed et ipsa membra quae aegrota sunt suo ministerio in pristinam et aliquando uberiorem reddit sanctitatem. Ecclesia quippe pia Mater est, utpote quae non modo verbi praedicatione sua membra concipiat, baptismate pariat, sed et salutaris veritatis sacramentorumque pabulo enutriat.

6. [*Ecclesia societas est mysticum Christi Corpus*]. Cum autem S. Spiritus charismata non modo prodigialia verum etiam quae nihil continent prodigialis membris quibusdam distribuat, ut qui iisdem donati sunt, tanquam Dei adiutores [42] una secum in aedificationem corporis Christi operentur,[43] falso Ecclesia hierarchica seu iuris ab Ecclesia charismatica vel amoris, quas vocant, re differre dicuntur. Quam ob rem Ecclesia societas et Mysticum Christi Corpus haud binae res sunt, sed una quae humano et divino se praefert aspectu; quae ergo ob analogiam non parvam Incarnati Verbi mysterio assimilatur.[44]

Etenim sicut in Verbo Incarnato natura humana ut vivum instrumentum divinae eiusdem naturae, pro nostra et totius mundi salute inserviit et in coelis inservire perseverat, ita Ecclesiae societas praeconis, sacerdotis, regis charismatibus exornatur, ut Spiritui Christi in aedificatione Corporis Christi serviat; haec enim charismata, non aliter atque cetera quae a S. Spiritu tribuuntur, tanquam veritatis et charitatis servitium ministeriumque exercenda sunt, ut parta per Christum salus simulque beneficia omnia quae inde proficiscuntur, in omnes homines atque ad omnes aetates propagentur.[45]

7. [*Ecclesia Romana est Mysticum Christi Corpus*]. Docet igitur Sacra Synodus et solemniter profitetur non esse nisi unicam veram Iesu Christi Ecclesiam, eam nempe quam in Symbolo unam, sanctam, catholicam et apostolicam celebramus,[46] quam Salvator sibi in Cruce acquisivit [47] sibique tamquam corpus capiti et sponsam sponso coniunxit, quamque redivivus S. Petro et Successoribus tradidit gubernandam,[48] quae sola iure Catholica Romana nuncupatur Ecclesia.[49]

NOTAE

[1] Cf. *Col.* 1, 13.
[2] Cf. *Gal.* 4, 4.
[3] Cf. *Hebr.* 9, 14.
[4] Cf. *Tit.* 2, 14.
[5] Cf. *I Pt.* 2, 9 et *Gal.* 6, 16.
[6] Cf. *Gal.* 4, 4.
[7] Cf. *Io.* 1, 14.
[8] Cf. *Phil.* 2, 8.
[9] Cf. *Mt.* 23, 8-10; *Io.* 13, 13-14.
[10] Cf. *Hebr.* 4, 14; 5, 10; 9, 11-14.
[11] Cf. *Lc.* 23, 3; *Io.* 18, 37.
[12] Cf. *I Pt.* 2, 10.
[13] Cf. *Gal.* 6, 16.

[14] Cf. *Mt.* 16, 18.
[15] Cf. *Eph.* 6, 11.
[16] Cf. *I Cor.* 10, 18.
[17] Cf. *Num.* 20, 4; *Deut.* 23, 2.
[18] Cf. *Hebr.* 13, 14.
[19] Cf. *Mt.* 16, 18.
[20] Cf. *Act.* 20, 28.
[21] Cf. *Mt.* 16, 18.
[22] Cf. *Mt.* 16, 19; cf. LEO XIII, *Satis cognitum,* 29 iun. 1896, *A.A.S.,* 28 (1895-96), p. 724.
[23] Cf. *I Tim.* 3, 15; *Mt.* 16, 18; cf. LEO XIII, ibid.
[24] Cf. *I Cor.* 3, 16; *II Cor.* 6, 16; *Eph.* 2, 21.
[25] Cf. *Io.* 10, 16; 21, 15-17; *I Pt.* 5, 2-3; *Lc.* 12, 32; *Mt.* 26, 31; cf. LEO XIII, ibid.
[26] Cf. *Apoc.* 21, 9; 22, 17; *Eph.* 5, 22-32. Praedicatio Christi descripta ut sponsalia: *Mt.* 9, 15; *Mc.* 2, 19; *Lc.* 5, 34; *Io.* 3, 29.
[27] Cf. *I Tim.* 3, 15.
[28] Cf. *Act.* 9, 4; 22, 7; 26, 14.
[29] Cf. *Io.* 3, 5.
[30] Cf. *Gal.* 3, 27.
[31] Cf. *Io.* 17, 23.
[32] Cf. *Rom.* 12, 4-8; *I Cor.* 12, 1-31; *Eph.* 4, 11-16; LEO XIII, *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890, *A.S.S.,* 22 (1889-90), p. 392; ID., *Satis cognitum,* 29 iun. 1896, *A.S.S.,* 28 (1895-96), pp. 710 et 724 s.; PIUS XII, *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943, *A.A.S.,* 35 (1943), pp. 199-200.
[33] Cf. *Eph.* 4, 11-14.
[34] Cf. *I Cor.* 12, 18-30.
[35] Cf. *I Cor.* 12, 26 coll. *Col.* 1, 24; *II Tim.* 2, 10.
[36] Cf. *Rom.* 8, 11.
[37] LEO XIII, *Divinum illud,* 9 maii 1897, *A.S.S.,* 29 (1896-97), p. 650; PIUS XII, *Mystici Corporis, A.A.S.,* 35 (1943), pp. 219-220: DENZ. 2288; S. THOM., *in Col.,* cap. 1, lect. 5: « Sicut constituitur unum corpus ex unitate animae, ita ecclesia ex unitate spiritus ».
[38] Cf. *Eph.* 4, 7.
[39] Cf. *I Cor.* 12, 4-11, coll. *I Cor.* 12, 28 et *Eph.* 4, 11-12.
[40] Cf. Conc. Trid., *Decr. de iustif.,* cap. 15: DENZ. 808, et can. 28: DENZ. 838; PIUS V, *Errores Baii,* prop. 63-64: DENZ. 1063-1064; IO. CHRYSOSTOMUS, in *ep. ad Eph.,* cap. 6, hom. 22, 4: *PG* 62, 161: « nam multi sunt uniti Christo, ipsum autem non diligentes »; AUGUSTINUS, *Serm.* 349, 2: *PL* 39, 1530 docet etiam in Corpore Christi meretricis amorem perducere ad gehennam; ID., *De abstinentia,* cap. 11: *PL* 40, 366 comparat Ecclesiam carni concupiscenti contra spiritum, quatenus nondum pacem ex infirmitate languoris in membris habet: « Deinde, cur non confiteamur in hominibus spiritualibus Ecclesiam subditam Christo, in carnalibus autem adhuc concupiscere adversus Christum... Has enim carnis concupiscentias Christus in suis sanat, sed in nullis amat. Unde sancta Ecclesia quamdiu habet etiam membra talia, nondum est sine macula et ruga ».
[41] Cf. *Eph.* 5, 26-27.
[42] Cf *I Cor.* 3, 9.

[43] Cf. *Eph.* 4, 11-16.
[44] Cf. LEO XIII, *Satis cognitum, A.A.S.*, 28 (1895-96), p. 712.
[45] PIUS IX, *La Chiesa di Dio,* 2 marzo 1871, *A.S.S.*, Vol. VI (1870), p. 267; LEO XIII, *Satis cognitum, A.S.S.*, 28 (1895-96), p. 710; S. THOM., in *Eph.*, cap. 4, lect. 4; *Quodlib.* VII, q. 6, a. 2, ad 5.
[46] Cf. *Symbolum Apostolicum*: DENZ. 6-9; *Symbolum Nic.-Const.*: DENZ. 86, coll. *Prof. Fidei Trid.*: DENZ. 994 et 999.
[47] Cf. *I Pt.* 2, 9; *Act.* 20, 28; *Eph.* 2, 15-16; Hymn. Vesp. in festo SS. Cordis.
[48] De identitate Ecclesiae Catholicae et Corporis Mystici cf. PIUS XII, *Mystici Corporis, A.A.S.*, 35 (1943), p. 221 ss.; ID., *Humani generis,* 12 aug. 1950, *A.A.S.*, 42 (1950), p. 571: DENZ. 2319. Sequitur Pius XII vestigia multorum praedecessorum.
[49] Ecclesia est Catholica Romana: cf. *Prof. Fidei Trid.*: DENZ. 999, et Conc. Vat. I, *Const. de Fide catholica*: DENZ. 1782. Data opera in Vat. I dictum est « catholica apostolica Romana » et non Romano-catholica, quia ultimus dicendi modus sapit doctrinam trium ramorum.

CAPUT 2

DE MEMBRIS ECCLESIAE MILITANTIS EIUSDEMQUE NECESSITATE AD SALUTEM

1. [*Necessitas Ecclesiae ad salutem*]. Docet S. Synodus, sicut semper docuit sancta Dei Ecclesia, Ecclesiam esse necessariam ad salutem,[1] neminemque salvari posse, qui sciens Ecclesiam Catholicam a Deo per Iesum Christum esse conditam, tamen eam renuat intrare, vel in eadem perseverare.[2] Sicut autem nemo salvari potest, nisi sive re recipiat Baptismum, quo quis non ponens obicem incorporationis,[3] fit membrum Ecclesiae, sive Baptismi voto,[4] sic nemo salutem obtinere valet, nisi membrum Ecclesiae reapse exsistat, vel voto ad eandem ordinetur. Ut autem salutem quis acquirat, non sufficit, ut sit reapse membrum Ecclesiae vel voto ad eam ordinatus, sed insuper requiritur ut moriatur in statu gratiae, fide et spe et caritate cum Deo coniunctus.[5]

2. [*Quinam membra*]. Etsi plures relationes reales exsistunt in ordine iuridico [6]et sacramentali, immo exsistere queunt in ordine mystico.[7] quibus omnis omnino baptizatus cum Ecclesia connectatur, tamen ii soli reapse membra Ecclesiae dicendi sunt, qui in compage visibili eiusdem [8] cum Capite eius, Christo videlicet eam regente per Vicarium suum,[9] iunguntur: ii igitur qui regenerationis lavacro abluti, veram fidem profitentur catholicam, Ecclesiae auctoritatem agnoscunt,[10] nec ob gravissima delicta a Corporis Mystici compage ex toto seiuncti sunt.[11] Voto autem ad Ecclesiam ordinantur non catechumeni dumtaxat,[12] qui conscio et explicito desiderio ad Ecclesiam aspirant, sed ii quoque, qui etsi ignorantes Ecclesiam catholicam esse veram et unicam Christi Ecclesiam, tamen implicito et inscio desiderio simile praestant,[13] sive quod sincera voluntate id volunt quod vult ipse

Christus, sive quod etsi ignorantes Christum, sincere adimplere desiderant voluntatem Dei ac Creatoris sui.

3. [*Unio cum acatholicis*]. Cum omnibus autem, qui veram fidem vel unitatem communionis sub Romano Pontifice non profitentur, voto tamen eo ordinantur, pia Mater Ecclesia semetipsam scit plures ob rationes coniunctam, maxime si baptizati christiano nomine gloriantur, et, quamquam carent fide catholica,[14] tamen amanter in Christum credunt Deum et Salvatorem, atque fide et devotione erga Sanctissimam Eucharistiam et amore erga Deiparam eminent.[15] Nam fidei illi communi in Christum accedit eiusdem consecrationis baptismalis participatio; orationum, expiationum et beneficiorum spiritualium communio; [16] immo aliqua in Spiritu Sancto coniunctio, quippe qui non solum donis et gratiis in ipso mystico Corpore operatur, sed sua virtute etiam extra venerandum illud Corpus agit, ut fratres separati, modo a Christo stabilito, eidem incorporentur.[17] Ut autem illa Spiritus Christi ad Corporis Mystici augmentum operatio uberiorem consequatur effectum, Ecclesia precari numquam desinit, ut fratres separati internis divinae gratiae impulsibus ultro libenterque consedentes, ab eo statu se eripere studeant, in quo ad salutem sempiternam obtinendam tot tantisque caelestibus muneribus adiumentisque carent, quibus illis solummodo frui licet, qui reapse sunt membra Ecclesiae.[18] Memores igitur sint omnes Ecclesiae filii conditionis suae eximiae, non propriis meritis, sed gratiae peculiari Christi adscribendae, cui si cogitatione, verbo et opere non correspondent, nedum salventur, severius iudicabuntur.[19]

NOTAE

[1] Doctrinam Patrum: IGNATII ANTIOCH., ORIGENIS, CYPRIANI, HIERONYMI, AUGUSTINI, FULGENTII vide apud TROMP, *De Spiritu Christi Anima,* pp. 210-213. Quoad doctrinam Ecclesiae, cf.: *Symbolum Athanasianum*: DENZ. 40; PELAG. II, *Dilectionis vestrae,* ann. 585: DENZ. 247; INNOC. III, *Prof. fidei Wald.*: DENZ. 423; BONIF. VIII, *Unam Sanctam,* 18 nov. 1302: DENZ. 468; CLEM. VI, *Super quibusdam*: DENZ. 570 *b; Conc. Florent.,* Decr. *Pro Iacobitis*: DENZ. 714; *Conc. Trident., Professio fidei*: DENZ. 1000; BENED. XIV, *Professio fidei Maronitarum*: DENZ. 1473; GREGOR. XVI, *Mirari vos,* 15 aug. 1832: DENZ. 1613; PIUS IX, *Quanto conficiamur moerore,* 10 aug. 1863: DENZ. 1677; *Syllabus,* n. 16-17: DENZ. 1716-1717; PIUS XII, *Mystici Corporis,* n. 101; *Humani generis*: DENZ. 2319; *Epist. S. Off. ad Archiep. Boston.,* 8 aug. 1949 [invenitur in tertia editione Encycl. *Mystici Corporis,* cura P. TROMP, in Appendice].

[2] *Epist. S. Off. ad Archiep. Boston.,* 8 aug. 1949.

[3] Obex poni potest tum ratione gratiae, tum ratione effectus iuridici, cf. *C.I.C.,* can. 87. Obex gratiae v. g. habetur si adultus baptizandus non vult abstinere a peccato mortali; obex admembrationis, si adultus baptizandus caret fide. In documentis ecclesiasticis limitatio « nisi ponatur obex » saepius supponitur. Cf. *Professio fidei Trid.*: DENZ. 996, ubi dicitur « sacramenta gratiam conferre » sine ulla restrictione, in oppositione ad Can. de Sacr. in genere: DENZ. 849. Generatim quoque

definitur Sacramentum: « signum sensibile, a Christo institutum, conferens gratiam, quam significat », et nemo exigit, ut addatur « non ponentibus obicem ».

[4] *Conc. Trident.,* Sess. VI, Decr. *de iustificatione*: DENZ. 796, coll. cap. 14: de lapsis: DENZ. 807.

[5] *Epist. S. Off. ad Archiep. Boston.*: Neque enim putandum est quodcumque votum Ecclesiae ingrediendae sufficere ut homo salvetur. Requiritur enim ut votum, quo quis ad Ecclesiam ordinetur perfecta caritate informetur, nec votum implicitum effectum habere potest, nisi homo fidem habeat supernaturalem (*Hebr.* 11, 6; *Conc. Trid.*: DENZ. 801) ».

[6] Omnis baptizatus vi baptismi est subiectus legibus Ecclesiae. Cf. BENEDICTUS XIV, *Singulari nobis,* 9 febr. 1749, § 14; LEO XIII, *Annum sacrum,* 25 maii 1899: *A.S.S.,* 31 (1898-1899), p. 647; PIUS XI, *Quas primas,* 11 dec. 1925: *A.A.S.,* 17 (1925), p. 601: DENZ. 2196; *C.I.C.,* can. 12.

[7] Cf. numerum tertium de unione in Spiritu Sancto.

[8] PIUS XII, *Mystici Corporis*: *A.A.S.,* 35 (1943), pp. 199-200; 223-224.

[9] BONIFATIUS VIII, *Unam Sanctam,* 18 nov. 1302: DENZ. 468; PIUS XII, *Mystici Corporis*: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 211.

[10] Mutata sunt verba *Mystici Corporis* (p. 202), quia inter baptizatos, qui auctoritatem Ecclesiae non agnoscunt, perplures sunt qui numquam sese personaliter ab Ecclesia separaverunt, ut v. g. omnes Baptistae, qui dum baptizantur ponunt obicem admembrationi.

[11] Cf. 1) CLEMENS VIII, *Magnus Dominus,* 23 dec. 1595: « § 1. Nuper vero venerabilis frater Michael, Archiepiscopus et Metropolita Kiovensis... et cum eo plerique eius Comprovinciales Episcopi... *divina Spiritus Sancti luce eorum corda collustrante,* coeperunt ipsi secum cogitare, et inter se multa consultatione, et prudentia adhibita conferre, et serio tractare, *se et greges quos pascerent, non esse membra Corporis Christi,* quod est Ecclesia, qui visibili ipsius Ecclesiae capiti, Summo Romano Pontifici non cohaererent... Quamobrem... decreverunt redire ad suam, et omnium fidelium Matrem, Romanam Ecclesiam »;

2) BENEDICTUS XIV, *Singulari Nobis,* 9 febr. 1749, nn. 13 et 14: « Compertum est, eum qui baptisma ab haeretico *rite* suscepit, illius vi Ecclesiae Catholicae membrum effici... Exploratum habemus, ab haereticis baptizatos, si ad eam aetatem venerint, in qua bona a malis dispicere per se possint, atque erroribus baptizantis adhaereant, illos quidem ab Ecclesiae unitate repelli, iisque bonis orbari omnibus, quibus fruuntur in Ecclesia versantes; non tamen ab eius auctoritate et legibus liberari »;

3) PIUS IX, *In suprema,* 6 ian. 1852, *Acta,* P. I, Vol. I, 89 s.: « Nec enim fieri unquam poterit, ut in Unius Sanctae Catholicae et Apostolicae communione sint, qui divulsi esse voluerint a soliditate petrae, super quam Ecclesia ipsa divinitus aedificata est... Itaque non aliud Vobis imponimus oneris, quam haec necessaria; nimirum ut ad unitatem reversi consentiatis Nobiscum in professione verae Fidei, quam Ecclesia Catholica tenet et docet, et cum Ecclesia ipsa, supremaque hac Petri Sedi communionem servetis ».

4) PIUS XII, *Mystici Corporis,* nn. 21 et 101.

5) *Epist. S. Off. ad Archiep. Boston.*

6) Vide etiam PII V, *Regnans in Excelsis,* 25 febr. 1570: « § 3. ... Elisabeth haereticam... eique adhaerentes in praedictis, anathematis sententiam incurrisse, esseque a Christi Corporis unitate praecisos », et perplura alia similia.

7) Ut cognoscatur mens IOANNIS XXIII, feliciter regnantis, cf. Alloc. *In sollemnis,* 14 nov. 1960: *A.A.S.,* 52 (1960), p. 1009: « [Fratres], qui a Nobis sunt disiuncti, quique extra saepta Ecclesiae catholicae sunt... ut... in eam unitatem coire aliquando possint, [de qua *Io.* 17, 19-21] »; et: *Orat. ad Spir. S.,* 24 nov. 1960: « Te preghiamo ancora per le pecorelle, che non sono *più* dell'unico ovile di Gesù Cristo, affinchè anch'esse, che pur si gloriano del nome cristiano, possano finalmente ritrovare l'unità sotto un solo Pastore ». Quid ad mentem S. Pontificis sibi velint verba « si gloriano del nome cristiano », clare apparet ex *Allocutione ad fideles Irlandiae*: *L'Oss. Rom.,* 18 mart. 1961: « Siate Romani come siete cristiani. L'appartenenza alla Chiesa di Roma è il distintivo per ogni *vero* cristiano »;

Epist. *Quotiescumque Nobis,* ad Card. Tien-Chen-Sin, 29 iun. 1961: *L'Oss. Rom.,* 29 iun. 1961: « ... Atque in primis vos, Venerabiles Fratres, hortamur, ut has gravissimas ac salutares veritates in memoriam ovium vigilantiae vestrae creditarum redigere ne omittatis. Scilicet debitum Omnipotenti Deo exhibere cultum cum eoque coniungi neminem posse, nisi per Iesum Christum; non posse vero coniungi cum Christo, nisi in Ecclesia et per Ecclesiam, quae est mysticum eius corpus; non posse denique ad Ecclesiam pertinere, nisi per Episcopos, Apostolorum successores, cum Supremo Pastore coniunctos, qui successor est Petri »;

Encycl. *Aeterna Dei sapientia,* 11 nov. 1961: *A.A.S.,* 53 (1961), p. 794: « At illud perspectum habeatur necesse est, non esse christifidelium cum divino Redemptore omnium Capite perfectam illam unionem, qua videlicet iidem cum Ipso unum vivens et adspectabile corpus efficiunt, nisi pariter iisdem animi virtutibus, religiosorumque communicatione rituum et Sacramentorum alii cum aliis cohaereant, pariter omnes eandem fidem servent ac profiteantur ».

[12] De catechumenis, cf.: S. AMBROSIUS, *De obitu Valentini* 51: *PL* 16, 1374; S. AUGUSTINUS, *De Bapt.* IV, 21, 28: *PL* 43, 172; INNOCENTIUS II, *Epist. ad Episc. Cremon.*: *PL* 179, 624 s., coll. DENZ. 388; INNOCENTIUS III: *PL* 215, 986 s., coll. DENZ. 413; immo etiam Suaresium seniorem: *Def. fid. cath.* I, cap. 24, n. 2.

[13] *Mystici Corporis,* n. 101; *Epist. S. Off. ad Archiep. Boston.*

[14] Distinguendum est inter fidem divinam simpliciter, et fidem divinam catholicam, cf. DENZ. 1792. Baptismus non facit membrum, nisi accedat fides catholica. Quando in *Conc. Trid.* Decr. *de iustificatione,* cap. 7: DENZ. 800, agitur de fide qua quis vivum membrum Corporis efficitur, si accedit gratia, quaestio est de illa fide quam catechumeni ab Ecclesia petunt, i. e. de fide *catholica,* formata caritate.

[15] Agitur imprimis de « orthodoxis » qui dicuntur, non tamen de iis solis.

[16] Non adhibetur vox « Communio Sanctorum », quia in traditione diverse intelligitur.

[17] Notes distinctionem S. AUGUSTINI: « Ducere *in via* et *ad viam*; ducere *in Christo* et *ad Christum* ». Cf. *In Ps. 85,* 15: *PL* 37, 1092; CLEMENS VIII, *Magnus Dominus,* 23 dec. 1595: « § 1. ... Divina Spiritus Sancti luce eorum corda collustrante, coeperunt ipsi secum cogitare... se et greges quos pascerent non esse membra Corporis Christi, quod est Ecclesia ».

[18] *Mystici Corporis,* n. 101. Vide etiam CLEM. VIII, *l. c.*; PIUS IX, *Syllabus* n. 17: DENZ. 1717; *Epist. S. Off. ad Archiep. Boston.,* 8 aug. 1949.

[19] *Mt.* 5, 19-20; 7, 21-22; 25, 41-46; *Iac.* 2, 14.

Caput 3

DE EPISCOPATU UT SUPREMO GRADU SACRAMENTI ORDINIS ET DE SACERDOTIO

1. [*Episcopatus ut Sacramentum*]. Apostolus et Pontifex confessionis nostrae, Iesus (cf. *Hebr.* 3, 1), Pastor et Episcopus animarum nostrarum (*I Pt.* 2, 25), potestatem authentice docendi et gubernandi in Ecclesia ita instituit ut arcto vinculo coniungeretur potestati sanctificandi in Sacramento Ordinis collatae.[1] Episcopatus ergo, procul dubio, ad Sacramentum Ordinis pertinet, atque est praecellenti gradu sacerdotium, quod nimirum et voce sanctorum Patrum et rituali Ecclesiae consuetudine summum sacerdotium, sacri ministerii summa nuncupatur.[2] Immo, quia ex Traditione, quae praesertim liturgicis ritibus [3] ac Ecclesiae tum Orientis tum Occidentis usu innotescit,[4] perspicuum est manuum impositione et verbis consecrationis episcopalis gratiam Spiritus Sancti conferri, dubitare nemo debet episcopatum esse vere et proprie gradum supremum Sacramenti Ordinis.[5] Praeterea Episcopus ordinatus ita charactere sacramentali ornatur, ut numquam simplex sacerdos vel laicus rursus fieri, nec unquam potestatem valide conferendi sacramentum confirmationis et ministros Ecclesiae ordinandi amittere possit. Proinde Sancta Synodus declarat Episcopos, etiam vi Sacramenti suscepti, presbyteris superiores esse.

2. [*De Presbyteris*]. Presbyteri, qui ab Episcopis ad eorum societatis et operis adiumentum ordinantur, et in quos veluti paternae plenitudinis abundantia transfunditur,[6] licet Pontificatus apicem non habeant, tamen sacramento recepto veri sunt sacerdotes.[7] In sacrificio Missae offerendo et sacramentis administrandis et ipsi in persona Christi agunt. Nullam tamen obtinent iurisdictionem vel curam animarum nisi ex collatione Romani Pontificis vel Episcopi competentis a quo ut cooperatores assumuntur, et cuius in pascendo grege vices agunt.

NOTAE

[1] Cf. Leo XIII, *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895-1896), p. 723; Pius XII, *Allocutio iis qui interfuerunt Conventui alteri catholicorum ex universo orbe, pro Laicorum Apostolatu,* 5 oct. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 924.

[2] Leo XIII, *Apostolicae curae,* 13 sept. 1896: *A.S.S.,* 29 (1896-1897), p. 200.

[3] In omnibus documentis liturgicis, iam a primis saeculis Ecclesiae, consecratio episcopalis describitur ita ut clare appareat eius sacramentalitas; per eam enim confertur aliqua gratia Spiritus Sancti.

[4] Certum est saepe datam esse consecrationem episcopalem subiecto qui nondum erat sacerdos: cf. Gregor. Naz., *Orat.* 18, 33: *PG* 35, 1027-1030; Ioannes Chrysost., *De Beato Philogonio, Hom.* 6, 2: *PG* 48, 751; Augustinus, *Epist. 209*: *PL* 33, 953 s.; *Liber Pontificalis,* ed. Duchesne, I, 209; *Ordines Romani*

(cf. M. ANDRIEU, *Les Ordines Romani du Haut Moyen-Age,* III, Louvain, 1951, p. 572 s.; p. 608 et 610).

[5] Hoc etiam apparet ex modo loquendi Romanorum Pontificum: v. g. LEO XIII, Epist. *Apostolicae curae,* 13 sept. 1896: *A.S.S.,* 29 (1896-1897), pp. 199-200; PIUS XII, Constit. Apost. *Sacramentum Ordinis,* 30 nov. 1947: *A.A.S.,* 40 (1948), pp. 5-7; IOANNES XXIII, *Allocutio,* 8 maii 1960: *A.A.S.,* 52 (1960), p. 466: consecratio episcopalis transmittit et characterem episcopalem et gratiam.

[6] *Pontificale Romanum,* De Ordinatione Presbyteri. Imago desumitur ex Aaron et filiis eius, quae imago invenitur etiam in multis textibus liturgicis et in Patribus. Item verba *in adiumentum* habentur in *Pontificali Romano,* De Ordinatione Presbyteri: imago sumitur ex Septuaginta viris qui in adiutorium Moysis assumpti sunt, et invenitur in omnibus documentis liturgicis, iam a Traditione Apostolica Hippolyti Romani.

[7] INNOCENTIUS I, *Epist. ad Decentium*: *PL* 20, 554 s., cfr. MANSI 3, 1029: DENZ. 98.

CAPUT 4

DE EPISCOPIS RESIDENTIALIBUS

1. [*Episcoporum munus et dignitas*]. Quos ipse Christus, qui « non venit ministrari, sed ministrare » (*Mt.* 20, 28), voluit usque ad finem temporum successores Apostolorum [1] in munere doctorum et pastorum ad aedificationem et in ministerium Ecclesiae suae, eosdem Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei (cf. *Act.* 20, 28),[2] qui Episcopi singuli tamquam vicarii et legati Christi [3] singulas sibi commissas Ecclesias propria, ordinaria et immediata potestate episcopali sub auctoritate Romani Pontificis [4] regunt ut fidelium patres et pastores gregum suorum,[5] memores semper moniti principis Apostolorum: « Pascite qui in vobis est gregem Dei providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam » (*I Pt.* 5, 2-4). Episcopi non solum dirigere possunt et debent per consilia, suasiones, exempla, sed etiam veram et proprie dictam potestatem habent, quae non tantum est fori interni et sacramentalis, sed etiam externi et publici; habent enim potestatem iubendi per leges conscientiam obligantes, et quidem non in iis dumtaxat quae ad doctrinam et mores, ad cultum et sanctificationem spectant, sed in iis quoque quae ad disciplinam et administrationem ecclesiasticam externam pertinent; demum devios contumacesque exteriori iudicio ac salubribus poenis in bonum publicum et animarum, immo in bonum ipsius praevaricatoris, coercere, cogere atque punire possunt, necnon aliquando debent.[6] Omnis itaque Episcopus ex hominibus assumptus et circumdatus infirmitate condolere debet iis qui ignorant et errant (cf. *Hebr.* 5, 1-2), et resuscitans semper gratiam quae in se est per impositionem manuum (cf. *II Tim.* 1, 6), impleat oportet varia

sui muneris officia ut imago viva Boni Pastoris qui animam suam posuit pro ovibus suis (cf. *Io.* 10, 11), pro animabus rationem redditurus Deo (cf. *Hebr.* 13, 17), curam etiam habens oratione, praedicatione et caritate eorum qui ex suo ovili nondum sunt.

2. [*Primatus et Episcopi*]. Episcopi iurisdictionem suam actualem non ipsa ordinatione sacra, sed, directe vel indirecte,[7] missione iuridica, et quidem non ab Ecclesia, ut est congregatio fidelium, vel a fidelibus, etiam quam plurimis congregatis, neque a potestate civili, sed a regimine Ecclesiae, et quidem ab ipso successore Petri accipiunt, a quo ergo in officium assumuntur, et etiam deponi, transferri, restitui possunt.[8] Subsunt insuper ita supremae potestati Romani Pontificis, ut ipse actualem eorum iurisdictionem ordinariam ampliare vel restringere possit, etiam subditorum exemptione:[9] habet enim Romanus Pontifex super omnes alias ordinarias potestates principatum, et potestatem iurisdictionis immediatam et episcopalem in omnes et singulos pastores atque fideles.[10] Absit tamen ut per hoc iura Episcoporum minuantur, cum e contra a supremo et universali pastore asserantur, roborentur ac vindicentur, secundum illud sancti Gregorii Magni: « Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur ».[11]

3. [*Relatio Episcoporum ad totam Ecclesiam*]. Quia Episcopi singuli centrum et fundamentum et principium unitatis sunt in suis Ecclesiis particularibus, prout in illis et ex illis, ad imaginem Ecclesiae universalis formatis, una et unica Ecclesia Catholica exsistit, cuius centrum et fundamentum et principium unitatis est successor Petri, hac de causa singuli suam, omnes autem simul cum Papa totam Ecclesiam repraesentant « in vinculo pacis » (*Eph.* 4, 3) et amoris.[12] Episcopi quamvis singillatim sumpti vel etiam quam plurimi congregati potestatem in universam vel in aliam ac sibi commissam Ecclesiam non habent nisi ex collatione Romani Pontificis,[13] tamen pro universa Ecclesia ea sollicitudine tenentur, quae quidem potestas iurisdictionis non est, attamen summopere confert ad Ecclesiae universalis emolumentum:[14] debent enim promovere et tueri unitatem fidei et disciplinam toti Ecclesiae communem, fideles suos edocere ad amorem totius Mystici Corporis Christi, praesertim membrorum dolentium et eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam (cf. *Mt.* 5, 10), tandem promovere omnem actuositatem quae toti Ecclesiae communis est, praesertim ut fides incrementum capiat et lux plenae veritatis oriatur super eos qui in tenebris et in umbra mortis sedent (cf. *Lc.* 1, 79).

4. [*Corpus Episcopale*]. Corpus Episcopale seu Collegium Episcoporum quod Collegio Apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo Corpus Apostolicum continuo perseverat, una cum capite suo Romano Pontifice, et numquam sine hoc capite, unum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam creditur.[15] Potestas tamen huius Corporis nonnisi modo extraordinario [16] ex iussu solius Capitis et ad nutum

exclusivum eiusdem exercetur.[17] Omnes Episcopi residentiales in pace cum Sede Apostolica viventes suo iure membra huius Corporis Episcoporum sunt,[18] et nemo Episcoporum ad hoc Corpus pertinere potest, nisi directe vel indirecte a successore Petri, Capite Corporis, in Collegium assumptus sit.[19]

NOTAE

[1] *Conc. Trid.,* Sess. XXIII, *De sacramento Ordinis,* c. 4: *C.T.* IX, 621: DENZ. 960.

Conc. Vat. I, Sess. IV, Const. Dogm. I *De Ecclesia Christi,* c. 3: *Coll. Lac.,* VII, 484: DENZ. 1828.

LEO XIII, Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.A.S.,* 28 (1895-1896), p. 732: « Quo modo Petri auctoritatem in Romano Pontifice perpetuam permanere necesse est, sic Episcopi, quod succedunt Apostolis, horum potestatem ordinariam hereditate capiunt... ».

PIUS XII, Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 209: « Ac praeterea triplicem potestatem Apostolis eorumque successoribus impertiit... », et p. 212: « Quapropter ut Apostolorum ex divina institutione successores, a populo venerandi sunt... ».

C.I.C., can. 329, § 1.

Conc. Prov. Coloniense, 1860: MANSI 48, 106: « Itaque inde a suo primordio Ecclesia universa Episcopos " Apostolis vicaria ordinatione succedere " [S. CYPR., *Epist. 69,* opp. ed. BALUZ., p. 122], " habere successionem ab Apostolis, et cum Episcopatus successione charisma veritatis certum " [S. IREN., *Adv. haer.,* lib. IV, cap. 26, al. 43, opp. ed. MIGNE 1053 *c*], Dei loco praesidere [S. IGN., *Epist. ad Magn.,* n. 6: *PG* 5, 667 A] credidit ».

Conc. Prov. Quebecense III, 1863: MANSI 48, 411: « Episcopos enim esse principes Ecclesiae, Apostolorum successores, ipsiusmet Christi legatos, passim et aperte docent [Sancti Patres Doctoresque] ».

Conc. Prov. Colocense, 1863: MANSI 48, 519: « Episcopos Apostolorum successores esse legitimos non ambigit, qui eorum in Ecclesia seriem ab Ascensione Christi Spiritu Sancto duce continuam novit... Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt... ».

Conc. Plen. Baltimorense II, 1866: MANSI 48, 912: « Episcopi igitur, qui sunt successores Apostolorum... ».

[2] Textus, de quo exegetice disputari potest, sumitur quia in documentis Ecclesiae saepe saepius adhibetur, cf.:

Conc. Trident., Sess. XXIII, *De Sacramento Ordinis,* c. 4: *C.T.* IX, 621: DENZ. 960.

Conc. Vat. I, Sess. IV, Const. Dogm. I *de Ecclesia Christi,* c. 3: *Coll. Lac.* VII, 484: DENZ. 1828.

Conc. Prov. Coloniense, 1860: MANSI 48, 106.

Conc. Prov. Colocense, 1863: MANSI 48, 519.

Conc. Plen. Baltimorense II, 1866: MANSI 48, 912.

Conc. Prov. Ravennatense, 1855: MANSI 47, 201.

Conc. Prov. Viennense, 1858: MANSI 47, 782.

[3] *Conc. Prov. Coloniense,* 1860, cf. supra notam 1.

Conc. Prov. Quebecense III, 1863, cf. supra notam 1.

BENEDICTUS XIV, *Romana Ecclesia,* 5 oct. 1752, § 1: *SS^mi D^ni Nostri Benedicti Papae XIV Bullarium,* t. IV, Romae, 1758, 21: « ut Episcopus, qui Christi typum gerit, eiusque munere fungitur ».

PIUS XII, Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 211: « Christi nomine pascunt et regunt ».

LEO XIII, Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895-1896), p. 732: « non tamen vicarii Romanorum Pontificum putandi » (Ergo: in quantum potestas Episcoporum non est delegata a Papa, non vicarii Romani Pontificis nominari possunt Episcopi. Ergo haec potestas vicaria Christi esse debet).

ID., *Officio Sanctissimo,* 22 dec. 1887: *A.S.S.,* 20 (1887), p. 264.

IAC. LAINEZ, *Disputationes Tridentinae,* t. I, Oeniponte, 1886, pp. 232 s.: « ... argumentantur [adversarii] a titulis et praerogativis quas Patres Episcopis tribuunt. Vocant enim eos *Christi vicarios...* Dicuntur etiam *Christi legatione fungi...* Respondemus, hac praerogativas habere quidem Episcopos... *Licet enim Christi vicarii dicantur et sint,* non tamen sunt *vicarii generales* super totam Ecclesiam, sed in suis tantum dioecesibus. Et ideo a generali vicario creati sunt, qui solum a Christo potest praefici... ».

[4] *Conc. Vat. I,* Sess. IV, Const. Dogm. I *de Ecclesia Christi,* c. 3: *Coll. Lac.* VII, 484: DENZ. 1828.

LEO XIII, Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895-1896), p. 732 ss.

PIUS XII, Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 211 s.

C.I.C., can. 329, § 1; can. 334, § 1;

Schema Constitutionis Dogmaticae secundae de Ecclesia Christi. secundum reverendissimorum Patrum animadversiones reformatum, c. 4: MANSI 53, 310: « ... atque ecclesias sibi commissas propria et ordinaria potestate regere. Itaque et singuli in sua quisque ecclesia et congregati in Synodis de doctrina et disciplina decernunt, leges ferunt, iudicium exercent... Romano Pontifici ceteri praesules subiecti sunt, tum singuli in propriis ecclesiis administrandis, tum universi in communibus Ecclesiae negotiis gerendis ».

Conc. Prov. Colocense, 1863: MANSI 48, 519: « ... gregem dominicum infra fines suarum dioecesium veluti legitimi ac proprii pastores pascunt, immediatam habentes in clerum et in populum auctoritatem ».

[5] « *Patres* »: *Conc. Prov. Remense,* 1857: MANSI 47, 562; *Conc. Prov. Coloniense,* 1860: MANSI 48, 107; *Conc. Prov. Colocense,* 1863: MANSI 48, 520; *Conc. Prov. Ultraiectense,* 1865: MANSI 48, 675 (dicitur « fidelium patres », quibus verbis indicatur in Ecclesia esse potestatem patrisfamilialem, et potestatem iuridicam moderari spiritu pietatis, qui inter fideles et Episcopos intercedere debet.

« *Pastores* »: *Conc. Vat. I,* Sess. IV, Const. Dogm. I *de Ecclesia Christi,* c. 3: *Coll. Lac.* VII, 484: DENZ. 1828; PIUS XII, Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 211; *C.I.C.,* can. 334, § 1.

[6] BENEDICTUS XIV, *Ad assiduas,* 4 mart. 1755: *SS^mi D^ni Nostri Benedicti Papae XIV Bullarium,* t. IV, Romae, 1758, 163: « § 1. Eo enim tendere, ac collimare videssetis execrandi foetus auctorem, ut collatam a Christo Domino et Salvatore nostro Ecclesiae suae potestatem, *non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios, contumacesque exteriore iudicio, et salubribus*

poenis, coercendi, atque cogendi, labefactet, convellat, et prorsus eliminet; Ecclesiasticum ministerium ita saeculari dominationi subiiciens, ut ad hanc spectare pronunciet, de externa omni ac sensibili gubernatione cognoscere ac iudicare. Pravum ac perniciosum systema, iampridem ab Apostolica Sede, praesertim a Ioanne XXII, Praedecessore nostro, Constitutione incipiente *Licet iuxta doctrinam* reprobatum, *ac pro haeretico expresse damnatum...* ».

Pius VI, *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794, prop. 4-5: Mansi 38, 1265: Denz. 1504-1505; *C.I.C.,* can. 335, § 1; *Primum Schema Constitutionis de Ecclesia Christi,* c. 10: Mansi 51, 543: « Cum vero Ecclesiae potestas alia sit et dicatur ordinis, alia iurisdictionis: de hac altera speciatim docemus, eam non solum esse fori interni et sacramentalis; sed etiam fori externi ac publici, absolutam atque omnino plenam, nimirum legiferam, iudiciariam, et coercitivam. Potestatis autem huiusmodi subiectum sunt pastores et doctores a Christo dati, qui eam libere et a quavis saeculari dominatione independenter exercent; adeoque cum omni imperio regunt Ecclesiam Dei tum necessariis et conscientiam quoque obligantibus legibus, tum decretoriis iudiciis, tum denique salutaribus poenis in sontes etiam invitos, nec solum in iis, quae fidem et mores, cultum et sanctificationem, sed in iis etiam, quae externam Ecclesiae disciplinam et administrationem respiciunt ».

Ibid., can. 11-12: Mansi 51, 552: « Canon XI. Si quis dixerit, Ecclesiam institutam divinitus esse tanquam societatem aequalium; ab Episcopis vero haberi quidem officium et ministerium, non autem propriam regiminis potestatem, quae ipsis divina ordinatione competat, quaeque ab iisdem sit libere exercenda: *A.S.*

Canon XII. Si quis dixerit, a Christo Domino et Salvatore nostro Ecclesiae suae collatam tantum fuisse potestatem dirigendi per consilia et suasiones, non vero etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriori iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi: *A.S.* ».

Ibid., plura documenta: Mansi 51, 589-597, 625-626.

Schema Constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi..., c. 8: Mansi 53, 314: « Postremo adversus quorundam novatorum perversam doctrinam statuimus et declaramus, ecclesiasticum regimen divina ordinatione non esse fori tantum interni et sacramentalis, sed externi quoque et publici, plenamque Ecclesiae a Deo collatam esse potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salutaribus poenis coercendi atque cogendi. Qua quidem potestate cum in definiendis iis, quae fidem et mores, divinum cultum et sanctificationem fidelium respiciunt, tum in disciplina externa constituenda et sancienda et ipsos Apostolos et qui in eorum locum successerunt praesules omni tempore usos esse constat ».

Ibid., can. 12: Mansi 53, 316: « Si quis dixerit, hanc potestatem esse tantum directivam, non vero legislativam, iudiciariam et coercitivam: *A. S.* ».

[7] Non agitur de quaestione, an potestas singulorum Episcoporum sit immediate a Deo an a Papa. Affirmatur, independenter ab hac quaestione, missionem actualem a Papa haberi et quidem directe seu personaliter vel indirecte, puta per consuetudines legitimas, per leges communes, per Patriarchas, etc.

[8] *Conc. Trident.,* Sess. XXIII, *de Sacramento Ordinis,* can. 8: *C.T.* IX, 622: Denz. 968.

Clemens VI, *Super quibusdam,* 29 sept. 1351: C. Baronius, *Annales Ecclesiastici,* t. VI, Lucae 1750, p. 529; Denz. 570 h, 570 p.

PIUS VI, *Super soliditate,* 28 nov. 1786, § 4: A. A. BARBERI, *Bullarii Romani Continuatio,* t. VII, Romae 1843, p. 672 s.: DENZ. 1500.

Ibid., § 16, *l. c.,* p. 675: « ... caeteris porro Episcopis suam cuique peculiarem gregis portionem non divino, sed ecclesiastico iure, non Christi ore, *sed hierarchica ordinatione assignari opus sit,* ut ordinariam regiminis potestatem explicare in eam valeat. Cuius assignationis summam auctoritatem quisque Romano Pontifici abiudicare volet, eum necesse est in legitimam tot in orbe toto Episcoporum successionem invadere, qui ecclesias apostolica auctoritate de integro fundatas, aut ab aliis divulsas, aut invicem unitas regunt, ad easque regendas a Romano Pontifice missionem acceperunt; ut proinde sine ingenti Ecclesiae perturbatione, ipsiusque episcopalis regiminis discrimine tentari nequeat magnum hoc, et mirabile potentiae consortium, divina dignatione Petri cathedrae tributum, ut quemadmodum a Leone Magno dictum est, omnes proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus; et si quid Christus commune cum Petro caeteris voluit esse principibus, *numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit* ».

PIUS IX, *Syllabus,* prop. 50-51: *A.S.S.,* 3 (1867), p. 173: DENZ. 1750-1751.

C.I.C., can. 329, § 2; can. 332, § 1.

Schema Constitutionis dogmaticae secundae de Ecclesia Christi..., c. 4: MANSI 53, 310: « At quoniam primatus Petro datus est, ut una Ecclesia Christi et cathedra una monstraretur, Romano Pontifici ceteri praesules subiecti sunt, tum singuli in propriis ecclesiis administrandis, tum universi in communibus Ecclesiae negotiis gerendis. Ad summum enim hierarcham pertinet, novas ecclesias instituere, iam institutas aliis finibus circumscribere aut prorsus abolere, *singulis proprios pastores vel eligere vel electos confirmare, horum potestatem etiam ordinariam ampliare et restringere,* acta sive singulorum sive synodorum diiudicare, ipsos quoque praesules, ubi opus est, a munere removere. Neque hi pro universa Ecclesia quidquam disponere vel decernere possunt, nisi a regnante Pontifice in partem sollicitudinis vocati... ».

PIUS XII, Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 212: « ... non plane sui iuris sunt, sed sub debita Romani Pontificis auctoritate positi, quamvis ordinaria iurisdictionis potestate fruantur, immediate sibi ab eodem Pontifice Summo impertita... ».

[9] PIUS VI, *Super soliditate,* 28 nov. 1786, § 4: A. A. BARBERI, *Bullarii Romani Continuatio,* t. VII, Romae 1843, p. 672 s.: DENZ. 1500.

ID., *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794, prop. 6-8, 45: *Ibid.,* t. IX, Romae 1845, pp. 399, 408: DENZ. 1506-1508, 1545.

LEO XIII, *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881, *A.S.S.,* 13 (1880), p. 483 ss.

C.I.C., can. 893-894, can. 2245, §§ 2-3.

Schema Constitutionis dogmaticae secundae de Ecclesia Christi..., c. 4: MANSI 53, 310, cf. nota 6.

Quod potestas iurisdictionis ordinaria et actualis Episcoporum ampliari vel restringi potest probatur ex eo, quod unus Episcopus prae alio maiorem gregem habere potest, probatur ex legibus communibus quibus iurisdictio ordinaria Episcoporum limitatur, probatur exemptionibus, etc.

[10] *Conc. Vat. I,* Sess. IV, Const. dogm. I *de Ecclesia Christi,* c. 3: *Coll. Lac.* VII, 484-485: DENZ. 1827-1831.

[11] S. GREGORIUS, *ep. ad Eulogium episc. Alexandrinum,* l. 8, c. 30, *PL* 77, 933.

Conc. Vat. I, Sess. IV, Const. dogm. I *de Ecclesia Christi,* c. 3: *Coll. Lac.* VII, 484: DENZ. 1828.

LEO XIII, Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895-1896), p. 737: DENZ. 1962.

PIUS XII, Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 212.

LEO XIII, Epist. *Et sane,* 17 dec. 1888: *A.A.S.,* 21 (1888), pp. 321 s.: « Muneris enim Nostri est vigilare et conniti, ut divina Episcoporum potestas omnino incolumis atque inviolata consistat. Nostrum est pariter imperare et efficere, ut ea ubique honore vigeat suo, neve quidquam a catholicis iustae obtemperationis et reverentiae ulla in parte desideret. Divinum quippe aedificium, quod est Ecclesia, verissime nititur, tamquam in fundamento conspicuo, primum quidem in Petro et successoribus eius, proxime in Apostolis et successoribus Apostolorum Episcopis: quos qui audit vel spernit, is perinde facit ac si audiat vel spernat Christum Dominum. Ex Episcopis constat pars Ecclesiae longe augustissima, quae nimirum docet et regit homines iure divino: ob eamque rem quicumque eis resistat, vel dicto audientem esse pertinaciter recuset, ille ab Ecclesia longius recedit (*Mt.* 13, 17). Neque vero continenda obtemperatio est, quasi finibus, in rebus ad fidem christianam pertinentibus, sed multo amplius proferenda, videlicet ad res omnes, quascumque episcopalis potestas complectitur. Sunt illi quidem in populo christiano fidei sanctae magistri, at praesunt etiam tamquam rectores et duces, atque ita praesunt, ut de hominum salute, quos habent a Deo creditos, ipsi Deo ratio sit ab illis aliquando reddenda ».

[12] S. IGNATIUS, *Epist. ad Philad.,* 3, 2; 8, 1: *PG* 5, 700, 704 [*Rouët de Journel:* 56, 59]; *Epist. ad Smyrn.,* 8, 1: *PG* 5, 713 [*RJ* 65].

S. CYPRIANUS, *Epist. 69*: *PL* 4, 406 [*RJ* 587]; *Epist. 27*: *PL* 4, 298 [*RJ* 571]; *Epist. 76*: *PL* 3, 1140 [*RJ* 589]; *De cath. Eccl. unit.,* 4-6: *PL* 4, 498-501 [*RJ* 555-557].

S. LEO MAGNUS, *Serm. IV*: *PL* 54, 149 s.

Conc. Vat. I, Sess. IV, Const. dogm. I *de Eccl. Christi*: *Coll. Lac.* VII, 482: DENZ. 1821; *Ibid.,* Sess. IV, ... c. 3: *Coll. Lac.* VII, 484: DENZ. 1827; *Ibid.,* c. 4: *Coll. Lac.* VII, 486-487: DENZ. 1837.

LEO XIII, Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895-1896), p. 733 s.: DENZ. 1960; *Testem benevolentiae,* 22 ian. 1899: *A.S.S.,* 31 (1898-1899), p. 479: DENZ. 1976.

Epist. S. Off. ad Episc. Angliae, 16 sept. 1864: *A.S.S.,* 2 (1866), p. 685 s.: DENZ. 1686.

MARTINUS V, *Inter cunctas,* 22 febr. 1418, prop. 5-6: MANSI 27, 1211: DENZ. 657-658.

PIUS VI, *Super soliditate,* 28 nov. 1786, § 1, § 5, § 20, § 22: A. A. BARBERI, *Bullarii Romani Continuatio,* t. VII, Romae, 1845, 671, 673, 676: § 20: « Praeclarum etiam, atque ut allatae Parisiensium doctorum sententiae, sic et constanti maiorum suorum traditioni plane consentaneum de Romani Pontificis primatu testimonium edidere Gallicani praesules in comitiis anno 1681: " Caput est, inquiunt, Ecclesiae, *centrum unitatis*: obtinet ille in nos primatum auctoritatis, et iurisdictionis sibi a Christo Iesu in persona sancti Petri collatum: qui ab hac veritate dissentiret, schismaticus, immo et haereticus esset " ».

[13] *Conc. Lat. IV,* c. 5: MANSI 22, 990 ss.: DENZ. 436.

Conc. Lugd. II, Professio fidei M. Palaeologi: Mansi 24, 71 ss.: Denz. 466.

Clemens VI, *Super quibusdam*, 29 sept. 1351: C. Baronius, *Annales Ecclesiastici*, t. VI, Lucae, 1750, p. 529: Denz. 570 h, 570 p.

C.I.C., can. 271-280.

Schema Const. dogm. secundae de Eccl. Christi..., c. 4: Mansi 53, 310, 321; 310: « Neque hi pro universali Ecclesia quidquam disponere vel decernere possunt, nisi a regnante Pontifice in partem sollicitudinis vocati: et licet, ab eo congregati, tamquam veri iudices et fidei decreta et disciplinae leges condant; Romani tamen Pontificis est, generalia eorum concilia non solum convocare et dissolvere, sed etiam dirigere et confirmare ».

Omnis proinde potestas supra-episcopalis est participatio potestatis Papae, e. gr. potestas archiepiscopalis, patriarchalis, etc.

[14] Pius IX, *Quanta cura*, 8 dec. 1864: *A.S.S.*, 3 (1867), pp. 161 s.: Denz. 1688.

Pius XI, *Rerum Ecclesiae*, 28 febr. 1926: *A.A.S.*, 18 (1926), p. 69: « ... unde liquet, propagandi fidei curam ita ad Nos pertinere, ut in laborum societatem Nobiscum venire Nobisque hac in re adesse, quantum singularis ac propria vestri perfunctio muneris sinit, sine ulla dubitatione debeatis ».

Pius XII, Encycl. *Fidei donum*, 21 apr. 1957: *A.A.S.*, 49 (1957), p. 236 s.

[15] Doctrina habetur in theologia De Conciliis Oecumenicis et in doctrina de successione Apostolorum eorumque Collegii. Episcopi in Concilio adunati una cum Papa unum tribunal constituunt, veri iudices fidei et legislatores sunt, ius sedendi in Concilio omnibus Episcopis residentialibus competit: Relatio officialis relatoris Zinelli: Mansi 52, 1109 s.

Schema Const. dogm. secundae de Eccl. Christi..., c. 4: Mansi 53, 310 [cf. supra nota 8], et insuper: « Verum etiam supremi muneris docendi et gubernandi universam Ecclesiam Episcopi expertes non sunt. Illud enim ligandi et solvendi pontificium, quod Petro soli datum est, collegio quoque Apostolorum, suo tamen capiti coniuncto, tributum esse constat, protestante Domino: " Amen, dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo " (*Mt.* 18, 18). Quapropter inde ab Ecclesiae primordiis oecumenicorum conciliorum decreta et statuta iure merito tamquam Dei sententiae et Spiritus Sancti placita summa veneratione et pari obsequio a fidelibus suscepta sunt ».

Ibid., Relatio Kleutgen de schemate reformato: pp. 321-322.

N. B.: Corpus seu collegium de se ab hoc praescindit an sit subiectum potestatis iurisdictionis tantum aut etiam aliarum potestatum.

[16] Dicitur « modo extraordinario »; hoc sequitur ex eo quod Concilia Oecumenica absolute loquendo non necessaria sunt; ergo *actio* Corporis Episcoporum, inquantum agitur de actione *iuridica*, non est « institutum permanens » in Ecclesia.

[17] Doctrina continetur in theologia De Conciliis Oecumenicis, praesertim in veritatibus de convocatione iuridica necnon de confirmatione iuridica; *Conc. Lat. V*, Sess. XI, *Pastor aeternus*, 19 dec. 1516: Mansi 32, 967: Denz. 740.

C.I.C., can. 222-229; cf. alia Documenta: H. Schauf, *De Conciliis Oecumenicis*, Romae 1961.

[18] Doctrina habetur in theologia De Conciliis Oecumenicis et speciatim in doctrina de iure sedendi in Conciliis Oecumenicis.

C.I.C., can. 223, § 1, n. 2.

[19] Doctrina fluit et habetur in veritate de Primatu, de Romano Pontifice ut Capite Corporis Episcoporum et de munere episcopali.

Caput 5

DE STATIBUS EVANGELICAE ADQUIRENDAE PERFECTIONIS

1. [*De consiliis evangelicis*]. Pastor magnus ovium Dominus Christus Iesus (cf. *Hebr.* 13, 20) Ecclesiam suam non modo salutaribus praeceptis communivit, quibus servatis credentibus in se omnibus ostium pateret salutis (cf. *Mt.* 19, 17-19), verum etiam consiliis instruxit sanctissimis, ut volentibus via praeberetur expeditior atque tutior ad impletionem caritatis, quae divinae est plenitudo legis (cf. *Rom.* 13, 10). Properante itaque vitae suae exitu, exemplo aperta etiam adiunxit invitationis verba, ut, qui voluissent Ipsum perfectius imitari, sine proprio viverent (cf. *Mt.* 19, 21; *Mc.* 10, 21; *Lc.* 18, 22) et in castitate (cf. *Mt.* 19, 11-12), ac, sicut iam antiquitus intellexit et adprobavit Ecclesia, oboedientiam Eius ad Patrem (cf. *Io.* 6, 38; *Phil.* 2, 8) strictius sub constituta auctoritate prosequerentur.

Ne autem consilia haec oboedientiae, paupertatis et castitatis, a sanctis etiam Apostolis atque Patribus verbo et exemplo commendata, irrita manerent, invitationi addidit Dominus et gratiam, qua operante omnibus Ecclesiae aetatibus utriusque sexus fideles illa, sive ex parte sive ex toto, generoso animo amplexi atque fideliter secuti sunt. Horumque ideo vita multum contulit ut sanctitatis nota, qua divinus Conditor Ecclesiam suam voluit esse insignitam, perpetuo auctoque in dies splendore ante oculos omnium emicaret et colluceret.[1]

Idcirco sancta Synodus consilia haec eorumque exercitium originis esse divinae docet, eorum observationem enixe commendat, hancque inter elementa notae sanctitatis Ecclesiae constitutiva adnumerat.

2. [*De momento statuum perfectionis in Ecclesia*]. Sancta siquidem Ecclesia, in omnibus bonis inexhauste foecunda, consiliorum evangelicorum observatione indesinenter effulget. Spiritus Sancti namque gratia fideles urgere numquam desistit ut et vitam supernae Ierusalem, quantum in carne possibile sit, inchoatam ducant, et propinquiorem Christi imitationem prosequantur, qua ipsorum et apostolatus roboretur et meritum geminetur. Quo factum est ut, eodem Spiritu Christi impellente, paulatim ex germine divinitus dato variae vivendi formae ad illam perfectionem assequendam exortae sint veluti arbor mirabiliter in vinea Domini ramificata. Cum enim consilia evangelica necessario coniuncta sint cum imitatione Christi atque a curis saecularibus efficaciter animum liberent, eos prae aliis ad suam observationem attrahunt qui, sive labore apostolico, sive operibus misericordiae spiritualis et corporalis, sive oratione et contemplatione, etiam in vita ducenda communi, vitam Salvatoris in sese exprimere cupiunt.

Haec autem consiliorum via, cum ad perfectionem caritatis in Deum

et proximum ordinetur,[2] muneri Ecclesiae intime cohaeret, quod in eo est ut Deus hominibus donetur hominesque Deo reddantur suo. Quapropter quisque suo modo missioni Ecclesiae salvificae prodest, quacumque in forma evangelicae perfectioni adquirendae intendat.

Meminerint ergo omnes ad perfectionem evangelicam peculiariter vocati suum esse officium ut per ipsos Ecclesia revera Christum quodammodo commonstret vel in monte contemplantem, vel concionantem ad populos, vel sanantem aegros et saucios, ac peccatores ad frugem bonam convertentem, vel denique bene facientem omnibus.[3] Unusquisque ideo sedulo curet ut in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat atque magis ac magis excellat.

3. [*De positione statuum perfectionis in Ecclesia*]. Ut autem observationem evangelicorum consiliorum tamquam rem sibi propriam [4] etiam publice sibi assumeret modoque adspectabiliore commonstraret, provida mater Ecclesia, motiones Sancti Spiritus assidue secundans, leges pro summa auctoritate ipsa tulit vel ab eminentibus viris ac feminis propositas probavit, quarum sectatores ideo statum perfectionis adquirendae constituerent electamque portionem mystici Corporis Christi.[5]

1) Status perfectionis proprie non est intermedium quoddam inter clericalem et laicalem condicionem, sed utrique potest esse communis. Eo autem magis evangelicorum consiliorum observatio ab Ecclesia honoratur, quo intimior atque firmior fiat cum Deo et Iesu Christo communio. Quare de se Ecclesia hanc observationem magis aestimat, atque honorat ex voto quam ex promissione, cum ligamine perpetuo quam cum vinculo temporali assumptam.[6] Dispari enim hac intensitate quis et conformis fit imagini Christi oboedientis, pauperis, virginis, ipsique sanctae Ecclesiae assimilatur utpote Christo sponso suo intime et indissolubiliter coniunctae cunctisque gentibus ad patriam peregrinantibus portui salutis conspicuo. Haec autem conformitas cum Christo, qui homo etiam perfectissimus fuit, atque assimilatio Ecclesiae suae sanctae, quae societas est non modo humana verum etiam et divina, sat superque ostendunt statum perfectionis, nedum personae humanae profectui obstare, immo summopere eidem prodesse.

Propterea Sancta Synodus damnat ac reprobat illorum sententias, qui affirmare contendunt eo magis eminere consiliorum evangelicorum observationem quo minus assumitur coram Deo et Ecclesia obligatio; aut statum perfectionis efformationem personalitatis impedire vel minuere.

2) Cum autem ad unam sacram hierarchiam spectet adprobare et invigilare qua ratione vita perfectioni dicata ducenda sit apteque componenda,[7] omnia idcirco instituta ad eam sectandam passim erecta, ut crescant ac floreant semper et ubique invigilantiae et auctoritati Ecclesiae subesse debent. Ad hoc et quo melius necessitatibus totius dominici gregis provideatur, Romanus Pontifex, ratione sui in universam Ecclesiam primatus, quin principiis constitutionis divinitus Ecclesiae datae ullatenus officiat, quodcumque perfectionis institutum ac sodales singulos ab Episcoporum iurisdictione subtrahere sibique immediate subiicere potest.[8] Omnes autem, iuxta mentem

ipsius Romani Pontificis atque legum proprii instituti mensuram, suo etiam Episcopo subesse debent, ut ita officium ecclesiasticum ex peculiari suae vitae forma defluens adimpleant, quod in eo est ut sacrae hierarchiae propinquiores sint adiutores in regno Christi provehendo ac stabiliendo atque cetera Ecclesiae membra omni nisu ad legem Domini impigre sectandam trahant.

Ideo Sancta Synodus singulos ad perfectionem evangelicam peculiariter vocatos adhortatur ut factis illud divi Pauli sine intermissione repetere valeant: « Imitatores mei estote, fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram » (*Phil.* 3, 17), ita ut ipsorum opera ad maiorem Dei gloriam conferant, odorque vitae delectamentum sit Ecclesiae Christi.

NOTAE

[1] Cf. apparatum Schema Constitutionis dogmaticae *De Ecclesia Christi,* Conc. Vat. I, cap. XV, adnot. 48: *Coll. Lac.,* t. VII, 628 *c.*

PIUS XI, Encycl. *Quas primas,* 11 dec. 1925: *A.A.S.,* 17 (1925), p. 609.

[2] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.,* II-II, q. 188, a. 2.

S. BONAVENTURA, *Apologia pauperum,* c. 3, 3 (ed. *Ad Claras Aquas,* t. VIII, 1898, p. 245 *a*).

[3] Cf. PIUS XII, Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), pp. 214-215.

[4] Cf. apparatum Schema Constitutionis dogmaticae *De Ecclesia Christi,* Conc. Vat. I, cap. XV, adnot. 48: *Coll. Lac.,* t. VII, 628 *c.*

[5] Cf. LEO XIII, Epist. *Au milieu des consolations,* 23 dec. 1900: *A.S.S.,* 33 (1900-01), p. 355 ss.

PIUS XII, Alloc. *Sous la maternelle protection,* 9 dec. 1957: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 37.

[6] Alii adiungere volunt: « publice quam etiam privatim ».

[7] Cf. PIUS XII, Const. Apost. *Provida Mater,* 2 februarii 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 114.

[8] Cf. LEO XIII, Const. Apost. *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881: *A.S.S.,* 13 (1880), p. 483.

PIUS XII, Alloc. *Annus sacer,* 8 dec. 1950: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 28 s.

CAPUT 6

DE LAICIS

1. [*Principium*]. « Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur ».[1] Fideles igitur omnes enixe adlaborare debent ut divinum salutis propositum ad universos homines omnium temporum magis magisque applicetur. Ad Populum Dei evocati et in uno Corpore

Christi sub uno Capite constituti, quicumque sunt, ut viva membra ad Ecclesiae incrementum eiusque continuam sanctificationem vires suas omnes, a beneficio Creatoris et a gratia Redemptoris acceptas, conferre tenentur. Ipse autem Dominus quosdam in Ecclesia pastores et doctores ad opus ministerii sanctificavit, ut fideles, non tamquam parvuli fluctuantes, sed secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri augmentum Corporis faciant, donec perveniant omnes ad aetatem plenitudinis Christi (cf. *Eph.* 4, 11-16). Pastores ergo instituti non sunt ut totum onus in se suscipiant, sed ut omnes fideles, quos regunt, eo adducant ut suo modo et ordine ad commune opus explendum cooperentur. Una est enim totius organici Corporis vocatio.

2. [*De sacerdotio universali et de sacerdotio ministeriali*]. Antiquus Populus Dei ut « regnum sacerdotale et gens sancta » constitutus est (cf. *Ex.* 19, 5-6), cuius membra « sacerdotes Domini » vocarentur (cf. *Is.* 61, 6). In Christo autem novus Populus in templum spirituale et sacerdotium sanctum per regenerationem baptismalem et Spiritus Sancti unctionem evehitur, ut spirituales offerat hostias, et tamquam genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, virtutes annunciet Eius qui de tenebris eum vocavit in admirabile lumen suum (cf. *I Pt.* 2, 4-10). Ideo universi discipuli Christi, quos ipse Dominus regnum et sacerdotes Deo et Patri suo fecit (cf. *Apoc.* 1, 6 et 5, 9-10) sive ad hierarchicum ordinem pertineant sive non, seipsos ut hostiam viventem ac Deo placentem exhibeant (cf. *Rom.* 12, 1), et testimonium praebeant ubique terrarum de Christo Eiusque virtutibus.

Hoc in Corpore quaedam membra ex institutione Domini non solum baptismate et confirmatione Christo Sacerdoti dicantur, verum etiam sacramento ordinis consecrantur, ut pro hominibus in iis quae sunt ad Deum constituti (cf. *Hebr.* 5, 1), sacerdotium hierarchicum ut ministri Christi exerceant. Qui viri electi auctoritate sacra populi curam gerunt, eique media salutis praestant, cultumque administrant. Ipsi soli in sacrificio eucharistico verba consecrationis in persona Christi proferunt, et in eo offerendo totam Ecclesiam repraesentant, ut « quod populus agit voto, sacerdotes peragant mysterio ».[2]

Unum autem alterum non elidit, sed e contra sacerdotium ministeriale et sacerdotium universale, cum non gradu tantum, sed etiam essentia differant,[3] suo peculiari modo a Summo Sacerdote Christo profluunt, et ita ad invicem respiciunt, ut primum potestate sacra regnum sacerdotale diffundat et dirigat, alterum vero ad oblationem sacrificii concurrat[4] et in oratione, testimonio, abnegatione et actuosa caritate exerceatur.

3. [*Quinam nomine laicorum veniant*]. Sacrosancta Synodus hic sub nomine laicorum intelligit fideles, qui baptismate ad Populum Dei appositi, tamen neque ad sacerdotium ministeriale, neque ad statum religiosum, ab Ecclesia sancitum, pertinent, sed in saeculo commorantes, communibus normis reguntur. Animum scilicet dirigit ad fideles illos, qui communi con-

ditione a caeteris non distinguuntur, sed peculiari modo per opera quoque saecularia sanctitatem christianam ad gloriam Dei prosequi debent. In laboribus saeculi partes agunt, sed Spiritu evangelico ducti, malitiae mundi valide opponuntur et vocatione sua christiana mundum velut ab intra sanctificant.

4. [*De iuribus et officiis laicorum*]. Iura et officia laicorum sunt igitur illa quae ad omnes et singulos Christifideles solo nomine christiano pertinent. Ius habent a Pastoribus adiumenta ad salutem necessaria accipiendi, eisque necessitates et desideria sua reverenter patefacere possunt.[5] Pastores Ecclesiae, memores verborum S. Scripturae: « probate spiritus si ex Deo sint » (*I Io.* 4, 1) et: « Spiritum nolite extinguere » (*I Thess.* 5, 19), coepta et vota a fidelibus proposita attente in Christo considerent, et fidelibus officium testimonium vitae integraliter christianae praebendi indesinenter inculcent.

Per *baptisma* enim in filios Dei regenerati, fidem christianam profitentur et ad cultum religionis christianae charactere deputantur. Sacramento *Confirmationis* ad fidem quam ab Ecclesia acceperunt simul diffundendam et defendendam roborantur. *Sacrificium eucharisticum* participantes, vota sua cum votis ministri litantis iungentes, divinam Victimam per manus sacerdotis Deo offerunt, et hac maxime ratione partes activas in liturgia agunt.[6] Simul sese Deo devoventes, sui abnegatione regnum peccati in seipsis et in aliis impugnant. Ita de munere Christi sacerdotali, prophetico et regali suo modo participes facti, mandatum Eius novum et fundamentale observant, *caritatem* videlicet, qua proximos amamus ea dilectione qua Ipse dilexit nos, praesertim minimos fratres, quos Dominus Sibi speciatim identificat. Ita autem missionem Eius salutarem non quidem auctoritate sed dilectione continuant.

5. [*De fonte et obiecto eorum apostolatus*]. Licet missio laicorum neque auctoritatem pastorum implicet, neque peculiarem vitae statum religiosorum ferat, ex eodem tamen fonte profluit ad eundemque finem tendit ac missio totius Ecclesiae. Iesus enim missus a Patre, ut Apostolus et Pontifex confessionis nostrae (cf. *Hebr.* 3, 1), apostolos suos in totum mundum misit, Spiritu Sancto de caelis misso; ipsi vero, eorumque successores, Christifideles ad cooperandum cum sua salutifera missione vocant: gratia enim Christi, caritas Dei et communicatio Spiritus Sancti (cf. *II Cor.* 13, 13) omnes fideles attingit, eosque ad apostolicam activitatem impellit.

a) Eorum igitur missio est imprimis *indolis explicite religiosae,* ut iam patet in primaeva communitate, in qua baptizati, oratione, exemplo, sacrificio, verbo, Ecclesiam aedificabant (cf. *Act.* 2, 42; 4, 31; 8, 4; 11, 19-20). Laici proinde non exclusive curis temporalibus deputantur, sed pretiosissimam actionem in Ecclesia exercent. Et ipsi servitio evangelizationis et sanctificationis suo modo mancipantur. Si quidam eorum, deficiente clero vel sub regimine persecutionis, officia sacra pro posse supplent; si plures ex eis pro Regno Dei omnibus renunciantes, totas vires suas operi apostolico impendunt; *omnes* oportet ad augmentum extensivum et intensivum totius Corporis Christi cooperari. Quod praeprimis faciunt coniuges qui se invicem

in vita christiana ex virtute sacramentali sanctificant, parentes et educatores catholici necnon variorum generum catechistae, qui ad fidem et gratiam proli vel fratribus suis impertiendam eximio fructu collaborant.

b) Ad laicos spectat ut etiam *indirecte religionem promoveant,* quatenus in ipso saeculo viventes, mundum clausum et adversantem evangelico nuntio adaperiant eumque illuminent: ut Ecclesiae spatium vitae et operositatis obtineant atque communiant; ut denique instituta et conditiones mundi, si quae mores ad peccatum depravant, ita sanent, ut etiam ista mundana ad virtutem et iustitiam potius contribuant. Ad quam apostolicam navitatem Ecclesia omnia sua membra instanter appellat.[7]

c) Ad laicos denique pertinet *consecratio mundi,* id est actio ut mundus in omni campo suae activitatis suique progressus Spiritu Christi imbuatur, quin ex proprio suo ordine exeat saeculari.[8] In quo officio universaliter adimplendo ipsi nullo pacto suppleri possunt. Sanctificando opera saecularia eo tendant, ut bona creata secundum Creatoris ordinationem humano labore, arte technica civilique cultura ad utilitatem omnium prorsus hominum excolantur, aptiusque inter illos distribuantur, et suo modo ad eorumdem christianam libertatem conferant (cf. *Io.* 8, 32). Ita Ecclesia reapse tamquam principium supernaturaliter vivificans totius societatis eminebit. In quo sincero labore laici sedulo curent ut, Spiritu Sancto impellente, a supernaturali principio ducantur, ultimatim ad finem supremum glorificationis Dei et aeternae felicitatis respiciant, et omnes actiones suas per gratiam Christi valore spirituali ac redemptivo intrinsecus dignificent.

6. [*De eorum apostolatus formis*]. Apostolatus laicorum, spectata Ecclesiae indole, sub variis formis exerceri potest: modo scilicet individuali vel collectivo; — titulo missionis universalis baptizatorum vel insuper cum missione speciali; — in re religiosa vel etiam sociali.

a) Prima forma apostolatus laicorum, tum virorum tum mulierum, est *personalis,* scilicet actio ab uno vel pluribus individuis suscepta, sive sponte ex universali vocatione christiana, sive ex particulari munere sibi a Pastoribus commisso, tam in ordine evangelizationis et testimonii quam in ordine consecrationis mundi. Nulla autem exstat fidelium categoria, quae ad tale opus cum magna efficacitate concurrere non valeat.[9]

b) Pastores Ecclesiae ius et nonnumquam obligationem habent commonendi laicos, ut etiam coetibus ad hoc organisatis sacerdotes adiuvent *in rebus mere religiosis,* etiam ex mandato et cum vera missione canonica. Ideo huius generis associationes varias, pro locorum ac temporum diversitate, excitant vel approbant, sive ad diffundendam salutiferam doctrinam, sive ad promovendum orationis apostolatum, sive ad fovendam familiam catholicam, sive ad promovenda opera missionalia. In specie Ecclesia, cum non solum verbo, sed etiam exemplo praedicare debeat mandatum caritatis, ius habet publice exercendi opera misericordiae spiritualis et temporalis, etiam per instituta cum religiosorum tum laicorum, ad hoc data opera erecta.

Etsi *res oeconomico-sociales profanae* ad Ecclesiam directe non spectant,

tamen, quia homines generatim vitam religiosam expedite agere nequeunt, nisi etiam in temporalibus modo humanae personae digno vivere valeant, Ecclesia ius et officium habet, speciatim ubi debitae conditiones deficiant, ut clerum fidelesque suos inducat ad opera socialia organizanda, quae huiusmodi necessitatibus obvient. Eos data opera exhortatur ut talem conditionis vitae ordinationem promoveant, quae iustitiae et aequitati in dies melius congruat, utque principia christiana de re sociali, a Magisterio proposita, funditus cognoscant atque in praxim deducant.

Pastorum Ecclesiae denique est fideles commonere, ut *in rebus cuiusvis generis temporalibus* multiformem activitatem expleant, et satagant ut institutiones et opera culturae intellectuali et physicae, publicae et privatae, arti, scientiae, immo utili recreationi addicta, fini suo debite respondeant et, nedum religioni officiant, supernaturali inspiratione et christiana virtute efficaciora reddantur. Laicis commendat ut libenter suscipiant onus, eis potissimum incumbens, in politica ordinatione societatis bonum commune temporale efficaciter et apte promovendi. In quo campo catholici, pacis ac cooperationis inter cunctos homines bonae voluntatis studio, activam et faustam praesentiam exerceant, ad prosperitatem tum propriae nationis, tum totius societatis internationalis.

7. [*De laicitate et laicismo*]. In mundo a Deo creato et Christi passione redempto, humana societas suis propriis principiis ad finem suum immediatum, bonum scilicet temporale commune, praesertim per laicorum operositatem perducenda est. Ex una parte laici confusionem vel indebitam permixtionem religionis et Ecclesiae cum rebus mere civilibus sedulo vitabunt; et ex altera parte totali separationi vel immo oppositioni societatis terrenae contra Deum Eiusque Ecclesiam legitime adversabuntur, memores omnem activitatem humanam etiam in re profana Dei legibus subesse. Unde sicut merito probari potest sana quaedam « laicitas » terrenae civitatis, quae saecularibus curis iure addicta, propriis regitur principiis, ita infensus « laicismus » seu « saecularismus » qui societatem extra omnem religionem exstruere contendit et libertatem christianam impugnat et eruit, merito proscribitur.[10]

8. [*Conclusio generalis*] Sancta Synodus omnes utriusque sexus fideles, in specie laicos, amanter et instanter exhortatur, ut collatis viribus cum clericis ac religiosis, una cum Hierarchia divinitus instituta, sub Capite Christo, Eiusque Spiritu animati, missionem suam caritatis apostolicae ad gloriam Dei Patris indeficienter expleant.

NOTAE

[1] *Conc. Vat. I,* Sess. IV, Const. dogm. I *de Ecclesia Christi*: DENZ. 1821.

[2] INNOCENTIUS III, *De S. Alt. Myst.* 5, 2: *PL* 217, 888 *BC*.

[3] PIUS XII, Allocutio *Magnificate Dominum,* 2 nov. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 669.

[4] PIUS XI, Encycl. *Miserentissimus Redemptor,* 8 maii 1928: *A.A.S.,* 20 (1928), p. 171 s.

PIUS XII, Alloc. *Vous Nous avez,* 22 sept. 1956: *A.A.S.,* 48 (1956), p. 714.
[5] *C.I.C.,* can. 682.
PIUS XII, Alloc. *De quelle consolation,* 14 oct. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 789: « Dans les batailles décisives, c'est parfois du front que partent les plus heureuses initiatives ».
ID., Alloc. *L'importance de la presse catholique,* 17 februarii 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 256.
[6] PIUS XII, Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), praesertim p. 552 ss.
[7] PIUS XI, Encycl. *Quadragesimo Anno,* 15 maii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 221 s.
PIUS XII, Alloc. *De quelle consolation,* 14 oct. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 790 s.
[8] PIUS XII, Alloc. *Six ans se sont écoulés,* 5 oct. 1957, *A.A.S.,* 49 (1957), p. 927.
[9] PIUS XII, Alloc. *De quelle consolation,* 14 oct. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 786 s.
[10] LEO XIII, Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885). p. 166 ss.; Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: *A.S.S.,* 22 (1889-1890), p. 397 ss.
PIUS XII, Alloc. *Alla vostra filiale,* 23 mart. 1958: *A.A.S.,* 50 (1958), p. 220.

COMMENTARIUS

1. [*Principium*]. Ex constitutione et fine Ecclesiae patet, omnes in ea, ducentibus Pastoribus, partes activas exercendas habere.

2. [*De sacerdotio universali et ministeriali*]. Thema praedictum evolvitur per considerationem sacerdotii universalis et ministerialis. Allegantur pro *sacerdotio universali* textus praecipui tum Antiqui tum Novi Testamenti. Nititur autem haec dignitas in baptismate et confirmatione, ut ex contextu *I Petri* patet. Indicatur in quonam praecipue consistat hoc officium, quod ad omnes, etiam ad sacerdotes ordinatos, pertinet, nempe hostiam spiritualem offerendi et testimonium ferendi.

Deinde agitur de *sacerdotio ministeriali,* quod nititur in sacramento ordinis; huiusque institutionis Dominicae declaratur officium specificum, a munere populi omnino distinctum eique supereminens.

Denique *relationes inter utrumque sacerdotium* exponuntur. Quaestio utrum sacerdotium universale, in quantum « sacerdotium », sensu metaphorico interpretandum sit, non dirimitur. In fontibus enim biblicis et in scriptis saeculi II, vox « sacerdos » nonnisi de Christo, de sacerdotibus Antiquae Legis et de populo adhibetur; ministri vero appellantur episcopi, presbyteri, praesides, etc. Neque exstat metaphysica definitio sacerdotii: elementa quae in definitionem intrant, v. g. oblatio sacrificii, aliqua mediatio, etc. nonnisi ex revelatione determinari possunt. Quia autem duo sacerdotia non gradu tantum, sed essentialiter differunt, — quod verbis Pii XII exprimitur, —

requiritur ut ambo suo peculiari modo a Christo Sacerdote proveniant. Relationes autem principales sunt huiusmodi: sacerdotium ministeriale alterum diffundit et dirigit; universale autem ad oblationem sacrificii concurrit, — ut verbis Pii XI et Pii XII fulcitur, — et in variis actibus vitae christianae applicatur.

3. [*Quinam nomine laicorum veniant*]. Praetermissis quaestionibus de accurata iuridica delimitatione inter varias categorias in Ecclesia, exprimitur intentio Concilii loquendi de illis qui sensu vulgato « laici » vocantur. Determinantur autem imprimis *positive* per incorporationem baptismalem in Ecclesiam, apposita *duplici restrictione*: non pertinent ad sacerdotium ministeriale, et in statum religiosum non intrant. Ipsius autem Ecclesiae est statuere quibusnam hic status religiosus agnoscatur.

Deinde laici *secundum suam concretam conditionem* in societate ulterius describuntur. Etiam per opera saecularia sanctificari debent, v. g. vitam familialem et professionalem ad salutem adhibentes. In mundo sunt et in eo laborant, sed « malitiae mundi » adversantes, « mundum ipsum » ab intra sanctificant. Haec antithesis correspondet duplici acceptioni « mundi » in textibus biblicis: Christus mundum sub signo peccati et Satanae odio habet, sed homines in mundo viventes diligit et mundum salvat: similiter agere debent christiani.

4. [*De iuribus et officiis laicorum*]. Exponuntur nunc iura et officia laicorum. *Ius* habent ad media salutis; quapropter possunt necessitates spirituales suas suorumque fratrum, quas vivide persentiunt, pastoribus suis sub debita forma exponere, documentationem proferre, remedia efflagitare et in apostolatu utiles initiativas proponere, ut dixit Pius XII.

Officium eorum praecipuum est testimonium dare vitae integraliter christianae. Nititur in tribus sacramentis christianae initiationis cum obligationibus ex iis decurrentibus. Effectus baptismatis et confirmationis verbis S. Thomae Aq. exprimuntur. Cf. *Summa Theol.*, III, q. 63, a. 2, de baptismate; III, q. 65, a. 3; q. 72, a. 1 et a. 5, de confirmatione. Participatio fidelium in sacrificio Missae secundum doctrinam Pii XII in Encycl. *Mediator Dei* enuntiatur.

Sic laici de triplici munere Christi suo modo participant: de sacerdotali eius dignitate, fundamentaliter in baptismate, actu praesertim in Eucharistia; de prophetico autem munere, per robur spirituale confirmationis; de regali denique dignitate, secundum doctrinam SS. Patrum, per victoriam super regnum peccati.

Haec autem omnia fructificant *in caritate,* quam Dominus mandatum « suum » et mandatum « novum » appellat, tum propter illimitatam eius applicationem, tum propter Spiritum qui eam influit: « Ut diligatis invicem sicut dilexi vos » (*Io.* 13, 34). « Et nos debemus pro fratribus animas ponere » (*I Io.* 3, 16). « Ut omnes unum sint, sicut Tu, Pater, in Me, et Ego in Te, ut et ipsi in Nobis unum sint » (*Io.* 17, 21). « Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, Mihi fecistis » (*Mt.* 25, 40). « Charitas Dei diffusa

est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.» (*Rom.* 5, 5).

5. [*De obiecto eorum apostolatus*]. Obiectum hoc determinatur secundum obiectum missionis ipsius Ecclesiae. Laici enim non sunt profani, sed membra Ecclesiae in mundo profano; unde non per opera saecularia, sed per suam pertinentiam activam ad Ecclesiam characterizantur. Eorum autem activitas ecclesialis triplex obiectum, gradatim dispositum, attingit.

Primum est *ordinis directe religiosi*. Quae activitas non est mere occasionalis et suppletiva, sed ordinaria et regularis. Quidam laudabiliter apostolatum pleni temporis cum totali dedicatione suscipiunt. Sed omnibus incumbit quaedam cooperatio ad diffusionem fidei et gratiae secundum adiuncta, signanter parentibus et educatoribus; ad officium autem patris et matris plerique christiani vocantur.

Obiectum secundum *indirecte ad religionem spectat,* in quantum in sociali et politica ordinatione civitatis terrestris aptas conditiones pro progressu fidei et moralitatis et pro salutari operositate Ecclesiae creare satagit.

Dum praedicta ad evangelizationem spectant, tertium ad *consecrationem mundi* respicit, quae in ipso textu concrete definitur et ad quam Pius XII saepe saepius laicos diserte exhortatus est. Si obiectum quod hic attingitur est de se ordinis temporalis, per personam agentem, in variis campis activitatis humanae, ultimatim ad finem spiritualem est dirigendum. Sic labor sive materialis sive intellectualis christianizatur et humanizatur. Christiani, huius ultimae finalizationis conscii, satagunt ut procedant ex superiori principio; ad superiorem finem respiciunt, et opera sua, etiam profana, intrinsecus per gratiam dignificant.

6. [*De eorum apostolatus formis*]. Post obiectum apostolatus laicorum nunc consideratur *modus* illum exercendi, et in antecessum statuuntur criteria generalia distinctionis.

Imprimis deinde agitur de apostolatu *personali,* qui a nullo coetu, ad hoc instituto, sed a singulis exercetur. Non omnes enim in organizationes apostolicas intrare possunt, ut Pius XII ex professo docuit. Hierarchia autem uni vel pluribus christianis etiam missionem apostolicam particularem committere potest.

Secundo agitur de apostolatu *collectivo,* qui ab associationibus laicorum suscipitur. Associationes autem huiusmodi in tres categorias generales distribuuntur secundum tria obiecta sub paragrapho 5 considerata; harumque associationum quaedam exempla proferuntur. Evidenter occurrunt etiam formae mixtae.

Prima series invenitur in coetibus *ad actionem proprie religiosam* constitutis. Titulus quo designantur statuitur de consensu Hierarchiae, quae vario gradu et sollemnitate concedit approbationem, vel etiam missionem specialem impertitur. Inter plura alia efferuntur opera caritativa, quae praedicationem in actu constituunt.

Secunda series praesertim respicit *Opera socialia catholica,* quae modo

magis indirecto religionem et moralitatem per aptiorem societatis ordinationem promovent, neque eodem rigore ac praecedentes associationes ab Hierarchia pendent. Ecclesia huiusmodi opera etiam per se instituere potest, ut necessitatibus urgentibus suppleat.

Tertia series spectat ad diversissimam actionem catholicorum *in vita et societate civili,* ad consecrationem mundi susceptam. Haec in specie valent de actione politica, etiam in relationibus internationalibus. Haec etiam activitas, in qua laici propriam assumunt responsabilitatem, a vigilantia Ecclesiae non excipitur.

7. [*De laicitate et laicismo*]. In hac parte conclusiva statuitur, secundum terminologiam a Pio XII adhibitam, differentia inter tendentiam servandi legitimam autonomiam societatis civilis, et completam saecularizationem religioni adversam.

N. B.: Sequitur *Pars altera,* quae sequentibus constituitur Capitibus:

Cap. 7: *De Ecclesiae Magisterio.*
Cap. 8: *De auctoritate et oboedientia in Ecclesia.*
Cap. 9: *De relationibus inter Ecclesiam et Statum necnon de tolerantia religiosa.*
Cap. 10: *De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum.*
Cap. 11: *De Oecumenismo.*

Pars secunda

Caput 7 *

DE ECCLESIAE MAGISTERIO

1. [*De exsistentia et natura magisterii authentici*]. Ut officio evangelicum nuntium omnibus gentibus fideliter praedicandi Ecclesia sancte fungeretur, divinus eius Conditor dilectam sponsam suae veritatis magistram fidissimam effecit, eamque per Spiritum Sanctum charismate indefectibilis veritatis ditavit.[1] Hinc est quod ipsa semper sibi conscia fuerit et instanter proclamaverit se in mundo esse columnam et firmamentum veritatis (cf. *I Tim.* 3, 15).[2]

Huius indefectibilis veritatis proximum principium et organum perpetuum constituit Dominus authenticum Ecclesiae magisterium, cui commissum est

* Capita VII-X discussa sunt a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in septima et octava congregatione sessionis septimae diebus 19-20 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 621-746.

ut depositum fidei integrum servet, fideliter exponat, et ab omni errore immune semper custodiat.[3] Apostolis, enim, eorumque successoribus peculiare promisit Spiritus Sancti donum, quo testes evangelicae veritatis fierent usque ad ultimum terrae (cf. *Act.* 1, 8); ipsis potestatem docendi cum auctoritate tradidit dicens: « Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 18-19); eis denique Spiritum veritatis (cf. *Io.* 14, 16-17; 16, 12-14) et suam praesentiam asseveravit usque ad saeculi finem duraturam (cf. *Mt.* 28, 20) qua in docendo gregem ab omni praemunirentur errore ».[4]

Exsistit ergo in Ecclesia perenne et vivum magisterium, cui munus traditum est docendi cum auctoritate nomine Christi in rebus fidei et morum.[5] Hoc magisterium qui audit, non homines sed Christum docentem audit, iuxta verba Ipsius dicentis: « Qui vos audit me audit; et qui vos spernit, me spernit » (*Lc.* 10, 16);[6] eique adhaerendo fidelium populus in evangelica veritate servatur. Christus Dominus enim ipse, mystici sui corporis Caput in caelis semper exsistens, universam Ecclesiam illuminat, in omnia membra sua, in pastores nempe ut doceant, in fideles, ut verbum Dei accipiant et apte intelligant, Spiritum veritatis quem promiserat immittens, qui omnes ab errore avertat atque ad agnoscendam et profitendam divinam veritatem perducat.[7]

Infallibilitatis praerogativa, qua Ecclesiae magisterium in docendo ornatur, distinguitur a charismate inspirationis, neque eo spectat ut Ecclesia quovis modo novis revelationibus ditescat, sed ut fidei depositum, ab Apostolis sive scripto sive ore traditum, in Ecclesia integrum custodiatur, praedicetur, transmittatur,[8] et semper eodem sensu eademque sententia progressu temporis magis explicetur.[9]

2. [*De subiecto magisterii authentici*]. Charisma veritatis certum et authentici magisterii munus ex divina institutione in Ecclesia possident Romanus Pontifex, successor beati Petri et Christi vicarius, ceterique Episcopi omnes qui in locum succedunt Apostolorum.[10]

Romanus Pontifex est pro universa Ecclesia divinae veritatis supremus magister, illique praecipue officium et ius pertinet integre custodiendi et infallibiliter proponendi doctrinam salutis pro christifidelibus universis. Quod cum facit, cum nempe pro suprema sua apostolica auctoritate ex cathedra loquitur, ipsius sententia ex sese, non autem ex consensu fidelium vel aliorum Episcoporum, infallibilis ideoque et irreformabilis est,[11] atque divina operante Providentia fidem Ecclesiae saltem implicitam exprimit vel tuetur eiusque bonum promovet.[12] Tunc enim Romanus Pontifex propria auctoritate docet, sibi qua successori Petri directe et immediate a Christo collata, ideoque suam sententiam non ut privatam proponit, sed tamquam universalis Ecclesiae pastor et doctor et Princeps Episcoporum, divinam veritatem exponit, quae, scripta vel tradita, per legitimam Episcoporum successionem et imprimis ipsius Apostolicae Sedis studio integra transmittitur, et praelucente Spiritu veritatis in Ecclesia fideliter servatur; ad quam co-

gnoscendam media apta a divina Providentia Romano Pontifici suppeditantur.[13] Quare cum doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, eo ipso certum est hanc in deposito revelato contineri vel cum eodem necessario cohaerere.

Romani Pontificis authentico magisterio etiam cum non ex cathedra loquitur religiosum intellectus et voluntatis obsequium praestandum est, iuxta mentem et voluntatem manifestatam ipsius,[14] quae se prodit praecipue vel ex indole documentorum, vel ex frequenti propositione eiusdem doctrinae, vel ex dicendi ratione. Mens autem et voluntas Romanorum Pontificum manifestatur praesertim per acta doctrinalia universam Ecclesiam respicientia, ut sunt quaedam Constitutiones Apostolicae vel Encyclicae Litterae vel sollemniores Allocutiones: haec sunt enim praecipuum ordinarii Ecclesiae magisterii documentum, ad illudque declarandum vel efformandum imprimis conferunt, et quae ibi docentur et inculcantur plerumque iam aliunde ad catholicam doctrinam pertinent. Quodsi Summi Pontifices in his actis suis de re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, omnibus patere debet rem illam, secundum mentem et voluntatem eorundem Pontificum, quaestionem libere inter theologos disceptationis iam haberi non posse.[15]

Munere authentici magisterii funguntur etiam ceteri Episcopi cum Romano Pontifice communionem habentes. Episcopis enim, Apostolorum successoribus, ex divina institutione officium et ius competit tum populo sibi commisso Evangelium praedicandi eiusque praecepta cum auctoritate proponendi, tum invigilandi ut depositum fidei ab Apostolis transmissum a suis subditis fideliter servetur, tum ex inexhausto revelationis thesauro « nova et vetera » proferendi (cf. *Mt.* 13, 52) animarum bono accommodata. Singuli Episcopi ergo vi missionis apostolicae,[16] dum per orbem dispersi suam quisque ecclesiam docent vel in particularibus Conciliis congregati, licet infallibilitatis praerogativa non polleant, sunt tamen pro suis subditis catholicae doctrinae veri doctores et magistri authentici,[17] et pro universa Ecclesia testes ex officio evangelicae veritatis; cum vero in Oecumenico Concilio adunantur, tunc cum Romano Pontifice et sub ipsius auctoritate fiunt pro universa Ecclesia fidei et morum doctores et iudices, et una cum ipso supremam exercent docendi potestatem,[18] Synodique ipsius definitiones eadem infallibilitate gaudent qua Romani Pontificis definitiones ex cathedra.

Corpus legitimorum Ecclesiae pastorum et doctorum infallibilitatis praerogativa gaudet non tantum cum sollemni iudicio in Oecumenico Concilio potestatem docendi collegialiter exercet, verum etiam cum singuli in sua quisque dioecesi authentice docentes, una cum Romano Pontifice ut testes fidei in revelata doctrina tradenda in unam sententiam conveniunt. Quaecumque igitur in rebus fidei et morum ubique locorum ab universis Episcopis, una cum ipso Summo Pontifice, tenentur et ordinario magisterio docentur, ea etiam citra sollemnem definitionem tamquam irrevocabiliter vera eo

sensu quo docentur tenenda sunt, et si tamquam divinitus revelata proponuntur fide divina et catholica sunt credenda.[19]

Singulorum vero Episcoporum de rebus fidei et morum authenticum magisterium, dum in communione cum Apostolica Sede ceterisque catholicae Ecclesiae Episcopis suum munus exercent, a subditis interiore religiosoque animi assensu est accipiendum, et ab omnibus christifidelibus tamquam divinae et catholicae veritatis testimonium est venerandum.

3. [*De obiecto magisterii authentici*]. Ecclesiae authenticum magisterium imprimis in verbo Dei scripto vel tradito praedicando, custodiendo et interpretando versatur; sed ad ea quoque omnia, eadem ex auctoritate, se extendit quae, licet non revelata, tamen cum revelatis ita connectuntur ut ad depositum fidei integre custodiendum, rite explicandum et efficaciter tuendum necessaria sint.[20] Cum vero idem magisterium sit ministerium salutis, quo homines docentur quam viam sequi debeant ut ad aeternam vitam valeant pervenire, ideo munus et ius illi competit non modo revelatam sed et naturalem legem, quae in revelata assumpta est, interpretandi et infallibiliter declarandi, et de obiectiva conformitate omnium actionum humanarum cum evangelica doctrina et divina lege iudicandi. Nulla est ergo provincia humanarum actionum, quae sub adspectu ethico et religioso auctoritati magisterii a Christo instituti subtrahi possit.[21]

Ad illius quoque auctoritatem pertinet authenticum ferre iudicium de origine et natura ac potissimum de valore doctrinali et morali dictorum et factorum extraordinariorum, quae tamquam a Deo originem habentia propoponantur.[22]

4. [*De organis subsidiariis magisterii authentici*]. Magistri Ecclesiae authentici, quo facilius munus sibi divinitus concreditum adimpleant, alios quos volunt sibi adsumunt in adiutorium auxiliares, quibus peculiaria munera conferunt atque determinant.[23]

Romanus enim Pontifex non per se solum magisterium suum exercet, verum id ex parte committere potest etiam Sacris Congregationibus aliisque peritorum Consiliis, quae ad hoc ab ipso instituuntur, ut, non sine Spiritus Sancti adiutorio, doctrinam salutis in Ecclesia tueantur intemerateque ut ab omnibus servetur invigilent. Decisionibus ideo ac declarationibus istorum quoque coetuum, quamvis infallibili atque irreformabili sententia non muniantur, non externum dumtaxat obsequium, sed religiosa debetur et de se interior mentis adhaesio.[24]

5. [*De munere et auctoritate theologorum*]. Sua quoque in Ecclesia competit auctoritas doctrinalis theologis. Singuli in explicandis S. Scripturis, documentis S. Traditionis et actis S. Magisterii; in determinanda doctrina catholica et nota theologica singularum veritatum; in defendenda fide eiusque articulis atque praeambulis; in deductione, speculatione et synthesi theologica, sua gaudent auctoritate, minore vel maiore, prout melius sunt scientiis sacris imbuti et donis Spiritus Sancti illuminati. Ceteris autem paribus eorum auctoritas magis viget, seu magis, ut aiunt, est qualificata,

qui ab ipsa Ecclesia missione canonica donati, nomine Ecclesiae verbo scriptisve docent. Attamen auctoritas theologorum, etsi probatorum et publice agnitorum, et nomine Ecclesiae docentium, specifice ab auctoritate Episcopi differt, quippe qui solus nomine Christi doceat eiusque nomine assensum doctrinalem imponere possit.

Quod vero ad auctoritatem theologorum pertinet non singulorum, sed quatenus constanter et moraliter omnes per plura saecula in unam sententiam conveniunt, ea ex intima cum S. Magisterio Ecclesiae connexione exoritur, quippe quod eisdem clerum efformandum concredit, eorundem consilia rogat in praeparandis documentis ecclesiasticis, Synodis, immo Conciliis Oecumenicis; eosdem dirigit et invigilando adiuvat; pluriumque auctoritatem publice commendat etiam titulo Doctoris Ecclesiae. Omnes ergo admonet S. Synodus nemini licere absque gravibus et vere probatis rationibus ab iis doctrinae capitibus discedere, quae communi theologorum consensu docentur;[25] ab illis vero doctrinis, quae unanimi et constanti catholicorum theologorum consensu retinentur et docentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae ut opiniones eisdem contrariae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram, absque temeritate et vel ipsius fidei periculo discedere neminem posse.[26]

Theologi autem singuli gravitatis sui officii sibi sint conscii, et ad magisterium ecclesiasticum tamquam ad normam veritatis proximam semper attendant,[27] memores sibi ad mentem Ecclesiae esse docendum, et se etiam si sint laici ligari legibus de censura praevia et librorum prohibitione.

6. [*De magisterii in pastorali munere auxiliaribus*]. Immensi ponderis officium transmittendi verbum salutis omnibus hominibus atque Christum eiusque doctrinam in baptizatorum animis efformandi apprime noscentes, Romanus Pontifex atque Episcopi, sicut Christus Dominus et Apostoli iam fecerunt, auxiliares sibi adsciscunt homines, sacerdotio auctos imprimis.

His sacerdotibus, cum a Romano Pontifice vel a legitimo Episcopo munus verbi Dei docendi acceperunt, fideles omnes dociles aures praebere tenentur. Si vero hoc munus cum cura animarum ipsis concreditum est, sciant fideles istis sacerdotibus praesertim ab Ecclesia matre officium esse transmissum ut populum fidelem in catholica doctrina erudiant atque confirment.[28] Vult vero Sancta Synodus ut iidem christiani populi praeceptores non suam, sed Ecclesiae doctrinam certam et ad salutem necessariam, iuxta magisterii authentici edicta, exponant, devitantes profanas vocum novitates et falsi nominis scientiam (cf. *I Tim.* 6, 20).[29]

Alios quoque fideles in auxilium sibi adsumit Ecclesiae magisterium, sive ex clericorum vel religiosorum ordine sive etiam laicos, in filiis Ecclesiae ad christianam fidem atque culturam instituendis. Peculiare vero munus atque officium parentibus christianis incumbit, quibus suavissimum munus concreditum est incunabula fidei in filiorum animis insculpendi, tamquam cooperatores ipsius Christi et matris Ecclesiae.

Sciant omnes magisterii Ecclesiae auxiliares sibi non deesse, ut officium

suum fideliter et fructuose possint adimplere, divinum adiutorium, cui studiose cooperari tenentur; meminerint vero semper animas sibi concreditas emptas esse sanguine Christi atque ad Eius Ecclesiam pertinere; meminerint praesertim officium sibi prae ceteris incumbere ut bene noscant doctrinam Ecclesiae, quam verbo et vita discipulis vel filiis tradere debent.

7. [*De cooperatione omnium fidelium ad Ecclesiae magisterium*]. Gaudet Sancta Synodus plurimos esse christifideles qui, spiritu apostolico imbuti, suam conferunt operam ut divina missio docendi Ecclesiae hodiernis necessitatibus plene respondere possit.[30] Periti autem in problematibus medicinae, iuris, scientiae socialis, oeconomiae, aliarumque huiusmodi, ad efformandum iudicium morale de istis negotiis apte conferre possunt et quandoque debent, ut quaestiones recte ponantur riteque secundum principia christiana solvantur. Omnibus istis commendat S. Synodus ut, pro sua cuiusque intellectuali cultura, serio incumbant in profundiore cognitione veritatis revelatae atque catholicae doctrinae, tum pro sua cuiusque aedificatione, tum pro enodandis sui temporis quaestionibus; ipsisque ius esse libenter agnoscit ut, invigilante magisterio Ecclesiae eiusque praescriptionibus servatis,[31] tamquam fratres fratribus fructus suorum studiorum aliis, etiam scripto, proponere possint.

Ne tamen errores oriantur et periculose propagentur, Sancta Synodus omnes Ecclesiae filios semper meminisse vult: christiani hominis proprium esse ut non facile se magistrum existimet in rebus theologicis; de istis vero non ex scientiarum profanarum placitis esse diiudicandum; christianam prudentiam et sanam procedendi methodum exigere ut, priusquam aliquid novi proponant, in doctrinam incumbant eorum qui cum laude Ecclesiae investigaverunt veritatem; tandem omnium fidelium, clericorum pariter ac laicorum, officium esse ut fideliter obsequantur omnibus magisterii authentici decisionibus.[32]

Universos denique christifideles Sancta Synodus enixe hortatur ut non erubescant Evangelium, etiam cum in difficilioribus adiunctis positi sunt; omnesque admonet officii quod illis incumbit, ut crescant in cognitione fidei quam acceperunt, ita ut sint « parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem » de ea quae in illis est spe (cf. *I Pt.* 3, 15).

NOTAE

[1] Cf. Pius IX, Encycl. *Qui pluribus,* 8 nov. 1846: *Pii IX P. M. Acta,* Pars I, Vol. I, p. 9;

Leo XIII, Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895/96), pp. 721-723;

Pius XI, Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: *A.A.S.,* 22 (1930), pp. 53-54.

[2] Cf. *Conc. Trid.,* Sess. XIII, cap. 1: Denz. 874;

Gregorius XVI, Encycl. *Singulari nos,* 25 iun. 1844: Denz. 1617;

Leo XIII, Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: *A.S.S.,* 22 (1889/90), p. 398;

Pius XI, Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 53.

In his textibus explicite citatur vel commemoratur textus *I Tim.* 3, 15.

[3] Cf. Leo XIII, Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895/96), pp. 717-721;

Pius XII, Bulla dogmatica *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 756-757.

[4] Hi sunt praecipui textus Sacrae Scripturae, quibus in praecitatis documentis, praesertim in Encycl. *Satis cognitum,* fulcitur auctoritas Magisterii Ecclesiae authentici et infallibilis.

[5] Cf. Leo XIII, Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.S.S.,* 28 (1895/96), p. 721: « Quamobrem instituit Iesus Christus in Ecclesia vivum, authenticum, idemque perenne magisterium, quod suapte potestate auxit, spiritu veritatis instruxit, miraculis confirmavit, eiusque praecepta doctrinae aeque accipi ac sua voluit gravissimeque imperavit ».

Pius XII, Encycl. *Orientalis Ecclesiae,* 9 apr. 1944: *A.A.S.,* 36 (1944), p. 144.

[6] Cf. Pius XII, Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 568.

[7] Cf. Pius XII, Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 216, ubi agitur de influxu illuminante Christi Capitis in universam Ecclesiam, eiusque diversa ratione.

[8] Cf. *Conc. Vat. I,* Const. *Pastor aeternus,* cap. 4: Denz. 1836; et apparatum *Schema* Constitutionis dogmaticae secundae *de Ecclesia Christi secundum RR. PP. animadversiones reformatum* (a P. Kleutgen), cap. 7: Mansi 53, 313.

[9] Cf. Pius XII, Bulla dogmatica *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 757-758.

[10] Cf. Pius XII, Alloc. *Si diligis... pasce,* 31 maii 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 314-315.

[11] *Conc. Vat. I,* Const. *Pastor aeternus,* cap. 4: Denz. 1838.

[12] Concilium Vaticanum I explicite quidem definivit tantum factum infallibilitatis definitionis Romani Pontificis ex cathedra loquentis; at, ex principio certissimo supernaturalis Providentiae qua vita Ecclesiae a Suo Capite caelesti dirigitur et a sua anima, Sancto scilicet Spiritu, assistitur, iure deducitur actus tam vitales pro Ecclesia, ut sunt definitiones ex cathedra, non posse inopportune evenire et non prodesse aedificationi Ecclesiae in fide et caritate.

Quae conclusio theologica confortatur declarationibus ipsius magisterii de opportunitate definitionis sollemnis: cf. Pius IX, Epistula.

[13] Cf. Rev.mum Gasser, relatorem finalem Deputationis De Fide in cap. 4 Const. *Pastor aeternus*: Mansi 52, 1213: « Cooperationem Ecclesiae tum ideo non excludimus, quia infallibilitas Pontificis Romani non per modum inspirationis vel revelationis, sed per modum divinae assistentiae ipsi obvenit. Hinc Papa, pro officio suo et rei gravitate, tenetur media apta adhibere ad veritatem rite indagandam et apte enuntiandam; et eiusmodi sunt concilia vel etiam consilia episcoporum, cardinalium, theologorum, etc. Haec media pro diversitate temporum utique sunt diversa, et pie debemus credere quod in divina assistentia Petro et successoribus eius a Christo Domino facta, simul etiam contineatur pro-

missio mediorum, quae necessaria aptaque sunt ad affirmandum infallibile Pontificis iudicium ».

[14] Cf. *Conc. Vat. I,* Const. *Dei Filius,* monitum post canones: DENZ. 1820; *C.I.C.,* can. 1324. Praeterea:

LEO XIII, Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: *A.S.S.,* 22 (1889/90), p. 395;

PIUS XI, Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 580: « Et ne auxilio a Deo tam liberali benignitate collato se ipsi privent, necessario hanc oboedientiam praestare debent non solum sollemnioribus Ecclesiae definitionibus, verum etiam, servato modo, ceteris Constitutionibus et Decretis, quibus opiniones aliquae ut periculosae aut pravae proscribuntur et condemnantur ».

[15] Cf. PIUS XII, Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 568.

[16] Post amplas discussiones minus placuit lectio, utpote non omnino certa: « Singuli enim Episcopi, *per donum Sancti Spiritus, quod episcopali consecratione accipiunt,* et vi missionis apostolicae, etc. ».

[17] Cf. *C.I.C.,* can. 1326;

PIUS XII, Alloc. *Si diligis... pasce,* 31 maii 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 314-315.

[18] Cf. *C.I.C.,* can. 228, § 1.

[19] Cf. *Conc. Vat. I,* Const. *Dei Filius,* cap. 3: DENZ. 1792; *C.I.C.,* can. 1321, § 1.

[20] Cf. apparatum (Primum) *Schema* Const. dogmaticae *de Ecclesia Christi* pro Conc. Vat. I, cap. 9: MANSI 51, 542-543, et *Schema* Const. dogmaticae secundae *de Ecclesia Christi secundum RR. PP. animadversiones reformatum,* cap. 7: MANSI 53, 313.

Formula ipsa qua indicatur obiectum secundarium magisterii authentici desumpta est a textu in quo Rev.mus D. GASSER explicat obiectum secundarium magisterii Summi Pontificis: Cf. MANSI 52, 1226.

[21] In recentioribus documentis magisterii specialiter effertur auctoritas eiusdem in explicanda et applicanda lege naturali, quae ideo hic memoratur quia in hodiernis adiunctis maiorem parit difficultatem et maximam necessitatem habet.

Cf. LEO XIII, Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: *A.S.S.,* 22 (1889/90), pp. 395-398;

PIUS XI, Encycl. *Quadragesimo anno,* 15 maii 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), pp. 190-191;

PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus* in quinquagesimo anniversario Encycl. *Rerum novarum,* 1 iun. 1941: *A.A.S.,* 33 (1941), pp. 196-197;

ID., Alloc. *Magnificate Dominum mecum,* 2 nov. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 671-673.

Verba textus desumuntur fere ad litteram ex Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: *A.A.S.,* 22 (1930), pp. 53-54, ubi citantur et adprobantur haec verba S. P. PII X: « [Ecclesia] columna et firmamentum veritatis a Divino suo Auctore fuit constituta, ut omnes homines divinam edoceat fidem, eiusque depositum sibi traditum integrum inviolatumque custodiat, ac homines eorumque consortia et actiones ad morum honestatem vitaeque integritatem iuxta revelatae doctrinae normam dirigat et fingat ».

[22] Cf. IOANNES XXIII, *Nuntius Radiophonicus,* 18 februarii 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 147.

[23] Cf. PIUS XII, Alloc. *Si diilgis... pasce,* 31 maii 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 314-315.

[24] Cf. documenta iam citata nota 14. Praeterea:

PIUS IX, Epist. *Tuas libenter,* 21 dec. 1863: *Pii IX P. M. Acta,* Pars I, vol. V, pp. 642-643 (cf. etiam DENZ. 1684);

S. PIUS X, Decretum *Lamentabili,* 3 iul. 1907, prop. 7-8: *A.S.S.,* 40 (1907), p. 471 (cf. etiam DENZ. 2007-2008);

ID., Motu proprio *Praestantia Scripturae,* 18 nov. 1907: *A.S.S.,* 40 (1907), p. 724.

[25] Cf. PIUS XII, Alloc. *Si diligis... pasce,* 31 maii 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 315-316.

[26] Cf. PIUS IX, Epist. *Tuas libenter,* 21 dec. 1863: *Pii IX P. M. Acta,* Pars I, vol. V, pp. 642-643 (cf. etiam DENZ. 1683-1684).

[27] Cf. PIUS XII, Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 567-569.

[28] Cf. PIUS XI, Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 decembris 1935: *A.A.S.,* 28 (1936), pp. 7, 15-16;

C.I.C., can. 1329.

[29] Cf. *C.I.C.,* can. 1347, §§ 1-2.

[30] Cf. LEO XIII, Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ianuarii 1890: *A.S.S.,* 22 (1889/90), pp. 390-392.

[31] Cf. *C.I.C.,* Liber III, Titulus XXIII.

[32] Cf. PIUS XII, Alloc. *Si diligis... pasce,* 31 maii 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 315-317.

COMMENTARIUS

Circa magisterium Ecclesiae haec sunt quae in Votis Episcoporum, Congregationum Romanarum et Facultatum ecclesiasticarum praecipue proponebantur a Concilio determinanda:

a) Declaratio de relatione inter infallibilitatem Romani Pontificis et totius Ecclesiae docentis (ita Episcopi plurimi, Sacra Congr. de Seminariis et Universitatibus Studiorum; Pont. Univ. Gregoriana). « Immo utile videtur etiam agere de connexione inter infallibilitatem Ecclesiae hierarchicae et infallibilitatem Ecclesiae credentis, ut exponantur omnia elementa sese invicem complentia, doctrinae de infallibilitate Ecclesiae » (Pont. Univ. Gregoriana);

b) Declaratio de auctoritate magisterii ordinarii sive Romani Pontificis sive Episcoporum, et praesertim de auctoritate doctrinali Litterarum Encyclicarum atque de assensu ipsis debito (ita Episcopi plurimi; Sacra Congregatio S. Officii; Sacra Congregatio de Seminariis et Stud. Univ.);

c) Declaratio relationum intercedentium inter officia et munera theologorum et magisterium Ecclesiae authenticum (ita Episcopi plurimi, praesertim Galliae; Sacra Congregatio S. Officii; Sacra Congregatio de Seminariis et Univ.);

d) Declaratio de extensione obiecti secundarii magisterii Ecclesiae, et de eius delimitatione (ita plures Episcopi; Pont. Univ. Gregoriana);

e) Declaratio de oboedientia omnium fidelium, etiam laicorum, erga Ecclesiae magisterium authenticum (Episcopi plures);

f) Declaratio quaedam de munere parochorum, praedicatorum, fidelium omnium in magisterio Ecclesiae.

Caput *De Ecclesiae Magisterio* compositum est ut plene fiat satis istis postulationibus, et exinde diiudicandae sunt doctrina et structura illius. Quae ut bene intelligantur haec notanda sunt in sequentes paragraphos:

1. [*De exsistentia et natura magisterii authentici*].

Tria declarantur:

a) indefectibilitas universalis Ecclesiae in profitenda et praedicanda veritate revelata;

b) huius indefectibilitatis causa proxima: nempe exsistentia magisterii authentici et infallibilis;

c) et causa suprema: nempe actio illuminativa Christi Domini et assistentia Spiritus Sancti, quae per magisterium Ecclesiae authenticum universam Ecclesiam in evangelica veritate conservant, absque novis revelationibus quidem sed non sine profundiore, progressu temporis, intelligentia et propositione eiusdem veritatis.

2. [*De subiecto magisterii authentici*].

Exponitur doctrina de organis magisterii authentici ex iure divino, cum propria uniuscuiusque competentia et auctoritate.

In prima paragrapho delineantur etiam relationes inter magisterium Pontificis et Episcoporum; in ultima vero effertur vis et auctoritas magisterii ordinarii, ut fere ab omnibus postulatur.

3. [*De obiecto magisterii authentici*].

Declarantur obiectum primarium et secundarium magisterii. Circa hoc vero non visum est omnes casus enumerare hucusque a theologis consideratos; sed satis esse, sicut iam parabatur in Concilio Vaticano I, ut proponatur principium generale, de cuius applicatione ipsum magisterium iudicat.

Sed, ex alia parte, videtur opportuna in hodiernis adiunctis declaratio explicita de auctoritate magisterii authentici Ecclesiae in interpretanda et applicanda lege naturali, quia in hac provincia maxima habetur difficultas etiam inter quosdam Ecclesiae filios; itemque declaratio de competentia magisterii Ecclesiae ad diiudicanda omnia « phaenomena » religiosa, vel quae ut talia portenduntur, sive in Ecclesia sive extra Ecclesiam, quia maximi momenti est ut in tuto ponatur essentialis distinctio Revelationis publicae ab omnibus aliis factis religiosis.

4. [*De organis subsidiariis magisterii authentici*].

Statuuntur principia dogmatica de auctoritate istorum, relinquendo omnes determinationes iuridicas sive Iuri Canonico, sive propriis decretis Sanctae Sedis, quae pro diversitate temporum aliam disciplinam proponere potest.

5. [*De munere et auctoritate theologorum*].

Intentio huius paragraphi non est omnia exponere quae de munere theologorum dici possunt, sed ea tantum declarare in quibus ipsi theologi magisterio Ecclesiae inserviunt, et eorumdem auctoritatem propriam dum haec munera adimplent; et exinde peculiarem eorum dependentiam essentialem ab Ecclesiae magisterio in munere suo exercendo.

Iuxta documenta Ecclesiae vero, duo distinguuntur classes seu categoriae doctrinarum theologicarum, quarum auctoritas respectiva declaratur:

a) sunt enim doctrinae vel sententiae theologicae, quae ab omnibus theologis proponuntur ut « doctrina certa » sed absque peculiari censura, circa quas Ecclesiae magisterium non requirit omnimodam adhaesionem, sed potius obsequiosum respectum tamquam probatae et venerandae theologicae traditioni, usquedum solida argumentatio aliam probaverit esse veritatem (puta de interpretatione primi capitis Geneseos per longa saecula);

b) sunt vero doctrinae vel sententiae theologicae quae a theologis proponuntur « communi et constanti consensu » tamquam tali modo connexae cum deposito fidei ut sine temeritate vel errore in fide negari nequeant. Istae sententiae, eo ipso quod invigilante magisterio authentico tali modo proponuntur a theologis, proponuntur indirecte etiam ab ipso magisterio, quod theologis committit ut suo nomine doctrinaliter Ecclesiam doceant. Cf. Votum Universitatis Lateranensis de necessitudine inter Magisterium Ecclesiae et sacram theologiam.

6-7. [*De magisterii in pastorali munere auxiliaribus et de cooperatione omnium fidelium ad Ecclesiae magisterium*].

Non omnia quae dici possunt de his argumentis hic proponuntur, sed ea tantum quae maiorem declarationem doctrinalem in hodiernis adiunctis exigere videntur, nempe:

a) auctoritas ministrorum verbi Dei erga omnes fideles cuiuscumque intellectualis culturae, eiusque fundamentum sive supernaturale (participant enim donum praedicationis fidei « in Spiritu et virtute », quod Ecclesiae competit ad efformandam fidem fidelium), sive iuridicum in missione praedicandi ab Ecclesiae magisterio accepta;

b) officium et cooperatio fidelium in magisterio Ecclesiae pastorali, eorum praesertim quibus competit educatio iuventutis: isti vocantur enim ad cooperandum cum Ecclesia in christiana educatione puerorum, vel ex natura rei ut parentes christiani, vel ex explicito mandato Ecclesiae ut catechetae, etc., vel ex iure Ecclesiae erga filios suos quam ipsi apud discipulos repraesentant; ideoque ad officium suum adimplendum et isti omnes peculiari dono supernaturali adiuvantur;

c) tandem officium omnium fidelium, eorum praesertim qui peculiaribus donis intellectualis culturae ditantur, atque relationes eorum sive ad Ecclesiae magisterium authenticum sive ad traditionem theologicam.

Quae omnia proponuntur stylo quodam pastorali ne textus dogmaticus nimis iuridice appareat.

Caput 8

DE AUCTORITATE ET OBOEDIENTIA IN ECCLESIA

1. [*De crisi et vera notione auctoritatis*]. Sacrosancta Synodus, divinae veritatis et legis custodiendae in hodiernis adiunctis sollicita, vehementi afflictione percellitur videns in mundo quandam adesse crisim auctoritatis, tum ex erroneis doctrinis et spiritu insubordinationis exortam, tum quandoque ex non bene intellecta et male exercita potestate; quae crisis in nonnullos quoque Ecclesiae filios penetrare contendit.[1] Quae omnia, pro sua docendi obligatione corrigere volens, ea quae sequuntur principia, e lege evangelica et catholica traditione deprompta, ab omnibus christifidelibus retineri et, prout ipsis quibusque competit, in praxim deduci vult.

Omnis potestas legitima a Deo est (cf. *Rom.* 13, 1), et vim obligandi in conscientia nomine Dei habet non ex scientia, prudentia, vel quacumque qualitate praepositorum, sed ex voluntate Dei.[2] Ideo qui legitimae potestati in legitimo suae auctoritatis exercitio resistit, « Dei ordinationi resistit » (*Rom.* 13, 2).

2. [*De origine et natura auctoritatis in Ecclesia*]. Omnis potestas legitima in Ecclesia a Christo est, eiusque regalem potestatem repraesentat, et ad hunc supernaturalem finem ordinatur, quem Ipse suae Ecclesiae commisit, extendendi ad omnes homines universalis redemptionis munera.

Qua supernaturali praerogativa tum auctoritas tum oboedientia in Ecclesia ad altiorem excellentiam et dignitatem elevantur: auctoritatis enim exercitium est humana cooperatio, voluntate Christi imperata et gubernata tamquam humile servitium fratrum praestitum ad supernaturalem redemptionis finem assequendum ab Eo volitum; oboedientia, vero, et ipsa ad eundem finem tendit, tum personalem tum socialem, et supernaturale habet principium, mysterium scilicet Christi Redemptoris per cuius oboedientiam homines iusti constituti sunt (cf. *Rom.* 5, 19). Utriusque vero, tum auctoritatis tum oboedientiae exercitium, Spiritus Sancti gratia adiuvatur ut illum attingat finem verae libertatis filiorum Dei ad quem ordinatur, et sua quaeque ratione, sive in iubendo sive in oboediendo, Christum exemplar valeat imitari. Omnibus enim christifidelibus omnium temporum et cuiuscumque conditionis Christus Dominus portenditur imitandus,[3] sive tamquam bonus pastor qui venit « non ministrari sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis » (cf. Mt. 20, 28), sive « factus oboediens usque ad mortem ». ut omnes faceret salvos (cf. *Phil.* 2, 8), atque Mariae et Ioseph subditus ut in illorum Dei Patris auctoritatem honoraret (cf. *Lc.* 2, 51).

Errant igitur qui docent nullam in Ecclesia Christi potestatem adesse nisi ipsum Christum eiusque divinam legem; errant qui docent christianam oboedientiam cum dignitate hominis et iuribus personae liberae, vel cum

libertate filiorum Dei componi non posse; vel qui docent quosdam esse christianos homines, qui ob peculiaria charismata vel speciales missiones, quae tamquam a Deo accepta sibi vindicant, ecclesiasticae hierarchiae a Christo institutae parere non teneantur; errant qui tenent legitimam auctoritatem imperandi ius non habere, nisi causa cum subditis discussa in idem placitum conveniant;[4] vel nullum auctoritatis iussum esse legitimum, nisi in casu optimum videatur;[5] vel qui tenent subditorum esse ultimum ferre iudicium de necessitate vel opportunitate eorum quae praecipiuntur ad Ecclesiae finem et commune bonum.

3. [*De relatione inter praepositos et subditos et de iure criticae liberae*]. Ex his fidei et rectae rationis principiis mutua illuminantur officia et iura, quae tum praepositis tum subditis in Christi Ecclesia competunt.

Omnes praepositi in bonum communitatis et animarum positi sunt, nullamque legitimam auctoritatem habent, quae non a Christo Domino originem ducat et iuxta instituta Ipsius sit exercenda. Ideo in suae potestatis exercitio divinam legem, tum naturalem tum positivam, adamussim cognoscere et sequi debent; leges et constitutiones Ecclesiae tam generales quam particulares fideliter observare, nec suae potestatis fines superare; fidelis oboedientiae erga superiores suos subditis exemplum praebere; aptis mediis pro gravitate rerum prudens iudicium sibi efformare de illis quae iubere intendunt, adhibitis praesertim consiliariis qui ex officio vel ex natura rei sunt aptiores; immo recusare non debent, ut rectum iudicium sibi efformare valeant, subditorum etiam mentem audire. Christi auctoritate ornati, sciant se induere debere etiam imaginem boni Pastoris; subditos sincera caritate diligant, et studeant plus amari quam timeri,[6] semper memores subditorum et praepositorum unum esse Dominum in caelis, apud quem nulla est acceptio personarum (cf. *Eph.* 6, 9).

Subditi vero in praepositis suis, in illis auctoritatibus praesertim, quae a Christi Domini institutione originem ducunt, Christum oculis fidei semper inspicere debent, eisque oboedire « in simplicitate cordis, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo » (*Eph.* 6, 5-6).

Subditi et ipsi, pro scientia, competentia in rebus, et auctoritate qua pollent facultatem habent, immo aliquando et officium, suam sententiam declarandi in iis quae ad Ecclesiae vel suae communitatis bonum pertinent. Hoc tamen inceptum, ut christiano more adimpleatur, ante omnia per praescripta Ecclesiae instituta, si quae adsint, est exercendum; semper vero cum christiana prudentia, veracitate, humilitate, fortitudine et caritate, et debita reverentia servata erga illos qui Pastorem Christum repraesentant etiam cum Illum non perfecte imitantur.[7] Cum vero legitima auctoritas aliquid iusserit, tum omnes qui christiano spiritu ducuntur, nedum liberae criticae aditum aperiant, in id potius intendant ut proprium iudicium de agendis iudicio superioris submittant, atque prompta voluntate oboedientes praecepta executioni mandent.[8]

Publica denuntiatio malorum quae in Ecclesia contingunt, per scripta praesertim, probari non potest nisi servato ordine a Christo Domino commendato (cf. *Mt.* 18, 15-17), quantum fieri potest vitato scandalo, et reverentia erga auctoritatem servata, ita ut non in destructionem sed in aedificationem fidei et disciplinae cedat. Nulla vero malorum Ecclesiae publica denuntiatio admitti potest, quae essentialem indefectibilitatem Sponsae Christi in missione sua salvifica adimplenda in dubium revocet.

4. [*De opinione publica in Ecclesia*]. Ne Ecclesiae natura et ratio cum civilis societatis perperam confundantur, haec retinenda sunt quod attinet ad valorem et ius opinionis publicae in ea.

Est quidem in Ecclesia Christi, ut bene notum est, quidam supernaturalis sensus fidei populi christiani, qui semper bonus est et indefectibilem peculiaremque proprietatem constituit catholicae Ecclesiae: ex alto provenit, et nihil aliud est quam consensus fidelium et pastorum in rebus fidei et morum, authentico magisterio gubernatus. Ultimatim exsuscitatur a Spiritu Sancto, qui, dum eidem magisterio assistit in catholica doctrina proponenda, idem in fidelibus operatur ut doctrinam propositam oboedienti animo accipiant, recte intelligant, et profundius scrutentur; eoque plurimum divina missio salvifica Ecclesiae adiuvatur.[9]

Alia vero est opinio publica, quae in ordine agendi versatur, et est spontanea et vitalis quaedam reactio fidelium ad ea omnia quae, sive in singulis communitatibus, sive in universali Ecclesia eveniunt.[10]

Eius tamen singulae manifestationes erunt providae vel imprudentes, immo etiam erroneae et malae, prout procedunt a vera cognitione rerum et spiritu vere catholico, an non. Quare, sicut sana opinio publica bonum Ecclesiae promovere potest, et a pastoribus Ecclesiae in suo regimine exercendo magni facienda est, et non solum toleranda; sic opinio publica, quando sive debita scientia rerum, sive spiritu sentiendi cum Ecclesia destituitur, res est Mystico Corpori Christi funesta, et aptis remediis emendanda.

Pastores Ecclesiae satagere quidem debent ut aequo animo causas ab omnibus, et a rerum peritis praesertim, prolatas iudicent; sed reprobanda est omnino illorum sententia, qui tenent praepositos in Ecclesia publicam opinionem necessario et semper consulere debere, vel ad mentem maioris partis fidelium omnia diiudicare et disponere. Sacrosancta Synodus denique sententiam reprobat, quae tenet in Ecclesia inconsulte appellari posse ad opinionem publicam ut decretorum Sacrae Hierarchiae mutatio obtineatur.

NOTAE

[1] Cf. PIUS XII, Alloc. *Si diligis... pasce,* 31 maii 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 314;

ID., Alloc. *Magnificate Dominum mecum,* 2 nov. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 673-674.

Plura de his rebus videri possunt in thesi Pont. Univ. Gregorianae: R. TOR-

RELLA CASCANTE, *Lo humano y lo divino en la Iglesia.* Aspectos del reformismo católico contemporáneo, Romae, 1958.

[2] Cf. *I Pt.* 2, 13-17, et explicationem theologicam de natura oboedientiae apud S. THOMAM, *Summa Theol.* II-II, q. 104.

[3] Cf. LEO XIII, Epist. *Testem benevolentiae,* ad Card. GIBBONS, 22 ian. 1899: *A.S.S.,* 31 (1898/99), p. 476: « Magister et exemplar sanctitatis omnis Christus est; ad cuius regulam aptari omnes necesse est, quotquot avent beatorum sedibus inseri ».

PIUS XI, Encycl. *Casti connubii,* 31 dec. 1930: *A.A.S.,* 22 (1930), p. 548.

[4] Cf. PIUS XII, Alloc. *Congregationi generali Societatis Iesu,* 10 sept. 1957: *Discorsi e Radiomessaggi di S. S. Pio XII,* XIX, pp. 384-385.

[5] Cf. PIUS XII, Alloc. *Magnificate Dominum mecum,* 2 nov. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 672.

[6] *Regula* S. Patris Benedicti, cap. LXIV; cf. etiam S. AUGUSTINI *Regula* ad Servos Dei, XI: *PL* 32, 1384.

Cf. PIUS XII, Alloc. *Magnificate Dominum mecum,* 2 nov. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 675-676.

[7] Cf. LEO XIII, Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ianuarii 1890: *A.S.S.,* 22 (1889/90), pp. 400-401.

[8] Cf. LEO XIII, Epist. *Epistula tua,* ad Card. Guibert, 17 iun. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885), pp. 3-8;

PIUS XII, Alloc. *Magnificate Dominum mecum,* 2 nov. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 673-675.

[9] Cf. PIUS XII, Bulla dogmatica *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 756.

Intentio paragraphi non est proponendi omnia quae proponi possunt de natura sensus fidei populi christiani, sed ea tantum quae necessaria sunt ut clare distinguatur a « publica opinione », sic dicta, quae circa agenda versatur.

[10] Cf. PIUS XII, Alloc. *L'importance de la presse,* 17 febr. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 256.

CAPUT 9

DE RELATIONIBUS INTER ECCLESIAM ET STATUM NECNON DE TOLERANTIA RELIGIOSA

1. [*Principium: Distinctio inter Ecclesiam et Societatem civilem, et subordinatio finis Civitatis fini Ecclesiae*]. Homo a Deo destinatus ad finem supernaturalem indiget tum Ecclesia, tum Societate civili ad plenam perfectionem assequendam. Dum autem Societati civili, cui homo adscribitur vi indolis suae socialis, competit, ut bonis terrenis intenta, finem assequatur illum, quo cives hisce in terris « quietam et tranquillam vitam » peragere queant (cf. *I Tim.* 2, 2): Ecclesia, cui homo incorporetur necesse est vi supernaturalis suae vocationis, a Deo condita est ut, semper magis ac magis sese extendendo, doctrina, sacramentis, oratione et legibus fideles conducat ad finem sempiternum.[1] Utraque haec societas ditata est facultatibus ad

propriam cuiusque missionem rite explendam necessariis; utraque quoque perfecta est, id est in suo ordine suprema ideoque alii non subiecta, instructa potestate legifera, iudiciaria et exsecutiva.[2] Quae distinctio utriusque civitatis, ut constans docet traditio, verbis Domini innuitur: « Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo » (*Mt.* 22, 21).

Cum vero ambae societates potestates suas exerceant erga easdem personas neque raro circa eadem obiecta, sese inter se negligere non possunt, immo harmonice procedant omnino oportet, ut haud minus ipsae prosperent quam sodales communes.[3]

Sacra Synodus, docere intendens quaenam relationes inter utramque potestatem ex natura utriusque vigere debeant, imprimis statuit firmiter esse tenendum tam Ecclesiam quam Societatem civilem constitutas esse ad hominis utilitatem;[4] temporalem autem felicitatem, quam Potestas civilis curare debet, homini nihil valere si perdat animam suam (cf. *Mt.* 16, 26; *Mc.* 8, 36; *Lc.* 9, 25). Quare finem Societatis civilis numquam esse appetendum excluso vel laeso fine ultimo:[5] salute videlicet aeterna.

2. [*De potestate Ecclesiae eiusque limitibus, et de officiis Ecclesiae erga Potestatem civilem*]. Cum igitur Ecclesiae potestas sese extendat ad omnia quibus ab hominibus salus aeterna attingitur; ea vero quae tantum ad felicitatem temporalem pertinent sub auctoritate civili ut talia posita sint: idcirco Ecclesia temporalia non curat nisi quatenus ad finem supernaturalem ordinentur. In his vero quae tam ad Ecclesiae quam ad Civitatis finem ordinantur, ut sunt matrimonium, puerorum educatio et alia huiusmodi, sic iura Potestatis civilis exerceantur, ut, iudicio Ecclesiae, bona superiora ordinis supernaturalis detrimentum non patiantur. In aliis vero temporalibus quae, salva lege divina, variis modis recte obtineri vel fieri possunt, Ecclesia nullo modo sese immiscet. Custos iuris sui, observantissima alieni, non ad se putat Ecclesia pertinere, quae maxime forma civitatis placeat, quibus institutis res christianarum gentium civilis geratur: ex variisque reipublicae generibus nullum non probat, dum religio morumque disciplina salva sit.[6] Sicut enim suae libertati Ecclesiae non renuntiat, sic non impedit quominus Potestas civilis suis iuribus et legibus libere utatur.[7]

Quanta bona missionem suam adimplendo Societati civili Ecclesia procuret, Rectores gentium agnoscant.[8] Ipsa enim Ecclesia cooperatur ut virtute et pietate christiana, boni fiant cives, qui si tales sunt quales esse praecipit doctrina christiana, Augustino teste, sine dubio magna erit reipublicae salus.[9] Civibus quoque imponit ut legitimis ordinationibus obtemperent « non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam » (*Rom.* 13, 5).[10] Illos vero quibus reipublicae gubernatio concredita est, monet ne dominandi cupiditate, sed boni civium gratia illud munus exerceant, tamquam Deo reddituri rationem (cf. *Hebr.* 13, 17) de divinitus tradita sibi potestate.[11] Legum tandem tam naturalium quam supernaturalium observantiam inculcat, quibus totus ordo civilis tam inter cives quam inter gentes in pace et iustitia componatur.[12]

3. [*Officia religiosa Potestatis civilis*]. Potestas civilis erga religionem indifferens esse nequit. A Deo cum instituta sit, ut homines iuvet ad perfectionem vere humanam acquirendam, non solum sociis facultatem sibi procurandi bona temporalia, sive materialia, sive humaniora praebere debet, sed etiam adiuvare ut bona spiritualia ad vitam humanam religiose peragendam facilius affluere queant. Inter bona autem ea nihil capitalius exsistit quam cognoscere et agnoscere Deum, et adimplere officia Deo debita: fundamentum enim sunt omnis virtutis privatae, immo et publicae.[13]

Quae officia Deo debita divinae Maiestati reddenda sunt non tantum a singulis civibus, sed etiam a Potestate civili quae in actis publicis Societatis civilis personam gerit. Deus etenim est auctor Societatis civilis et fons omnium bonorum quae per ipsam in omnia membra profluunt. Societas civilis ergo Deum honorare et colere debet.[14] Modus autem quo Deus colendus sit nullus alius esse potest in praesenti oeconomia quam ille quem ipse sibi exhibendum determinavit in vera Christi Ecclesia. Cultui ergo publico ab Ecclesia praestito Civitas sese associare debet non tantum per cives, sed etiam per illos qui auctoritate praediti Societatem civilem repraesentant.[15]

Quod vero Potestas civilis cognitione verae Christi Ecclesiae gaudere possit, patet ex manifestis divinae institutionis missionisque signis quibus a divino suo Fundatore Ecclesia est instructa.[16] Ideo Potestati civili, et non tantum singulis civibus, revelationem ab ipsa Ecclesia propositam suscipiendi officium incumbit. Item sese in legibus condendis praeceptis legis naturalis conformare debet et rationem debitam habere legum positivarum, tam divinarum quam ecclesiasticarum, quibus homines ad beatitudinem supernaturalem perducantur.[17]

Sicut autem nullus homo Deum modo a Christo stabilito colere potest, nisi sibi constet Deum per Iesum Christum esse locutum,[18] sic etiam Societas civilis id facere nequit nisi prius de facto revelationis cives sint certi, ac Potestas civilis quatenus populum repraesentat.

Modo autem peculiari Potestas Civilis plenam Ecclesiae libertatem tueri debet, nec ullo modo impedire quominus integram missionem adimplere possit sive in sacro magisterio exercendo, sive in cultu dirigendo et peragendo, sive in sacramentis ministrandis, fidelibusque pascendis. Libertas Ecclesiae a Potestate civili agnosci debet in omnibus quae ad eius missionem referuntur, nominatim in sacris alumnis vocandis et efformandis, in Episcopis eligendis, in libera et mutua communicatione inter Pontificem Romanum et Episcopos fidelesque, in religiosae vitae formis condendis et gubernandis, in scriptis edendis et diffundendis, in bonis temporalibus possidendis et administrandis necnon — universim loquendo — in omnibus coeptis istis, quae Ecclesia, iuribus civilibus non neglectis, idonea existimat ad homines versus finem ultimum dirigendos, non exceptis instructione profana, operibus socialibus, multifariisque aliis mediis.[19]

Tandem Potestati civili grave onus incumbit, excludendi a legislatione,

regimine et actione publica omne illud quo assecutionem finis aeterni impediri Ecclesia iudicet; immo intendere debet, ut facilior reddatur vita principiis christianis innixa finique illi sublimi ad quem Deus homines creavit quam maxime congruens.[20]

4. [*Principium generale de applicanda doctrina exposita*]. Pro ratione qua Potestas civilis personam populi agens Christum cognoscit et ab eo conditam Ecclesiam, aliter et aliter ad invicem referri potestatem ecclesiasticam et potestatem civilem, Ecclesia semper agnovit .

5. [*Applicatio in Civitate catholica*]. Integra doctrina, supra a Sancta Synodo exposita, applicari non potest nisi in civitate, in qua cives non tantum baptizati sunt, sed fidem profitentur catholicam. Quo in casu, ipsi cives sunt qui libere eligunt ut vita civilis secundum principia catholica informetur, ideoque secundum verba sancti Gregorii Magni: « caelorum via largius pateat ».[21]

At etiam faustis in illis conditionibus, Potestati civili nulla ratione licet conscientias cogere ad fidem acceptandam divinitus revelatam. Est enim fides essentialiter libera, nec potest alicuius coactionis obiectum esse, ut docet Ecclesia iuxta illud: « Ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur ».[22]

Quod autem non impedit, quominus potestas civilis conditiones intellectuales, sociales et morales procurare debeat quibus fideles etiam scientia minus exculti in fide accepta facilius perseverent. Quam ob rem, sicut Potestas civilis publicam moralitatem tueri a se alienum non putat, ita ad tutandos cives ab errorum seductionibus, ad ipsam Rempublicam in unitate fidei conservandam, quod est bonum summum, et beneficiorum plurium etiam temporalium fons, Potestas civilis de se aliorum cultuum publicas manifestationes temperare potest, et contra diffusionem falsarum doctrinarum quibus, iudicio Ecclesiae, salus aeterna in periculum vocatur, cives suos defendere.[23]

6. [*Tolerantia religiosa in Civitate catholica*]. Qua in praeservatione verae fidei procedendum est secundum postulata christianae caritatis et prudentiae, ne dissidentes ab Ecclesia absterreantur, sed potius ad ipsam alliciantur nec Civitas nec Ecclesia detrimentum patiantur. Ideoque semper prae oculis est habendum tum bonum commune Ecclesiae, tum bonum commune Reipublicae quibus Potestati civili, secundum rerum adiuncta, iusta tolerantia, legibus quoque sancienda, imponi potest, tum ad maiora mala vitanda ut sunt scandalum vel dissidium civile, impedimentum conversionis ad veram fidem, et alia huiusmodi, tum ad procurandum maius bonum, ut sunt cooperatio civilis et pacifica conviventia concivium religione inter se dissidentium, maior libertas Ecclesiae et efficacior adimpletio eius supernaturalis missionis et alia similia.[24] Qua in re non solum boni ordinis nationalis, sed etiam boni Ecclesiae universalis bonique communis internationalis est ratio habenda.[25] Hac sua tolerantia Potestas civilis catholica divinae Providentiae exemplum imitatur quae mala non impedit ex quibus

maiora bona trahat.[26] Quod praecipue est observandum in regionibus illis, in quibus iam a saeculis exsistunt acatholicorum communitates.[27]

7. [*Applicatio in Civitate non catholica*]. In illis civitatibus, in quibus magna pars civium catholicam non profitentur fidem, vel nec cognoscunt quidem factum revelationis, Potestas civilis non catholica, in re religiosa, praeceptis saltem legis naturalis sese conformare debet.[28] Quibus in adiunctis a Potestate illa non catholica omnibus cultibus religioni naturali non oppositis libertas civilis concedenda est. Libertas autem illa tunc principiis catholicis non adversatur, utpote tam bono Ecclesiae quam reipublicae conveniens. In civitatibus illis, in quibus Potestas religionem non profitetur catholicam, civibus catholicis praecipue officium incumbit, civilibus suis virtutibus et actionibus quibus una cum concivibus commune reipublicae bonum promovent, obtinendi ut Ecclesiae divinam suam missionem adimplendi plena concedatur libertas.[29] Ex libera enim actione Ecclesiae Civitas quoque non catholica nullum detrimentum patitur, sed etiam multa bona et praeclara trahit. Ideoque cives catholici conari debent, ut Ecclesia et Potestas civilis etsi adhuc iuridice seiunctae, mutue sibi praestent benevolum auxilium.

Ne socordia vel zelo imprudenti cum Ecclesiae tum reipublicae noceant, cives catholici in Dei Ecclesiaeque iuribus vindicandis, obsequantur oportet iudicio auctoritatis ecclesiasticae cuius est de bono Ecclesiae secundum varia rerum adiuncta iudicare,[30] catholicosque cives dirigere in actionibus illis civilibus quibus altare defenditur.[31]

8. [*Conclusio*]. Sancta Synodus agnoscens principia de mutua relatione potestatis ecclesiasticae et potestatis civilis non esse nisi cum moderamine supra exposito applicanda, tamen permittere nequit, ut eadem falso quodam laicismo, etiam sub praetextu boni communis, obscurentur. Innituntur enim iuribus Dei absolute firmis, constitutione et missione Ecclesiae immutabilibus, natura quoque sociali hominis, quae per omnia tempora semper eadem manens, finem essentialem ipsius societatis civilis determinat, non obstantibus regiminum politicorum diversitatibus aliisque rerum vicissitudinibus.[32]

NOTAE

[1] LEO XIII, Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885), p. 166: DENZ. 1866;

PIUS IX, Encycl. *Etsi multa luctuosa,* 21 nov. 1873: *A.S.S.,* 7 (1872), p. 471: DENZ. 1841.

[2] BENEDICTUS XIV, *Ad assiduas,* 4 mart. 1755: *Benedicti XIV Bullarium,* t. IV, Romae 1758, p. 163;

PIUS VI, Const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794: DENZ. 1505;

PIUS IX, Encycl. *Quanta cura,* 8 dec. 1864: *A.S.S.,* 3 (1867), pp. 164-165: DENZ. 1697-1698;

ID., *Syllabus,* 8 dec. 1864, prop. 19: *A.S.S.,* 3 (1867), p. 170; prop. 20: *ibid.;* p. 171; prop. 54: *ibid.,* p. 174: DENZ. 1719, 1720, 1754;

LEO XIII, Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885), p. 174: DENZ. 1869;

C.I.C.: multi canones sunt in quibus indoles Ecclesiae societatis perfectae supponitur ut sunt can. 109, 120, 121, 265, 1160, 1322, § 2, 1495, § 1, 1496, 2214, § 1, 2390;

PIUS XI, Encycl. *Ubi arcano,* 23 dec. 1922: *A.A.S.,* 14 (1922), pp. 697 ss.;

ID., Encycl. *Quas primas,* 11 dec. 1925: *A.A.S.,* 17 (1925), pp. 604 ss.: DENZ. 2197;

ID., Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: *A.A.S.,* 22 (1930), pp. 52-53: DENZ. 2203;

PIUS XII, Alloc. *ad Sacram Romanam Rotam,* 2 oct. 1944: *A.A.S.,* 36 (1944), p. 289;

ID., Alloc. *ad Sacram Romanam Rotam,* 29 oct. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 495;

ID., Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui X internationali de Scientiis Historicis,* 7 sept. 1955: *A.A.S.,* 47 (1955), p. 677.

[3] De necessaria concordia inter utramque societatem:

GREGORIUS XVI, Encycl. *Mirari vos,* 15 aug. 1832: *A.S.S.,* 4 (1868), p. 344: DENZ. 1615;

PIUS IX, Encycl. *Quanta cura,* 8 dec. 1864: *A.S.S.,* 3 (1867), p. 161: DENZ. 1688;

ID., *Syllabus,* 8 dec. 1864, prop. 55: *ibid.,* p. 174: DENZ. 1755;

LEO XIII, Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885), pp. 166, 173: DENZ. 1866-1867;

ID., Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iun. 1888: *A.S.S.,* 20 (1887), pp. 603 et 611.

S. PIUS X, Encycl. *Vehementer Nos,* 11 febr. 1906: *A.S.S.,* 39 (1906), pp. 12-13: DENZ. 1995;

ID., Encycl. *Pascendi,* 8 sept. 1907: *A.S.S.,* 40 (1907), pp. 614-615: DENZ. 2092;

PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: *A.A.S.,* 22 (1930), pp. 55-56: DENZ. 2205;

PIUS XII, Alloc. *ad Populum Romanum,* 20 febr. 1949: *A.A.S.,* 41 (1949), pp. 75-76;

ID., Alloc. *Conventui I universali de catholico laicorum apostolatu,* 14 oct. 1951: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 785;

ID., Alloc. *Sociis Sodalitatis Scriptorum Ephemeridum exterarum Nationum in Urbe degentibus,* 12 maii 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), pp. 399 s.;

ID., Alloc. *Conventui X internationali de Scientiis Historicis,* 7 sept. 1955: *A.A.S.,* 47 (1955), p. 679: In hac Allocutione sese refert explicite PIUS XII ad doctrinam LEONIS XIII citando Encyclicas *Diuturnum illud, Immortale Dei* et *Sapientiae christianae.*

Cum Legati exterarum nationum litteras suas publicas porrigebant, saepe saepius PIUS XII in memoriam revocabat necessariam istam concordiam. Sic inter alia: Legato Italiae, 7 dec. 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), p. 705; Legato Rumeniae, 15 nov. 1940: *A.A.S.,* 32 (1940), p. 501; Legato Argentinae, 22 nov. 1941:

A.A.S., 33 (1941), p. 503; Legato Galliae, 10 maii 1945: *A.A.S.*, 37 (1945), p. 147; Legato Reipublicae Chilensis, 29 ian. 1952: *A.A.S.*, 44 (1952) p. 185.

[4] LEO XIII, Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: *A.S.S.*, 22 (1889/90), p. 385;

PIUS XI, Encycl. *Divini Redemptoris,* 19 mart. 1937: *A.A.S.*, 29 (1937), p. 79;

PIUS XII, Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.*, 31 (1939), p. 433;

ID., *Nuntius Radiophonicus,* 24 dec. 1941: *A.A.S.*, 34 (1942), pp. 12, 14;

ID., Alloc. *Em.mis Cardinalibus recenter creatis,* 20 februarii 1946: *A.A.S.*, 38 (1946), pp. 145 ss.;

ID., Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui I Internationali de Histopathologia Systematis nervorum,* 13 sept. 1952: *A.A.S.*, 44 (1952), p. 786.

Haec doctrina de Ecclesia explicite proponitur a Pio XI, Praedicatoribus tempore Quadrages.: *Civiltà Cattolica,* 78, vol. I (1927), pp. 554-555;

PIUS XII, Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.*, 35 (1943), pp. 222 ss.

[5] LEO XIII, Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.*, 18 (1885), p. 164: « Civilem igitur societatem communi utilitate natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet umquam incommodi, sed omnes quascumque possit, opportunitates afferat »;

ID., Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iun. 1888: *A.S.S.*, 20 (1887), p. 595;

S. PIUS X, Encycl. *Vehementer Nos,* 11 febr. 1906: *A.S.S.*, 39 (1906), p. 5: De lege gallica qua Status ab Ecclesia separatur scribitur: « ... actionem civitatis sola vitae mortalis prosperitate metitur, in qua consistit causa proxima civilis societatis: causam ultimam civium, quae est sempiterna beatitudo extra hanc brevitatem vitae hominibus proposita, tamquam alienam rei publicae, plane negligit. Quod contra, ad adeptionem summi illius absolutique boni, ut hic totus est fluxarum rerum ordo dispositus, ita verum est rempublicam non modo non obesse, sed prodesse oportere »;

PIUS XII, Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.*, 31 (1939), p. 433: inter finem Status ponit: « utque cives adiuvet ad supernum sibi destinatum finem assequendum »;

IOANNES XXIII, Encycl. *Grata recordatio,* 26 sept. 1959: *A.A.S.*, 51 (1959), p. 676.

[6] LEO XIII, Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: *A.S.S.*, 22 (1889-90), p. 396.

[7] Articulus primus Cleri Gallicani ut irritus declaratus a Constitutione *Inter multiplices* ALEXANDRI VIII, 4 aug. 1690: DENZ. 1322;

De novo damnatus in Const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794, inter errores pseudo-Synodi Pistoriensis a Pio VI: DENZ. 1598-1599;

PIUS IX, Damnatio propositionis Ioannis Nep. Nuytz *Ad Apostolicae,* 22 aug. 1851: (*Pii IX P. M. Acta,* Par. I, Vol. I, p. 287) quae invenitur in *Syllabus,* 8 dec. 1864, prop. 24: *A.S.S.*, 3 (1867), p. 171: DENZ. 1724;

LEO XIII, Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.*, 18 (1885/86), pp. 166-167: DENZ. 1866: « Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo

sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae », refertum a Pio XII in Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui X Internationali de Scientiis Historicis,* 7 sept. 1955: *A.A.S.,* 47 (1955), pp. 677-678.

Inde ius competit Ecclesiae de legibus civilibus iudicare sub aspectu religioso: Leo XIII, Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: *A.S.S.,* 22 (1889/90), p. 397.

In Epistola conscripta a Card. Merry del Val *ad Em.mum Cardinalem Sevin,* Lugdunensem Archiepiscopum, occasione Congressus Catholicorum Iurisconsultorum, anno 1913 habiti de hac re, commendantur opera Tarquini, Cavagnis et Billot: *A.A.S.,* 5 (1913), p. 559.

Pius XI, Encycl. *Ubi arcano,* 23 dec. 1922: *A.A.S.,* 14 (1922), p. 698;

Pius XII, Alloc. *Cardinalibus et Episcopis,* 2 nov. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 671-673;

Id., Alloc. *Sociis Sodalitatis Scriptorum Ephemeridum exterarum Nationum in Urbe degentibus,* 12 maii 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), p. 400.

[8] A Summis Pontificibus saepe ex tempore Conversionis rerum politicarum in Gallia docentur pericula civitati eminentia ex neglectu religionis et legis Christi.

Citantur ad exemplum:

Pius VI, Alloc. *in Consistorio,* 29 mart. 1790. Citantur: S. Aug. *Epist. ad Marc.* 138, 15: *PL* 33, 532 et *Contra Faustum,* 21, 14: *PL* 42, 398;

Id., *Epist. ad Lud. XVI,* 17 aug. 1790;

Id., post exsecutionem Ludovici XVI;

Gregorius XVI, Encycl. *Mirari vos,* 15 aug. 1832: *A.S.S.,* 4 (1868), p. 343, cum citatione S. Aug. *In Ps.* 124, 7: *PL* 37, 1654;

Pius IX, Encycl. *Quanta cura,* 8 dec. 1864: *A.S.S.,* 3 (1867), pp. 166-167.

In Schemate apparato pro Conc. Vat. I [Mansi 51, 545 ss.]: virtute et pietate bonos facit cives; in auctoritate divina fundatur officium oboedientiae civilis; principes edocet non ad proprium commodum, sed ad bonum commune ordinari gubernium.

Leo XIII, Encycl. *Diuturnum illud,* 29 iun. 1881: *A.S.S.,* 14 (1881), pp. 3-14, ubi [p. 13] citatur S. Aug. *De moribus Ecclesiae,* I, 30: *PL* 32, 1336;

Id., *Cum multa sint,* 8 dec. 1882: *A.S.S.,* 15 (1882), p. 242: « Nam ubi religio tollatur, vacillare necesse est illorum stabilitatem principiorum, in quibus salus publica maxime nititur quaeque vim a religione capiunt plurimam, cuiusmodi potissimum sunt, iuste moderateque imperare, propter conscientiam officii subesse, domitas habere virtute cupiditates, suum cuique reddere, aliena non tangere ».

Id., Encycl. *Nobilissima Gallorum gens,* 8 febr. 1884: *A.S.S.,* 16 (1883), pp. 242-243;

Id., Encycl. *Humanum genus,* 20 apr. 1884: *Ibid.,* pp. 417-433;

Id., Encycl. *Au milieu des sollicitudes,* 16 febr. 1892: *A.S.S.,* 24 (1891/92), p. 520;

Id., Encycl. *Caritatis,* 19 mart. 1894: *A.S.S.,* 26 (1893/1894), p. 525;

Id., Epist. Apost. *Praeclara gratulationis,* 20 iun. 1894: *A.S.S.,* 26 (1893/94), p. 715;

Id., Epist. *Longinqua oceani,* 6 ian. 1895: *A.S.S.,* 27 (1894/95), p. 389;

ID., Encycl. *Tametsi futura,* 1 nov. 1900: *A.S.S.,* 33 (1900/01), pp. 283-285;

S. PIUS X, Encycl. *Iucunda sane,* 12 mart. 1904: *A.S.S.,* 36 (1903/04), p. 520;

BENEDICTUS XV, Encycl. *Ad Beatissimi,* 1 nov. 1914: *A.A.S.,* 6 (1914), pp. 567-568 et 571;

ID., Epist. *Anno iam exeunte,* ad R. P. Ios. Hiss, Societatis Mariae Praepositum Generalem, 7 mart. 1917: *A.A.S.,* 9 (1917), p. 172;

PIUS XI, Encycl. *Ubi arcano,* 23 dec. 1922: *A.A.S.,* 14 (1922), pp. 683 et 687;

ID., Encycl. *Quas primas,* 11 dec. 1925: *A.A.S.,* 17 (1925), pp. 604-605;

PIUS XII, Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), pp. 423-424;

ID., Alloc. *Puellis ab Actione Catholica ex Italiae dioecesibus,* 6 oct. 1940: *A.A.S.,* 32 (1940), p. 411;

ID., Alloc. *Adulescentibus ab Actione Catholica ex Italiae dioecesibus,* 10 nov. 1940: *Ibid.,* pp. 495-496;

IOANNES XXIII, Encycl. *Ad Petri cathedram,* 29 iun. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 528 et 529: « Atque id potissimum pro certo habendum esse putamus: neglectis nempe, vel proculcatis sacrosanctis Dei religionisque iuribus, ipsa humanae societatis fundamenta serius ocius labare ac pessumdari, secundum sapientissimam Decessoris nostri imm. mem. Leonis XIII sententiam: " Consequens... est, ut vis frangatur legum et omnis debilitetur auctoritas, si summa atque aeterna ratio iubentis vetantis Dei repudietur " [Epist. *Exeunte iam anno,* 25 dec. 1888: *A.S.S.,* 21 (1888), p. 327]. Cui quidem sententiae illud Ciceronis effatum consonat: " Vos, Pontifices... diligentius... urbem religione, quam ipsis moenibus cingitis " [*De nat. deor.* III, 40] ».

[9] S. AUGUSTINUS, *Epist. ad Marcellinum,* 138, 15: *PL* 33, 532: « Proinde qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicae, dent exercitum talem quales doctrina christiana esse milites iussit; dent tales provinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales iudices, tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores, quales esse praecipit doctrina christiana, et audeant eam dicere adversam esse reipublicae; immo vero non dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicae ».

[10] Cf. etiam *Tit.* 3, 1; *I Pt.* 2, 13-15.

[11] Cf. etiam *Sap.* 6, 4-6; *Rom.* 13, 1.

[12] PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus,* 24 dec. 1942: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 10.

[13] LEO XIII, Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iun. 1888: *A.S.S.,* 20 (1887), p. 603: « Cum enim clamet ipsa natura, oportere civibus in societate suppetere copias opportunitatesque ad vitam honeste, scilicet secundum Dei leges, degendam, quia Deus est omnis honestatis iustitiaeque principium, profecto illud vehementer repugnat, posse iisdem de legibus nihil curare, vel etiam quidquam infense statuere civitatem. Deinde qui populo praesunt, hoc omnino rei publicae debent, ut non solum commodis et rebus externis, sed maxime animi bonis, legum sapientia, consulant »;

ID., Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: *A.S.S.,* 22 (1889/90), p. 385;

Id., Encycl. *Au milieu des sollicitudes,* 16 febr. 1892: *A.S.S.,* 24 (1891/92), p. 520.

[14] Leo XIII, Encycl. *Humanum genus,* 20 apr. 1884: *A.S.S.,* 16 (1883), p. 427: « Revera humani generis societas, ad quam sumus natura facti, a Deo constituta est naturae parente: ab eoque tamquam a principio et fonte tota vis et perennitas manat innumerabilium, quibus illa abundat, bonorum. Igitur quemadmodum singuli pie Deum sancteque colere ipsa naturae voce admonemur, propterea quod vitam et bona quae comitantur vitae a Deo accepimus, sic eamdem ob causam populi et civitates »;

Id., Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885), p. 163;

Id., Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iun. 1888: *A.S.S.,* 20 (1887), p. 604: « Quamobrem Deum civilis societas, quia societas est, parentem et auctorem suum cognoscat necesse est, atque eius potestatem dominatumque vereatur et colat »;

Id., Encycl. *Au milieu des sollicitudes,* 16 febr. 1892: *A.S.S.,* 24 (1891/92), p. 520;

S. Pius X, Encycl. *Vehementer Nos,* 11 febr. 1906: *A.S.S.,* 39 (1906), p. 5: « ... qui [Deus] ipse humanae societatis non minus quam hominum singulorum conditor et conservator est; proptereaque non privatim tantummodo colatur necesse est, sed etiam publice »;

Id., Alloc. habita *in Consistorio,* 21 febr. 1906: *Ibid.,* pp. 30-31: « Atqui non singularium modo hominum dominus ac dominator, sed gentium etiam ac civitatum Deus est: quem proinde agnoscere, vereri, colere ipsas nationes, quique illis praesunt, oportet publice »;

Pius XI, Encycl. *Quas primas,* 11 dec. 1925: *A.A.S.,* 17 (1925), p. 609;

Pius XII, Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), pp. 525 ss.

[15] Leo XIII, Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885), pp. 163-164: « ... civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, ... aut asciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat: omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle »;

Pius XI, Encycl. *Quas primas,* 11 dec. 1925: *A.A.S.,* 17 (1925), pp. 601, 609;

Pius XII, Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), pp. 525-526.

[16] Difficultati motae diebus nostris de impossibilitate pro Statu eligendi inter diversos cultus sic solvitur in Encyclica *Immortale Dei*: *l. c.,* p. 164: « Vera autem religio quae sit, non difficulter videt qui iudicium prudens sincerumque adhibuerit; argumentis enim permultis atque illustribus, veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus liquet, eam esse unice veram, quam Iesus Christus et instituit ipsemet et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit »;

Id., Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iun. 1888: *A.S.S.,* 20 (1887), p. 604.

De indifferentismo sub aspectu potius personali loquitur Ioannes XXIII, Encycl. *Ad Petri cathedram,* 29 iun. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 501-502.

[17] Leo XIII, Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888: *A.S.S.,* 20

(1887), pp. 602-603: probat necessariam esse divinae legis positivae observantiam non tantum ab individuis, sed etiam a tota civitate;

ID., Encycl. *Tametsi futura,* 1 nov. 1900: *A.S.S.,* 33 (1900), p. 279;

S. PIUS X, Encycl. *Iucunda sane,* 12 mart. 1904: *A.S.S.,* 36 (1903/4), pp. 521-522.

De necessaria subordinatione Status legibus ecclesiasticis: *Syllabus,* 8 dec. 1864, prop. 42: *A.S.S.,* 3 (1867), p. 172: DENZ. 1742, et prop. 54: *A.S.S., Ibid.,* p. 174: DENZ. 1754.

Circa legem abstinendi ab operibus servilibus certis aliquibus diebus: PIUS IX, Encycl. *Quanta cura,* 8 dec. 1864: *A.S.S.,* 3 (1867), p. 163.

IOANNES XXIII, Encycl. *Princeps Pastorum,* 28 nov. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 860: « Nominatim in iis, quae ad scholae negotia tractanda eamque recte componendam ad subsidia egentium civium classibus disposite impertienda, ad cuiusvis generis operariorum consociationes recte ordinandas, et ad publicam rem administrandam pertinent, catholicorum autochthonum, peritia insignium, praecipue erunt et egregiae partes, si — quemadmodum officii conscientia postulat, a qua sine violatae fidei crimine nequit declinari — in capiendis consiliis rebusque agendis christianae legis ducentur rationibus; quas quidem, ut multis saeculis comprobata experientia docet, maximam vim et momentum habent ad bonum commune comparandum ».

ID., Encycl. *Grata recordatio,* 26 sept. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 676-677: « ... neque immemores sint aeternarum legum, quae a Deo oriuntur, et quae moderandorum populorum fundamenta sunt ac veluti cardines; itemque prae mentis oculis habeant singulos hominum animos, ut a Divino Numine creati sunt, ita ad illud potiundum fruendumque destinari ».

[18] PIUS IX, Encycl. *Qui pluribus,* 9 nov. 1846: DENZ. 1637.

[19] De istis diversis iuribus Ecclesiae sunt diversae propositiones *Syllabus*: Ecclesia societas perfecta dotata suis iuribus independenter a Statu [prop. 19 et 20: *A.S.S.,* 3 (1867/68), pp. 170-171: DENZ. 1719-1720; ius possidendi bona temporalia, prop. 26, p. 171: DENZ. 1726; ius Episcoporum promulgandi Litteras apostolicas absque venia civilis gubernii, prop. 28, p. 171: DENZ. 1728; de immunitatibus ecclesiasticis, prop. 30, 31, 32 et 43, pp. 171 et 172: DENZ. 1730-1732 et 1743; potestas circa sacra, doctrinam theologiae, efformationem clericorum, scholas, etc., prop. 33, p. 172: DENZ. 1733; prop. 41, p. 172: DENZ. 1741; prop. 44, pp. 172-173: DENZ. 1744; prop. 45, 46, 47, 48, p. 173: DENZ. 1745-1748; de libera et mutua communicatione inter Pontificem Romanum et Episcopos fidelesque, prop. 49, p. 173: DENZ. 1749. Circa institutionem, praesentationem et depositionem Episcoporum, prop. 50 et 51, p. 173: DENZ. 1750-1751; circa professionem religiosam, prop. 52 et 53, pp. 173-174: DENZ. 1752-1753; circa matrimonium, prop. 65-74, pp. 175-176: DENZ. 1765-1774. Circa facultatem erogandi eleemosynas: Encycl. *Quanta cura, A.S.S.,* 3 (1867), p. 163: DENZ. 1693. Circa ista iura Ecclesiae videnda sunt schemata praeparata a Commissione « de rebus politico-ecclesiasticis »: Decretum de verbi Dei praedicatione et instructione religiosa libere exercenda: MANSI 53, 853-855; de libere exercenda Ecclesiae potestate: *Ibid.,* 855-856; de bonis ecclesiasticis, deque eorum libera administratione: *Ibid.,* 856-860; circa iuris patronatus exercitium: *Ibid.,* 860-862; de concordatis: *Ibid.,* 862-864; de admissione adulescentium ad statum ecclesiasticum, deque eorum privilegiis, et immunitatibus: *Ibid.,* 864-866; de clericis, qui in scholis quae

a gubernio pendent aliquo funguntur munere: *Ibid.,* 866-867; de pauperum operariorumque sublevanda miseria: *Ibid.,* 867-872; de educatione et instructione clericorum: *Ibid.,* 872-874; de regularibus ordinibus et de congregationibus: *Ibid.,* 874-876; pro confraternitatibus aliisque piis operibus: *Ibid.,* 876-877; de potestatis civilis interventu in Episcoporum electione: *Ibid.,* pp. 877-878; circa matrimonium habita ratione ad leges civiles: *Ibid.,* 878-881; de christianae iuventutis institutione: *Ibid.,* 882-890; de communione catholicorum cum acatholicis: *Ibid.,* 890-891; de iudiciaria potestate Ecclesiae, ab appellationibus tamquam ab abusu vindicata: *Ibid.,* 891-894].

In *Codice Iuris Canonici* plura inter ista iura vindicantur circa educationem clericorum: can. 1352; scholas cuiuscumque gradus cuiuscumque disciplinae instituendi: can. 1375; religiosam iuventutis institutionem in quibuslibet scholis promovendi, et sub aspectu fidei et morum vigilandi super doctrinam, libros et magistros: cann. 1381, 1382, 1384; potestas acquirendi, possidendi et administrandi bona temporalia independenter a potestate civili: can. 1495 et exigendi tributa fidelium: can. 1496; circa matrimonium: can. 1016.

[20] Cf. quae referuntur supra in nota 5, quibus addenda sunt:

PIUS VII, Encycl. *Diu satis,* 15 maii 1800: *Bullarii Rom. Continuatio,* t. XI, pp. 21 ss.;

PIUS IX, Encycl. *Quanta cura,* 8 dec. 1864: *A.S.S.,* 3 (1867/68), p. 166;

PIUS XI, Encycl. *Ad salutem,* 20 apr. 1930: *A.A.S.,* 22 (1930), pp. 219 et 220.

[21] S. GREGORIUS M., *Epist. 65, ad Mauricium*: *PL* 77, 663.

De conditione hic posita ut possit applicari doctrina catholica, cf. TAPARELLI D'AZEGLIO, *Essai théorique de droit naturel,* ed. 4, Paris Leipzig-Tournai, t. I, pp. 388-390.

[22] *C.I.C.,* can. 1351. Inter fontes huius canonis consulenda sunt:

BENEDICTUS XIV, Epist. *Postremo mense,* 28 febr. 1747: *Benedicti XIV Bullarium,* t. II, Romae 1754, pp. 113-145: Distinguitur inter infidelem non baptizatum, et haereticum, qui baptismate suscepto in Ecclesia, ab ea secedit, secundum doctrinam S. Thomae, II-II, q. 10, a. 8;

PIUS VI, *Epist.* ad Card. de Rupe Fucaldo *Quod aliquantulum,* 1791; citantur epistolae S. AUGUSTINI ad Vincentium Cartennensem, *Epist. 93*: *PL* 33, 321-347 et ad Bonifacium Comitem, *Epist. 185,* 8: *PL* 33, 795 s.;

LEO XIII, Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885), pp. 174-175 ubi citatur S. AUGUSTINUS: « Credere non potest homo nisi volens »: *in Io.* 26, 2: *PL* 35, 1607;

PIUS XII, Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 243;

ID., Alloc. *ad Sacram Romanam Rotam,* 6 oct. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), p. 393, ubi refertur memoriale Secretariatus Status de ista re (*Ibid.,* p. 394).

[23] Ad hoc enim spectant sapiens moderatio cultuum non catholicorum et prohibitio doctrinarum contrariarum fidei, non ut acatholici vi convertentur, sed ut praeservetur unitas fidei. Ita: TAPARELLI D'AZEGLIO, *Essai théorique de droit naturel,* ed. 4, t. I, p. 390: « Ce ne sera pas évidemment dans le but *d'en faire des croyants* ou *de les rendre pieux par force,* mais pour les empêcher de troubler, par de fausses doctrines ou par le scendale de leur conduite, l'unité religieuse de la société, cet élément d'une haute importance pour la félicité publique »;

Quod testatur etiam PIUS XII, Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui X Internationali de Scientiis Historicis,* 7 sept. 1955: *A.A.S.,* 47 (1955), pp. 678-679: « Qu'on n'objecte pas que l'Eglise elle-même méprise les convictions personnelles de ceux qui ne pensent pas comme elle. L'Eglise considérait et considère l'abandon volontaire de la vraie foi comme une faute. Lorsqu'à partir de 1200 environ cette défection entraîna des poursuites pénales de la part du pouvoir tant spirituel que civil, ce fut pour éviter que ne se déchirât l'unité religieuse et ecclésiastique de l'Occident. Aux non-catholiques, l'Eglise applique le principe repris dans le Code de Droit Canon: " Ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur [can. 1351] ", et estime que leurs convictions constituent un motif, mais non toutefois le principal, de tolérance...

... L'Eglise ne dissimule pas qu'elle considère en principe cette collaboration comme normale, et qu'elle regarde comme un idéal l'unité du peuple dans la vraie religion et l'unanimité d'action entre elle et l'Etat. Mais elle sait aussi que dequis un certain temps les événements évoluent plutôt dans l'autre sens, c'est-à-dire vers la multiplicité des confessions religieuses et des conceptions de vie dans la même communauté nationale, où les catholiques constituent une minorité plus ou moins forte ».

De libertate religiosa (libertate conscientiae, cultus et propagandae) sunt citanda praecipue sequentia documenta:

PIUS VI, *Communicamus vobiscum,* Alloc. in Consistorio secr., 29 mart. 1790;

ID., Epist. *Priores litterae tuae,* ad Card. de Loménie, 23 febr. 1791;

ID., Epist. *Quod aliquantulum,* ad Card. de Rupe Fucaldo, 10 mart. 1791;

PIUS VII, *Post tam diuturnas,* 29 apr. 1814;

GREGORIUS XVI, Encycl. *Mirari vos,* 15 aug. 1832: *A.S.S.,* 4 (1868), pp. 341-342 [cf. DENZ. 1613].

ID., Encycl. *Singulari Nos,* 25 iun. 1834: *Acta Gregorii Pp. XVI,* Vol. I, pp. 433 ss.;

PIUS IX, Encycl. *Qui pluribus,* 9 nov. 1846: *Pii IX Acta,* P. I, pp. 4 ss.;

ID., Alloc. in Consistorio *Maxima quidem,* 9 iun. 1862;

ID., Encycl. *Quanta cura,* 8 dec. 1864: *A.S.S.,* 3 (1867/68), p. 162: DENZ. 1690, cum citatione S. AUGUSTINI, *Epist. 105,* c. II, 9: *PL* 33, 399;

ID., *Syllabus,* 8 dec. 1864, prop. 77: *A.S.S.,* 3 (1867), p. 176: DENZ. 1777; prop. 78: *A.S.S., Ibid.*: DENZ. 1778. De his propositionibus, vide: Alloc. *Acerbissimum,* 27 sept. 1852; prop. 79: *A.S.S., Ibid.*: DENZ. 1779, vide: Alloc. *Numquam fore,* 15 dec. 1856;

LEO XIII, Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885), p. 172;

ID., Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iun. 1888: *A.S.S.,* 20 (1887), pp. 603-605: de libertate cultuum; pp. 605-608: de loquendi et scribendi libertate [cf. DENZ. 1931-1932]; p. 608: de vera et falsa libertate conscientiae; p. 612 [DENZ. 1932]: damnatur promiscua libertas religionum;

BENEDICTUS XV, Epist. *Anno iam exeunte,* ad R. P. Ios. Hiss, Societatis Mariae Praepositum Generalem, 7 mart. 1917: *A.A.S.,* 9 (1917), p. 172: inter principia perniciosa quibus civitatum disciplina nititur et quibus christianae societatis fundamenta convelluntur recenset Summus Pontifex: « Libertates maxime sentiendi de religione, vel vulgandi quidquid quisque voluisset, nullis contineri finibus, dum noceret nemini »;

PIUS XI, Epist. *Constat apprime,* 16 apr. 1921, ad Card. Gasparri: De conventionibus inter Sanctam Sedem et Italiae Regnum initis: ubi agitur de libertate conscientiae et discussionis: *A.A.S.,* 21 (1929), pp. 301-302;

ID., Encycl. *Non abbiamo bisogno,* 29 iun. 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), pp. 301-302;

Lettre de la Secrétairerie d'Etat à M. Duthoit, 19 iul. 1938: Ed. Bonne Presse, t. XVIII, p. 86;

PIUS XII, Alloc. *ad Sacram Romanam Rotam,* 6 oct. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), pp. 394-395;

ID., Epist. apost. *Carissimis Russiae,* 7 iul. 1952: *A.A.S.,* 44 (1952), p. 505;

IOANNES XXIII, Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui X Romae habito ab Italica Catholicorum iuris peritorum Sodalitate,* 8 dec. 1959: *A.A.S.,* 52 (1960), p. 47, cf. etiam pp. 49-50.

[24] *De tolerantia*: Principia enuntiata a S. THOMA, II-II, q. 10, a. 11, a LEONE XIII proclamantur in Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.,* 18 (1885), p. 174 et longius exponuntur in Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iun. 1888: *A.S.S.,* 20 (1887), pp. 609-612;

PIUS XII, Alloc. *ad Sacram Romanam Rotam,* 6 oct. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), p. 392;

ID., Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui V nationali Italico Unionis Iureconsultorum Catholicorum,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), pp. 794-802;

ID., Alloc. *Conventui X Internationali de Scientiis Historicis,* vide notam 23.

[25] PIUS XII, Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui V nationali Italico Unionis Iureconsultorum Catholicorum,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), p. 801: « In tali singoli casi l'atteggiamento della Chiesa e dello Stato nei singoli Stati, da una parte, e, dall'altra, del *bonum commune* della Chiesa universale, del regno di Dio sopra tutto il mondo ».

In praecedentibus, Summus Pontifex loquitur etiam de bono communi civili alicuius communitatis Status [p. 799]. Nos vero extendimus ad bonum commune internationale omnium nationum.

[26] Cf. LEO XIII, Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iun. 1888: *A.S.S.,* 20 (1887), pp. 609-612;

PIUS XII, Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui V nationali Italico Unionis Iureconsultorum Catholicorum,* 6 dec. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), pp. 798-799.

[27] TAPARELLI D'AZEGLIO, *Essai théorique de droit naturel, l. c.,* p. 391.

[28] TAPARELLI D'AZEGLIO, *Ibid.,* p. 387.

[29] LEO XIII, Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: *A.S.S.,* 22 (1889/90), pp. 396-397.

[30] LEO XIII, Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: *A.S.S.,* 22 (1889/90), p. 400;

PIUS XII, Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui V nationali Italico Unionis Iureconsultorum Catholicorum,* 6 decembris 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), pp. 799-800.

[31] Cf. PIUS XI, *Discorso agli Universitari cattolici*: « Quando la politica si accosta all'altare, allora la religione e la Chiesa, ed il Papa, che la rappresenta, sono non soltanto nel diritto ma anche nel dovere di dare indicazioni e direttive che anime cattoliche hanno il diritto di richiedere e il dovere di seguire » (*L'Osservatore Romano,* 10 sett. 1924).

ID., *Discours à la jeunesse catholique*: « C'est la politique qui a touché à

l'autel. Et Nous défendons alors l'autel. C'est Notre rôle à nous de défendre la religion, les consciences, la sainteté des sacrements » (*L'Osservatore Romano,* 21-22 sett. 1925).

[32] Multi scriptores diebus nostris docuerunt principia hic exposita non esse nisi normae contingentes datae a Summis Pontificibus relate ad rerum adiuncta iam amplius non vigentia:

PIUS VI, Hieronymo Mariae, Archiepiscopo Burdigalensi, 10 iul. 1790: « Immutabilia certe sunt sua [regis] erga Deum officia, neque umquam ullam ob causam dissimulanda; etiamsi in animo habeat, ut immutatis tam perversis temporibus ad eadem praestanda revertatur ».

Non potest dubitari quod LEO XIII intenderit doctrinam immutabilem « de constitutione christiana civitatum » per Encycl. *Immortale Dei* tradere. Etenim istam doctrinam proponit tamquam in revelatione fundatam et rationi naturali conformem.

Successores LEONIS XIII docuerunt doctrinam eius esse immutabilem prout in principiis tribus illis fundatam: iura Dei, natura hominis socialis ex qua profluit finis essentialis Status, et natura immutabilis Ecclesiae.

S. PIUS X, Epist. *Notre charge apostolique,* 25 aug. 1910 [Condamnation du *Sillon*]: *A.A.S.,* 2 (1910), pp. 612, 625, 627;

BENEDICTUS XV, Epist. *Anno iam exeunte,* ad R. P. Ios. Hiss, Societatis Mariae Praepositum Generalem, 7 mart. 1917: *A.A.S.,* 9 (1917), pp. 171-175;

PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri,* 31 dec. 1929: *A.A.S.,* 22 (1930), pp. 65-66: « Quae omnia hucusque... diximus... doctrina catholica de *Civitatum constitutione christiana,* tamquam firmissimo et immutabili fundamento, innituntur, quae tam egregie a Decessore Nostro Leone XIII, praesertim in Encyclicis Litteris *Immortale Dei* et *Sapientiae christianae* exposita est ».

Citatis verbis Encyclicae *Immortale Dei* quibus exponuntur distinctio utriusque potestatis necnon relatio, et potestas Ecclesiae indirecta, additur: « Quicumque haec principia recipere eademque proinde ad educationem applicare recusat, is necessario cum neget Christum ob sempiternam hominum salutem Ecclesiam suam condidisse, tum affirmat societatem civilem et Statum Deo eiusque naturali ac divinae legi non subiici. Quod quidem manifesto impium est, sanae rationi... »;

Lettre de la Secrétairerie d'Etat à M. Duthoit, 12 iul. 1933: Ed. Bonne Presse, t. X, p. 241;

ID., Encycl. *Divini Redemptoris,* 19 mart. 1937: *A.A.S.,* 29 (1937), p. 81;

PIUS XII, Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.,* 31 (1939), pp. 432-433: « Etenim civitatis imperium, quemadmodum per Encyclicas Litteras *Immortale Dei* sapientissimus Decessor Noster p. m. Leo XIII edocet, idcirco a summo omnium Creatore statutum est, ut ex illius ordinis praescriptione, qui in universalibus, quibus *regitur, principiis ac normis incommutabilis consistit,* publicam rem moderetur; ut humanae personae, in praesenti hac vita, ad corporis mentisque vires quod attinet et ad rite componendos mores, perfectionis adeptionem faciliorem reddat; utque cives adiuvet ad supernum sibi destinatum finem assequendum »;

ID., Alloc. *ad Sacram Romanam Rotam,* 6 oct. 1946: *A.A.S.,* 38 (1946), p. 393;

ID., Alloc. *ad Sacram Romanam Rotam,* 29 oct. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 495;

ID., Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui X Internationali de Scientiis Historicis,* 7 sept. 1955: *A.A.S.,* 47 (1955), pp. 677-678: « Léon XIII a enfermé, pour ainsi dire, dans une formule, la nature propre de ces relations, dont il donne un exposé lumineux dans ses Encycliques *Diuturnum illud* [1881], *Immortale Dei* [1885] et *Sapientiae christianae* [1890] ».

De oppositione inter laicismum hodiernum et doctrinam christianam, sic docet IOANNES XXIII, Encycl. *Grata recordatio,* 26 sept. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 677: « Animadvertendum praeterea est talia ratiocinandi ac philosophandi genera haberi, itemque tales instituendae vitae rationes hodie in usum invectas esse, quae cum christiana doctrina concordare nullo modo possunt. Id Nos serena sed firma certaque mente asseverare desistemus numquam. Sed Deus sanabiles fecit homines ac Nationes! [cf. *Sap.* 1, 14]. Futurum igitur speramus ut, aridis postulatis ac propositis tandem posthabitis, ex cogitandi agendique ratione ortis, et crystalli instar concretis ac duratis, quae, ut norunt omnes, " laicismi " et " materialismi " commentis imbuta sunt, in sana illa doctrina, quam quotidie magis rerum experientia confirmat, opportuna remedia quaerantur et inveniantur. Haec autem doctrina Deum esse auctorem vitae eiusque legum testatur; eumque esse vindicem iurium humanaeque personae dignitatis. Deus igitur est " salus et Redemptio nostra! " [ex sacra liturgia] ».

CAPUT 10

DE NECESSITATE ECCLESIAE ANNUNTIANDI EVANGELIUM OMNIBUS GENTIBUS ET UBIQUE TERRARUM

1. [*Exsistentia et fundamentum muneris*]. Dominus noster Iesus Christus, qui de semetipso testatus est: « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur » (*Lc.* 12, 49), cum ex hoc mundo reversurus esset ad Patrem, Apostolis, ut omnibus gentibus Evangelium praedicarent, mandatum dedit dicens: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15). Apostoli autem hoc mandatum experiebantur et agnoscebant ut veram necessitatem sibi impositam. Ait enim Apostolus: « Si evangelizavero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit; vae enim mihi si non evangelizavero » (*I Cor.* 9, 16). Maximum illud et sanctissimum munus cum eorum terrestri vita non erat terminandum, sed usque ad finem saeculorum ab Ecclesia perpetuandum,[1] et reapse ad illam capitalem Ecclesiae missionem refertur, qua verum Dei cultum in fide viva et caritate usque ad extremas terrae partes propagat omnesque homines participes facit Redemptionis Christi, ut ad sempiternam perveniant beatitatem.[2] Officium autem Evangelii omnibus gentibus annuntiandi et ius illud exercendi ab ipso iure nativo Christi derivatur, sollemniter dicentis: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes » (*Mt.* 28, 19).

2. [*Natura muneris*]. Officium illud, cum sit Ecclesiae a suo divino Fundatore collatum, est originis divinae. Ut ex ipsis verbis Christi patet sese extendit ad omnes homines omnesque mundi partes:[3] debet enim Ec-

clesia opus Christi perenne reddere, qui pro totius mundi salute descendit de caelo et incarnatus est. Ubicumque igitur terrarum Ecclesia, independenter a quavis humana potestate, ius inalienabile habet praecones evangelicos mittere,[4] communitates christianas stabilire, homines sibi incorporare per baptismum in eosque sibi subditos suam exercere potestatem tam docendi quam regendi et sanctificandi.[5]

Quare adimpletioni huius missionis Ecclesiae pro toto mundo divinitus collatae nulli potestati civili sese opponere licet, diversam tamen ob rationem.[6]

Potestas civilis catholica, cum consecutionem finis ultimi supernaturalis suis civibus faciliorem reddere debeat, ut huius officii sanctissimi Ecclesiae expeditior fiat adimpletio pro viribus conari debet. Multo magis exercitium huius Ecclesiae missionis impedire non potest, ut ipsa sibi publica commoda procuret: huiusmodi enim bona saluti aeternae civium anteponi non possunt.

Potestas civilis non catholica verum ius praedicationis evangelicae prohibendae sibi vindicare nequit, cum doctrina evangelica nihil contineat quod non sit rationi naturali summe congruens, dignitati humanae summe conveniens, et vitam hominum tam individualem quam socialem summe perficiens.

Nec praedicationi evangelicae opponi potest iustum legitimumque desiderium vera ea beneficia tuendi, quae veluti per sacram hereditatem peculiares cuiusvis nationis notas proprietatesque constituunt. Etenim in formis humanae civilisque vitae cuivis genti propriis, in moribus a maioribus receptis necnon in Institutis translaticiis, Evangelica lex non respuit nisi ea quae sunt rationi naturali legique divinae contraria. Quidquid veri, quidquid boni, quidquid honesti ac pulchri habet unaquaeque natio ex propria indole proprioque ingenio, Ecclesia praecipit ut servetur, et pro munere suo ad altiorem ordinem evehit.[7]

Ius evangelicae praedicationis a se alienari Ecclesia nec tolerare, nec umquam ab eo decedere potest: missionem enim suam capitalem non adimpleret, a Deo Salvatore glorificando deficeret, hominesque ordinariis salutis mediis privaret. Civilibus ergo potestatibus impedientibus quominus libere exerceat suum ius et officium sanctissimum, Ecclesia non cedit, sed usque ad sanguinem resistit, cum Apostolis dicens: « Oboedire oportet Deo magis quam hominibus » (*Act.* 5, 29).

Quare Sancta Synodus ius Ecclesiae evangelium annuntiandi omnibus gentibus ubique terrarum necnon omnibus praebendi auxilia salutis, ante faciem omnium populorum sollemniter proclamat, omnesque qui potestatem super populos exercent monet ut Ecclesiae plenae libertati huius muneris adimplendi non sese opponant, sed potius in gentibus Providentia divina sibi concreditis eius exercitio faveant.

3. [*Quibus et quomodo conveniat potestas et officium Evangelium praedicandi*].[8] Ius et officium Christi Evangelium annuntiandi ubique terrarum corpori Pastorum insimul cum Christi Vicario convenit, quibus omnibus in

solidum Christus mandatum dedit imponendo commune officium.[9] Omnes ergo Episcopi simul cum suo Capite huius apostolicis muneris fidem annuntiandi omnibus gentibus sunt sponsores.[10] Attamen quod Apostolis omnibus eorumque successoribus mandabatur, id principaliter Petro eiusque successoribus, Romanis Pontificibus incumbit, quibus solis Dominus gregis sui universitatem concredidit. Ipsi ergo Romano Pontifici competit ius supremum, absolutum et universale fidei praecones in totum orbem terrarum mittendi eiusque officium est omni sollertia niti, ut Ecclesia ubique dilatetur hominesque universi Redemptionis Christi participes fiant.[11] Singuli autem Episcopi non tantum ius et officium habent omnibus suis viribus procurandi ut infideles in suo territorio degentes evangelizentur,[12] sed etiam, sollicitudine illa qua bonum Ecclesiae universalis in propriis dioecesibus promovere tenentur, vocationes missionales foveant, neve desinant ex toto corde opera illa missionalia provehere quibus tam spiritualibus quam temporalibus evangelizationis universalis necessitatibus providetur.[13] Sacerdotes vero tam saeculares quam regulares, religiosi et religiosae, fidelesque omnes a Sacra Hierarchia mandato instrui possunt ut unusquisque suo modo adiutricem operam in adimplendo supremo illo Ecclesiae munere conferat. Omnes enim ut membra Corporis Christi mystici, eius incremento pro viribus subministrare debent (cf. *Eph.* 4, 16; *Col.* 2, 19).[14] Religio et caritas insuper omnes catholicos urgent ut, Deo grati pro pretiosissimo fidei dono accepto, numquam aliquam opportunitatem praetermittant illud cum aliis communicandi [15] atque orationibus, eleemosynis aliisque mediis eos adiuvandi [16] qui operam dant in mandato adimplendo Domini Nostri Iesu Christi, qui Ecclesiae semper aderit ne deficiat umquam in Evangelio omnibus gentibus annuntiando iuxta promissum divinum: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 20).

NOTAE

[1] Cf. BENEDICTUS XV, *Maximum illud,* 30 nov. 1919: *A.A.S.,* 11 (1919), pp. 440-455;

IOANNES XXIII, Encycl. *Princeps Pastorum,* 18 nov. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 834 ss., 845 ss.

[2] PIUS XI, Encycl. *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926: *A.A.S.,* 18 (1926), p. 65: « Neque enim ad aliud nata Ecclesia est, nisi ut, regno Christi ubique terrarum dilatando, universos homines salutaris redemptionis participes efficiat »;

PIUS XII, Encycl. *Fidei donum,* 21 apr. 1957: *A.A.S.,* 49 (1957), p. 237, ubi citatur Allocutio 24 nov. 1946: *Disc. e Radiomess.*, t. VIII, p. 328;

IOANNES XXIII, Encycl. *Princeps Pastorum, l. cit.,*

[3] Cf. *Mt.* 28, 18-20; *Mc.* 16, 15. 20; *Lc.* 24, 47; *Act.* 1, 8.

[4] *C.I.C.,* can. 1322, § 2: « Ecclesiae, independenter a qualibet civili potestate ius est et officium gentes omnes evangelicam doctrinam docendi ».

[5] S. AUGUSTINUS, Epist. *CXCIX* (ad Hesychium), c. 12: *PL* 33, 922-924: S. Aug. docet ad hoc spectare praedicationem evangelicam ut ubicumque stabiliatur Ecclesia reddens Deo cultum debitum; p. 923: « In quibus ergo gentibus nondum est Ecclesia, oportet ut sit »;

S. THOMAS, *Summa Theol.*, I-II, q. 106, a. 4, ad 4;

PIUS XI, Encycl. *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.*, 18 (1926), p. 74: « Quorsum, quaesumus, sacrae missiones pertinent, nisi in tanta immensitate locorum Ecclesia instituatur ac stabiliatur? »;

PIUS XII, *Risposta all'Omaggio delle Pontificie Opere Missionarie*, 24 iun. 1944: *A.A.S.*, 36 (1944), pp. 207-8, 210;

ID., Epist. *Perlibenti quidem animo*, 9 aug. 1950: *A.A.S.*, 42 (1950), p. 727;

ID., Encycl. *Evengelii Praecones*, 2 iun. 1951: *A.A.S.*, 43 (1951), p. 507: « Eo autem, ut omnes norunt, hae sacrae expeditiones primo loco spectant, ut christianae veritatis lumen novis gentibus luculentius affulgeat, utque novi habeantur christiani. Ad illud tamen extremam veluti metam contendant necesse est... ut nempe Ecclesia apud alios populos firmiter constabiliatur, eidem propria, ex indigenis delecta, tribuatur hierarchia »;

ID., Encycl. *Fidei donum*: *A.A.S.*, 49 (1957), p. 228.

[6] Defendunt hoc ius per respectum ad potestatem civilem tam catholicam quam acatholicam:

FR. SUAREZ, *De Fide*, disp. XVIII, sect. I;

FR. VITTORIA, *De Indis*, Rel. prior, sect. 3;

D. SOTO, *In IV Sent.*, D. 5, q. un., a. 10;

DE LUGO, *De virt. Fidei Divinae*, d. XIX, sect. II, § 1;

SALMERON, *In Ev. et Act. Apost.*, l. XI, tract. XXXIII; l. XII, tract. XXXVIII.

Alludunt ad hoc ius Ecclesiae in quaestione de natura Magisterii:

FRANZELIN, *De Ecclesia Christi*, Theses, Romae 1887, pp. 58-60;

BILLOT, *Tractatus de Ecclesia Christi*, t. II, Romae, 1899, pp. 64 ss.;

SALAVERRI, *De Ecclesia Christi*, in: *Sacrae Theologiae Summa*, t. I, Matriti 1950, pp. 525, 532 ss.;

JOURNET, *L'Eglise du Verbe Incarné*, t. II, Paris 1951, pp. 1223-1251 (Missiologie);

H. DE LUBAC, *Le fondement théologique des Missions*, Paris 1946.

Sacrorum Canonum periti magis explicite tractant de isto iure per respectum ad potestatem civilem. Citantur inter alios:

WERNZ-VIDAL, *Ius canonicum*, t. IV, vol. II, Romae 1935, pp. 6-7;

G. VROMANT, *Ius Missionarium*, Lovanii 1934, P. II, c. 1, pp. 50-56;

G. SARTORI, O.F.M., *Iuris Missionarii elementa*, Romae 1951, pp. 41-42.

[7] Haec paragraphus desumitur ex pluribus documentis PII XII:

Summi Pontificatus, 20 oct. 1939: *A.A.S.*, 31 (1939), pp. 428-429;

Allocutio *Vivamente gradito*, 24 iun. 1944: *A.A.S.*, 36 (1944), p. 210;

Encycl. *Evangelii Praecones*: *A.A.S.*, 43 (1951), pp. 521-524.

IOANNES XXIII, Encycl. *Princeps Pastorum*: *A.A.S.*, 51 (1959), pp. 843 ss., 848, 854.

[8] Cf. pro tota paragrapho nota 6.

[9] S. CAELESTINUS, *Epist. ad Syn. Ephesinum*: MANSI 4, 1283;

BENEDICTUS XV, *Maximum illud*: *A.A.S.*, 11 (1919), p. 440;

PIUS XI, Encycl. *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.*, 18 (1926), pp. 68-69;

PIUS XII, Encycl. *Fidei donum*: *A.A.S.*, 49 (1957), pp. 236-237.

[10] PIUS XII, Encycl. *Fidei donum*: *A.A.S.*, 49 (1957), p. 237.

[11] Cf. documenta citata sub nota 9. Insuper:

LEO XIII, Encycl. *Grande munus,* 30 sept. 1880: *A.S.S.,* 13 (1880), p. 145: « Grande munus christiani nominis propagandi, beato Petro principi Apostolorum eiusque Successoribus singulari modo demandatum, Romanos Pontifices impulit ut sacri Evangelii nuntios ad varias orbis terrarum gentes diversis temporibus mittendos curarent »;

C.I.C., can. 1327 et 1350, § 2;

S. BERNARDUS, *De Consideratione,* l. III, c. 1: *PL* 182, col. 757-760;

THOMAS A IESU (1564-1627), *De procuranda salute omnium gentium,* ed. Pammolli, Romae 1940, l. II, pp. 67-98: « Ad Romanum Pontificem tamquam ad Summum Ecclesiae pastorem, Petrique in apostolatu successorem, pertinere praedicatores pro fide propaganda mittere in universum orbem ».

[12] *C.I.C.,* can. 1350, § 1;

Synodus Vicariatus Sutchuens, 1803: *Coll. Lacensis,* t. VI, col. 633: « Inter praecipua muneris apostolici officia illud profecto primum locum obtinet fidem scilicet propagandi apud gentiles et eam integram illibatamque servandi apud fideles »;

LEO XIII, *Quae mari sinico,* 17 sept. 1902: *Acta Leonis XIII,* t. 22, p. 204: « Ubi igitur agrestes adhuc gentes occurrunt immani idolorum cultui addicti, sciant Episcopi et sacerdotes teneri ad earum conversionem curandam »;

Litterae Encycl. S. Congr. de Prop. Fide (1879) [*Coll. S.G.P.F.,* II, n. 1507];

Conc. Plen. Americae Sept. Romae celebratum anno 1898 [Ed. Romae 1900, p. 339]: « Neque Episcopi neque parochi, qui in propriae iurisdictionis territorio exsistere sciunt Indos nondum ad fidem conversos, proprio pastorali officio satisfacerent, si solis fidelibus intenti, illos ab infidelitatis tenebris eruere et ad Christum vocare non studerent ».

Ratio theologica sic explicatur a WERNZ-VIDAL, *Ius Canonicum,* t. IV, vol. II, Romae 1935, p. 58, n. 653: « Quare exterae appellantur missiones potius a scopo principali, qui est *propagatio* fidei catholicae inter homines ab Ecclesia catholica *alienos,* quam a regionibus longinquis. Quo sensu unusquisque Episcopus in *sua* dioecesi, in qua sunt infideles, haeretici, schismatici, inde a primis temporibus Ecclesiae usque ad nostram aetatem tamquam verus successor Apostolorum constitutus est missionarius apostolicus ex officio ad illorum conversionem, et fidei catholicae propagationem perficiendam ».

[13] S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *ep. 123*: *PG* 52, 676-8;

LEO XIII, Encycl. *Sancta Dei civitas,* 3 dec. 1880: *A.S.S.,* 13 (1880), pp. 242, 246 ss.;

BENEDICTUS XV, Encycl. *Maximum illud*: *A.A.S.,* 11 (1919), pp. 451-455;

PIUS XI, Encycl. *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.,* 18 (1926), pp. 71-75;

PIUS XII, Encycl. *Evangelii Praecones*: *A.A.S.,* 43 (1951), pp. 525-528; Encycl. *Fidei donum*: *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 235-248.

[14] Cf. nota 13.

[15] BENEDICTUS XV, *Maximum illud*: *A.A.S.,* 11 (1919), p. 451;

PIUS XI, *Rerum Ecclesiae*: *A.A.S.,* 18 (1926), p. 68;

PIUS XII, *Evangelii Praecones*: *A.A.S.,* 43 (1951), p. 526;

ID., *Fidei donum*: *A.A.S.,* 49 (1957), pp. 225-227.

[16] Cf. documenta citata in notis 13 et 15. Insuper:

PIUS XII, Epist. *Perlibenti quidem animo,* 9 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), pp. 725-727.

Caput 11 *

DE OECUMENISMO

1. [*Introductio*]. Cum Ecclesia ut unum singulareque salutis institutum a Christo fuerit aedificata tamquam unum et unicum signum levatum in nationes, nihil umquam potest eiusdem unitatem intrinsecus violare.

Quae tamen, decurrentibus saeculis, ab Ecclesia Catholica ortae sunt separationes, manifestationem illius indefectibilis unitatis coram mundo universo quodammodo obscurant.[1]

Sacra Synodus, de iis separationibus summopere dolens, nihil omittendum esse declarat quod ad integram omnium christianorum unitatem restituendam conferat: ut voluntas Christi qua omnia membra Ecclesiae in Ipso unum sunt, ad omnes extendatur qui Eius nomine gloriantur, utque fides vera non-christianis efficacius annuntietur.

Id quod nostris temporibus eo magis urget, quo instantius, divina Providentia sic disponente, et ipsae communitates christianorum separatae ad unitatem omnium adspirent.

2. [*De vinculis existentibus et de unitate a Christo intenta*]. Ecclesia vincula agnoscens quibus secum dissidentes filii coniunguntur, omnes materno prosequitur amore [3] qui baptismate renati (cf. *Tit.* 3. 5), secum Christum Deum eumdemque Salvatorem confitentur coramque mundo de Christo testimonium perhibent, maxime si et vero corpore et sanguine Christi participant.

Quae autem mutuae coniunctionis vincula etiam si sunt eucharistica unitatem illam constituere non valent quam Christus inter omnes baptizatos iussit vigere quamque sive Sacra Scriptura sive veneranda Ecclesiae traditio tam manifeste ostendunt.

Etenim, inde ab initio ipse cultus eucharisticus cum verae fidei professione ab Apostolis traditae ita intime iungebatur ut fideles cuncti in doctrina Apostolorum et communione, in fractione panis et orationibus insimul perseverare dicebantur (cf. *Act.* 2, 42).

Ecclesia a suis exordiis Eucharistiam consummationem unitatis in fide et communione habuit atque ut signum suae unitatis coram mundo universo; quare schismatibus haeresibusque provocantibus huiusmodi omnium christianorum unitatis necessitatem ita affirmavit, ut illos tantum ad cultum eucharisticum admitteret qui in communione sub episcopo cum Sede Romana coniuncto fidem unam, veram et integram profiterentur.[4]

---

* Cap. XI discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in nona congregatione sessionis septimae, die 20 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 792-812.

Tantum enim hoc modo communio eucharistica signum est perfectae illius unitatis totius Ecclesiae, quam Sanctus Paulus commendavit dicens: « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim ex uno pane participamus » (*I Cor.* 10, 17 gr.).

3. [*De habitudine Ecclesiae ad christianos singulos dissidentes*]. Ecclesia porro sciens christianos dissidentes multis mediis salutis reapse privari, eorumque separatione manifestationem unitatis signi in nationes levati re obscurari, eos in caritate materna singulos respicit amanterque ad se invitat.[5]

Sacra propterea Synodus incoepta catholicorum, quibus fratres separati de doctrina vitaque Ecclesiae illuminentur ut etiam singuli ad illam attrahantur, probat atque ut promoveantur inculcat.

4. [*De habitudine Ecclesiae ad communitates christianas dissidentes*]. Christiani autem dissidentes ad Ecclesiae Catholicae unitatem ut redeant, non modo ut singuli, verum etiam ut inter se uniti, in propriis suis communitatibus inveniunt incitamenta. In his enim elementa quaedam Ecclesiae exsistunt ut potissimum Scriptura Sacra et Sacramenta, quae, ut media et signa unitatis efficacia unionem mutuam in Christo producere possunt et natura sua, ut res Ecclesiae Christi propriae, ad unitatem catholicam impellunt.[6]

Attamen, quatenus hae communitates elementa servata ita detinent, ut ea segregent a plenitudine Revelationis, eatenus haereditatis Christi dividendae de facto ansam praebent.

Sacra Synodus, dum elementa ab his communitatibus servata, ibi quoque salutifera esse atque fructus vitae spiritualis christianae producere posse non denegat, firmiter tamen docet plenitudinem Revelationis a Christo soli Ecclesiae Catholicae commissam esse eamque dividi non posse,[7] atque proinde ab omnibus christianis ibi agnoscendam esse.

Monet propterea Sacra Synodus omnes fideles, ut fratribus separatis verbo et exemplo semper magis ostendant quod plenitudo Revelationis in sola Ecclesia catholica vere et pure teneatur, ut tandem fratres nostri nobiscum iterum coniuncti, nobiscum etiam plenitudinem haereditatis Christi possideant.[8]

5. [*De habitudine Ecclesiae ad motionem oecumenicam extra Ecclesiam*]. In pluribus orbis partibus apud multas communitates quae a Beati Petri Cathedra seiunctae sunt, quandam motionem oecumenicam quam vocant exortam esse ut omnes qui in Christum Dominum credunt ad unitatem redeant, S. Synodus cum gaudio agnoscit atque eo magis conamina haec oecumenica benevolenti animo prosequitur quo manifestius divinum afflatum conspiciat ibidem adesse.[9]

Caritate Christi tamen compulsa, motionis oecumenicae auctores enixe commonefacit manifestationem unitatis voluntati Christi conformem effici nullo modo posse, nisi unitas fidei, communionis sacramentorum atque gubernii adamussim secundum ipsius Christi institutionem efformetur. Hanc

autem talem esse ut illa triplex unitas nonnisi in unitate communionis sub Romano Pontifice ad effectum deducatur. Quare an et quo gradu reapse oboediatur voluntati Christi, seu quinam gradus, ut aiunt, adsit « oecumenicitatis », commensurandum est ex gradu, quo obiective ad Ecclesiam catholicam habeatur accessus.

Sacra Synodus viam ad unitatem omnium christianorum restituendam difficillimam esse agnoscens, conatus sinceros christianorum dissidentium ad separationes superandas fidelium orationibus peramanter commendat.

6. [*De fine motionis oecumenicae intra Ecclesiam et de periculis evitandis*]. Gaudet porro Sacra Synodus quod et in Ecclesia ipsa motio oecumenica in dies augetur, quae non tantum christianis dissidentibus sincere unitatem quaerentibus effusa prece auxilium praestare intendit, sed etiam labore theologico et pastorali satagit ut Ecclesia domus paterna omnibus christianis clarius in dies appareat,[10] ipsaeque dissidentes communitates viam ad veram unitatem facilius inveniant.

Monet tamen Sacra Synodus universos fideles in hac operositate magna prudentia opus esse ne zelo quodam apostolico, non tamen secundum scientiam, indifferentismi, vel interconfessionalismi, quem vocant, periculo exponantur, neve excitato procedendi modo rei propositae potius noceant quam serviant.[11]

Quam ob rem motionem oecumenicam episcopis ubique terrarum commendat, ut, Apostolica Sede duce, eandem sollerter promoveant eique prudenter moderentur.

7. [*De communione in sacris liturgicis*].[12] Quia in communitatibus ab Ecclesia separatis, praeter baptismum nonnumquam valide conferuntur Sacramenta, et fieri potest ut filii Ecclesiae iure rogare possint ac debeant a ministris separatis eorundem dispensationem; quia ex altera parte pia Mater Ecclesia maxime desiderat, fratres separatos, quantum potest et ipsi indigent, participes facere multorum bonorum, quae Christus Sponsae suae unicae concredit:[13] etenim utpote rite baptizati iidem si bona fide sunt, per se capaces sunt fructuose accipiendi alia Sacramenta;[14] quia tandem Ecclesia licet invito animo, tolerat matrimonia mixta, in quibus ineundis pars catholica et pars baptizata acatholica sunt ministri Sacramenti: hac de causa non omnis assistentia activa, ea videlicet qua christiani dissidentes in liturgia catholica concursum quemdam effectivum praestant, vel catholici modo simili activo in dissidentium liturgia assistunt, de se intrinsece mala dicatur oportet, etsi plerumque huiusmodi participatio graves ob rationes prohibenda sit. Ideoque ius atque officium Ecclesiae est de communione in sacris leges condendi ad bonum tum filiorum Ecclesiae, tum eorum, qui ab ea dolorose separantur.

Principale autem obstaculum communionis liturgicae inter catholicos atque dissidentes, natura est illius communionis in sacris, qua ipsi filii Ecclesiae inter se iunguntur. Communio enim membrorum Ecclesiae inter se donum est ipsius Christi, uni suae Ecclesiae datum, quo unio in fide sub uno

supremo pastore consummatur, quodque signum exstat illius unitatis in veritate et caritate qua Ecclesia Corpus Christi mysticum est, et iam hic in terra figura et inchoatio unitatis in Christo coelestis.

Cum ergo in ipso cultu sacro liturgico, a ministris Christi, nomine et mandato Ecclesiae peracto, communio fidelium fidem Ecclesiae confitetur (cf. *Act.* 2. 42), assistentia activa in sacris liturgicis de se assensus fidei Ecclesiae habenda est. Quare assistentia activa christianorum dissidentium sive in ipso cultu Ecclesiae in genere, sive in specie per receptionem sacramentorum, generatim admitti nequit, utpote unitati fidei et communionis intrinsece contraria atque extrinsece obscuratio signi unitatis Corporis Christi, ex quibus defectibus pericula indifferentismi religiosi, vel interconfessionalismi vel scandali profluere solent.

Unde tantum graves ob causas et remotis periculis assistentia activa in ipso cultu Ecclesiae admitti potest; dum imprimis pro gravitate necessitatis vel magnae utilitatis spiritualis christianorum dissidentium diiudicandum est, an et sub quibusdam conditionibus Ecclesia eos qui non actu proprio ab Ea desciverunt, sacramentis succurrere possit.

Eadem inviolabilis de unitate Ecclesiae doctrina assistentiam quoque activam catholicorum in sacris ritibus dissidentium communitatum generatim prohibet.

Etenim, non tantum quando catholicus, assistens cultui communitatis dissidentis, interne illum approbat, actus eius intrinsece malus est, ideoque numquam permittendus, sed etiam ubi catholicus — tali interna approbatione exclusa — in communitatibus, in quibus sacramenta valide non conficiuntur, sacramentum putativum recipere audet. Talis enim receptio, cum ipse ritus sit contra veritatem catholicam, intrinsece mala dicenda est, ideoque numquam permittenda; dum quaecumque assistentia activa catholicorum in tali cultu de se admitti nequit.

Imo, etiam in communitatibus ubi valide sacramenta conficiuntur, communicatio in sacris ex indole rerum prohibetur. Cultus enim ab eis praestitus, quatenus a cultu Ecclesiae separatus, consummationem in unitate non perficit et unicitati signi, a Christo Ecclesiae in ipso cultu dati, contradicit nec legitime perficitur. Nec praetermittendum est assistentiam activam in sacris liturgicis communitatis dissidentis, etsi nullo modo in errorem consentitur, suapte natura tamen assensum in fidem illius communitatis significare, ideoque regulariter scandalum provocare et periculum fidei secum ferre. Quare et in hisce circumstantiis quaecumque assistentia activa catholicorum in illo cultu, etiam exclusa Sacramentorum receptione, tantum admitti potest graves ob causas, adhibitis cautelis ad scandalum et periculum perversionis fidei, vel indifferentismi arcenda atque permissione ab auctoritate legitima obtenta.

Ubi autem extrema necessitas spiritualis vel magna saltem utilitas urget, susceptio et petitio sacramentorum a ministro talis communitatis dissidentis admitti potest, conditionibus modo enumeratis impletis. Agitur enim

de sacramentis Ecclesiae propriis quae in cultu obiective vero exhibentur; quare non necessariae huic receptioni adhaesio errori, huic communitati proprio, coniungitur.

Quandoque insuper cultui in se obiective vero, accedunt tamen preces liturgicae falsae, vel etiam praedicatio non recta, in quibus casibus pericula perversionis fidei, indifferentismi et scandali difficillime removeri possunt.

Denique conditiones ad liceitatem ponendae aliae ac aliae sunt pro natura cuiuscumque sacramenti.

Mera autem praesenti christianorum dissidentium in sacris nostris liturgicis omnino licita est, immo optanda, dum ab alia parte catholici propter rationabilem causam periculis remotis mere praesentes esse possunt in cultu communitatis dissidentis.

Quod vero ad sacramentalia, preces, loca sacra, funera et alia huiusmodi attinet, in quibus ipsa doctrina unitatis Ecclesiae prohibitionem communicationis de se non exigit, Ecclesia ea praescribit quae pro animarum utilitate, tum catholicorum, tum christianorum dissidentium secundum circumstantias loci et temporis rogantur.

Minime ergo veram communicationem in sacris considerare licet veluti medium universaliter adhibendum quod ad unitatem omnium christianorum in unica Ecclesia Christi restituendam conducere valeat. Non autem excluditur aliqua manifestatio religiosa conscientiae multiplicis coniunctionis nostrae cum christianis dissidentibus, salvis principiis datis, et approbatione Praesulum pro loci atque temporis adiunctis.

8. [*De cooperatione inter catholicos et christianos dissidentes*]. Ubi de modo mediisque agitur quibus, collatis viribus, principia quaedam religionis christianae vel etiam iuris naturae defendantur, rectus socialis ordo instauretur, populi adiumento oeconomico vel culturali indigentes subleventur, catholici cum christianis dissidentibus cooperari possunt et quandoque debent.[15]

Quae quidem cooperatio non modo in bonum humanae familiae cedit, verum etiam efficax potest praestare auxilium ad suspicationes mutuas mutuaque praeiudicia superanda.

Ut autem haec absque spirituali periculo evenire possint, monet Sacra Synodus ut catholici divinam Revelationem doctrinamque Ecclesiae, nominatim de rebus socialibus, prae oculis habeant,[16] omniaque ipsorum istiusmodi incoepta cum approbatione et sub vigilantia auctoritatis ecclesiasticae procedant.

Tandem, tam praeclarum opus unitatis omnium christianorum restituendae in unam veram fidem Ecclesiamque magis in dies locum suum obtineat in cura animarum. Omnes fideles simul cum fratribus separatis ipsam unionem instanter a Deo implorent, sibique persuasum habeant nulla alia re efficacius christianis dissidentibus sterni viam ad unicam Christi Ecclesiam agnoscendam atque amplectendam quam fide catholicorum probis moribus comprobata.[17]

NOTAE

[1] Cf. Instructio S. Officii *Ecclesia Catholica,* 20 dec. 1949: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 144.

[2] Rationes cur par. 2 hoc modo proponitur, sunt sequentes:

1) Propter *Orientales orthodoxos dissidentes*: Illi enim cultum eucharisticum centrum habent totius religionis. Hodie, sententiam de structura democratica Ecclesiae (« sobornost ») generatim relinquentes, theologi orthodoxi maxime insistunt in elementa catholica, atque imprimis in doctrinam de cultu eucharistico, ut « koinonia ». Duce autem imprimis Prof. Afanassief multi theologi orthodoxi oppositionem creant inter ecclesiologiam universalisticam (i. e. ecclesiologiam Ecclesiae unius et universalis, iuridice hierarchico modo organisatae — uti in Ecclesia Catholica) et ecclesiologiam eucharisticam (i. e. ecclesiologiam Ecclesiarum particularium, non iure divino auctoritative subordinatarum — uti in Ecclesia Orthodoxa). Quare utilissimum videtur indicare quomodo et Ecclesia Catholica incipit ab ecclesiologia eucharistica quae simul est universalistica. Cf. N. Afanassief, N. Koulomzine, J. Meyendorff, A. Schmeemann, *La primauté de Pierre dans l'Eglise Orthodoxe,* Neuchâtel 1960.

2) Propter Protestantes factionum « Ecclesiae superioris » (« High Church », « Haute Eglise », « Hochkichliche Richtung »): Omnes fautores harum factionum conveniunt in hoc quod « koinoniam » eucharisticam signum habent unitatis fidei et communionis ecclesiasticae; immo et generatim successionem apostolicam admittunt, unitatem communionis ecclesiasticae sub Papa autem nequaquam. Cf. E. Abbott, *Catholicity: A Study in the Conflict of Christian Traditions in the West,* being a Report presented to H. Gr. the Archbishop of Canterbury, London 1947; M. Thurian, *L'Eucharistie,* Neuchâtel-Paris 1959; H. Asmussen und W. Staehlin, *Die Katholizität der Kirche,* Stuttgart 1957.

3) Propter Lutheranos pure reformatoricos: Illi generatim cultum — imprimis cultum eucharisticum — signum habent unitatis Ecclesiae, unitatem confessionis fidei exigens, non autem communionis ecclesiasticae. Cf. W. Elert, *Abendmahl und Kirchengemeinschaft in der alten Kirche, hauptsächlich des Ostens,* Berlin 1954; P. Althaus, *Die Christliche Wahrheit,* Gütersloh 1952, pp. 507-527.

4) In « Consilio Oecumenico Ecclesiarum » magna confusio habetur quoad doctrinam et modum practicum agendi circa intercommunionem, — confusio, intime cohaerens cum confusione circa unitatem Ecclesiae: iis utile erit, indicare fundamentum dogmaticum atque biblicum signi unitatis in cultu exhibiti.

5) Neque omnes Catholici perspectam habere videntur relationem essentialem inter communionem ecclesiasticam et eucharisticam; unde sententiae minus laudandae, tum de unitate et unicitate Ecclesiae, tum de unitate et unicitate cultus.

[3] Cf. Ioannes XXIII, Encycl. *Ad Petri cathedram,* 29 iun. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 515.

[4] Cf. Hertling, S. I.: *Communio und Primat,* in: « Xenia Piana SS.mo D.no Nostro Pio Papae XII dicata » (*Miscellanea Hist. Pontif.,* edita a Fac. Hist. Eccl. in Pont. Univ. Greg., Romae 1943, vol. VII, pp. 1-48, praesertim, pp. 27-34); cf. quoque: G. Bardy, *La Théologie de l'Eglise de St. Clément de Rome à S. Irénée,* Paris 1945 et a parte protestantica: W. Elert, *Abendmahl und Kirchengemeinschaft in der alten Kirche, hauptsächlich des Ostens,* Berlin 1954, pp. 113-121.

[5] Cf. IOANNES XXIII, Encycl. *Ad Petri cathedram,* 29 iun. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 515 et p. 517.

[6] Cf. quoad communitates orientales dissidentes:

IOANNES XXIII, Encycl. *Ad Petri cathedram,* 29 iun. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 515;

PIUS XII, *Alacre studium*: *A.A.S.,* 37 (1945), p. 600.

Cf. quoque J. GRIBOMONT, O. S. B., *Du Sacrement de l'Eglise et de ses réalisations imparfaites,* in: *Irénikon* (1949), pp. 356-357.

Quidquid autem sit de natura talis communitatis separatae, certum est quod in traditione nomen « Ecclesiae » communitatibus orientalibus separatis *saepe* et *constanter* attribuitur: cf. sequentia documenta Ecclesiae:

1074-1075: GREGORIUS VII loquitur de « Ecclesia Constantinopolitana » (*PL* 148, 385-387) et de « Ecclesia orientali » (*PL* 148, 399-400).

1095: URBANUS II inter fines expeditionis Sacrae Crucis « liberationem Ecclesiarum orientalium » enumerat (ita VILLEY, La Croisade, p. 81).

1215: Conc. Lugdun. II: Etsi hic non agitur de Ecclesiis orientalibus adhuc separatis, suum valorem habet id quod in fine professionis fidei Michaelis Palaeologi dicitur: « Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit: quarum multas et patriarchales praecipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva » (MANSI 24, 70 A s.).

1439: Conc. Florent.: In Bulla *Laetentur caeli,* 6 iul. 1439 legitur: « sublatus est enim de medio paries qui occidentalem orientalemque dividebat Ecclesiam ».

1848: PIUS IX, *In Suprema,* haec habet: « num ipsa haec Sanctae et Apostolicae Ecclesiae unitas in tanta illa vestrarum Ecclesiarum divisione, inveniri possit » (*Pii IX P. M. Acta,* vol. I, p. 85).

1867: PIUS IX in Alloc. in Consistorio circa Patriarchatum Ciliciae Armenorum, 12 iul. 1867, observat quod schisma orientale « ipsas Ecclesias ab unitate catholica iamdiu misere seiunxit et separavit... Etsi vero aliquae ex illis Ecclesiis ad catholicam unitatem... redierint... » (*A.S.S.,* 3 [1867], p. 345).

1868: PIUS IX, *Arcano divinae Providentiae,* titulum habet: « Litterae apostolicae Pii IX ad omnes episcopos Ecclesiarum Ritus Orientalis communionem cum Apostolica Sede non habentes ». Aliquoties quoque in ipsa epistola communitates illae separatae « Ecclesiae » vocantur (*A.S.S.,* 4 [1868], pp. 129-131).

1894: LEO XIII, *Praeclarae gratulationis* loquitur de « Ecclesiis orientalibus » et dicit: « redintegrata nobiscum communione, mirum profecto quanta Ecclesiis vestris dignitas, quantum decus, divino munere accedit » (*Leonis XIII P. M. Acta,* 14 [1894], p. 202).

1898: LEO XIII, *Cum divini Pastoris* titulum sequentem habet: « Litterae apostolicae de erectione Archisodalitatis precum et piorum operum pro reditu Ecclesiarum dissidentium ad catholicam unitatem... » (*Leonis XIII P. M. Acta,* 18 [1898], p. 49).

1907: S. Congreg. indulgentiarum dicit: « Ad impetrandam optatam inter Ecclesiam Catholicam et Ecclesias ab hac dissidentes unionem ».

1912: S. PIUS X, Const. Apost. *Tradita ab antiquis* haec habet: « pax Ecclesiae graecae cum latina » (*A.A.S.,* 4 [1912], p. 610).

1920: BENEDICTUS XV, Encycl. *Spiritus Paraclitus* dicit: « Atque utinam his monitis obsequantur orientales in primis Ecclesiae, quae iam nimium diu a Petri Cathedra averso sunt animo » (*A.A.S.,* 12 [1920], p. 421).

1924: PIUS XI, « de Orientis Ecclesiarum doctrinis institutisque » (*A.A.S.,* 16 [1942], p. 491).

1928: PIUS XI, *Mortalium animos* loquitur de acatholicorum actione « ad consociandas christianas Ecclesias » (hic autem « Ecclesia » magis sumi videtur in sensu sociologico) (*A.A.S.,* 20 [1928], p. 9).

1944: PIUS XII, *Orientalis Ecclesiae decus* pluries communitates orientales separatas « Ecclesias orientales » vocat (*A.A.S.,* 36 [1944], pp. 129 ss.).

1945: PIUS XII, *Orientales omnes Ecclesias* agit de communitatibus separatis (patet ex A.A.S., 38 [1946], p. 33) et dicuntur quandoque « societates » (p. 59), quandoque « Ecclesiae », v. g. p. 56: « Cum dissidente Ecclesia coniunctio »; insuper: *A.A.S.,* 38 (1946), pp. 35, 36, 42, 45, 46, 47, 48.

1953: PIUS XII, *Orientales Ecclesias*: *A.A.S.,* 45 (1953),, p. 5: agitur de communitatibus separatis. Cf. de materia huius notae imprimis: CONGAR, *Chrétiens désunis,* pp. 381-382, cum complemento in: *Irénikon,* 23 (1950), pp. 22-24.

[7] IOANNES XXIII, Encycl. *Ad Petri Cathedram,* 29 iun. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), p. 511; cf. quoque: Allocutionem eiusdem Summi Pontificis, occasione « Horae Sanctae » in Basilica Vaticana, 5 iunii 1959: *L'Osserv. Rom.* 7 iunii 1959; eiusdem S. Pontif. Allocutio ad moderatores dioecesanos Act. Cath. Italicae: *L'Osserv. Rom.* 10-11 aug. 1959; eiusdem S. Pontif. Encycl. *Grata recordatio,* 26 sept. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 677-678.

[8] Cf. S. AUGUSTINUS, *Miscellanea Agostiniana,* t. I, *Sermones* (Morin), p. 575: « Non ei dico: Domine (dic) fratri meo dividat mecum haereditatem; sed dico, Domine, dic fratri meo teneat mecum haereditatem ». Insuper: Sermo ad Caesareensem Ecclesiae plebem, n. 5: *PL* 43, 694: « Veni ad haereditatem: maxime quia ipsa haereditas non est illa terra quae data est filiis Iacob. Filiis Israel data est terra: quanto a pluribus possidebatur, tanto plus angustabatur. Haereditas nostra pax vocatur. Testamentum lego: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis (*Ioan.* XIV, 27). Simul teneamus quod dividi non potest. Non eam angustat numerosus possessor, quanticumque venerint ».

[9] Instructio *Ecclesia Catholica*: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 142.

[10] IOANNES XXIII, *Ad Petri Cathedram,* 29 iun. 1959: *A.A.S.,* 51 (1959), pp. 510-511.

[11] Instructio *Ecclesia Catholica*: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 144.

[12] Cf. Constit. *Ad evitanda scandala* Martini V, a. 1418 in Concilio Costantiensi lata (MANSI 27, 1192-1193; cf. de hac constitutione: SUAREZ, *Disput., De Censuris,* disp. IX, sect. II, ed. Vives, Parisiis 1866, t. XXIII, pp. 262-270; F. CAPPELLO, *De Censuris,* ed. 4, Romae 1950, p. 133). Quoad documenta fere omnia praeteriti temporis, cf.: « Verbali delle Conferenze Patriarcali sullo stato delle Chiese Orientali e delle adunanze della Commissione Cardinalizia per promuovere la riunione delle Chiese dissidenti, tenute alla presenza del S. P. Leone XIII (1894-1902) con note illustrative e documenti (pro manuscripto) », Tip. Pol. Vat. 1945, pp. 537-637 (*de Communicatione in Sacris*); insuper: MARCO DELLA PIETRA, O. F. M., *Collectio Rescriptorum praesertim S. S. Congreg. S. Officii et de Prop. Fide,* a. 1933, in S. Congr. pro Eccl. Orient. prot. 38/29 asservata. Ad

haec documenta imprimis addendum est: Decretum S. S. C. S. Officii de sacramentis sub determinatis conditionibus dandis alumnis, filiis « Orthodoxorum », in scholis catholicis, a. 1957 editum.

Insuper e *C.I.C.* ad rem praesertim pertinent: cc. 731, 2; 1258, 1; 2259; 2260; 2261; 2262; 2263; 2267; 2238, 2; 2316 et 2314, 1, n. 1.

Rogant revisionem praescriptionum Romanae Curiae de relationibus cum acatholicis et speciatim mitigationem quoad communicationem in sacris cum « Orthodoxis » Orientalibus: plus quam 60 episcopi e regionibus orientalibus et duo Superiores generales ordinum religiosorum. Contra falsum et periculosum « irenismum oecumenicum » votum dederunt 6 episcopi armenici et nonnulli alii. Sed nullum de communicatione in sacris verbum faciunt S. E. Card. Agagianian cum 8 suis armenis Episcopis (cf. *Acta et Documenta Conc. Vat. II apparando,* Ser. I, Vol. II, Pars IV, pp. 394-400 et Pars IV passim).

Rogat quoque mitigationem praescriptionum de communicatione in sacris Pontificium Institutum Orientalium Studiorum (cf. *Acta et Documenta...,* Ser. I, Vol. IV, Pars I, p. 158 sqq.).

[13] LEO XIII, *Satis cognitum*: *A.S.S.* 8 (1895/96), p. 712.

[14] Cf. P. GASPARRI, *Tract. canonicus de SS. Eucharistia,* t. II, Parisiis 1897, p. 354: « Viatores baptizati sunt iure divino per se capaces sacrae communionis. At... Ecclesia... prohibuit aliquibus, utcumque iure divino capacibus, praeberi sacram communionem.

[15] Instructio *Ecclesia Catholica*: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 145.

[16] Ibid.

[17] Ibid., pp. 146-147.

VII

DE BEATA MARIA VIRGINE MATRE DEI ET MATRE HOMINUM *

1. [*De arcta necessitudine inter Christum et Mariam iuxta Dei beneplacitum*]. Immensae bonitatis Creator omnium sapientissimus Deus, qui omnino liber erat in determinanda via ac ratione qua generis humani liberatio perageretur, inde ab aeterno uno eodemque decreto cum divinae Sapientiae incarnatione beatissimam Virginem praestituit,[1] ex qua Verbum caro factum, in plenitudine temporis (cf. *Gal.* 4, 4) nasceretur. Cum autem Sacrae Litterae, sive diserte sive implicite, Mariam cum Iesu arctissimo et indissolubili vinculo, inde a praeannuntiatione prophetica (cf. *Gen.* 3, 15; *Is.* 7, 14; *Mt.* 1, 23) virginalique conceptione (cf. *Lc.* 1, 26-38) coniunctam, veluti ante oculos proponant, fieri nequit quin Ecclesia, a Spiritu Sancto — qui suam mysticam Sponsam ad profundiorem sensum clarioremque intelligentiam illorum quae in Sacris Fontibus obscure ac veluti implicite latebant assequendum infallibiliter ducit (cf. *Io.* 14, 26) eamque ab errore praeservat (cf. *Mt.* 16, 18; 28, 18-20; *Io.* 14, 16; 15, 26) — edocta, divini Redemptoris mysteria illustrando, mysterium quoque Dei Matris clariorem in lucem proferat.

Haec autem alma Parens, quae « cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur »,[2] non modo « supereminens »[3] prorsus singulareque membrum Ecclesiae est, verum etiam eiusdem exemplar,[4] immo et Mater [5] dicitur.

Quapropter S. Synodus, postquam de Corpore Christi Mystico locuta est, documentis anteactis Magisterii vivi Ecclesiae, unici authentici interpretis depositi revelati, inhaerens, tum locum quem Dei hominumque mater in Ecclesia occupat, tum privilegia quibus Filius Matrem suam exornavit, tum nostra erga tam sublimem creaturam officia, summatim breviterque illustrat, ut scientia ac pietas marialis plane recteque florescant et praeiudicatae opiniones hac in re arceantur.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in octava congregatione sessionis septimae, die 20 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 746-784.

2. [*De munere Beatissimae Virginis Mariae in oeconomia nostrae salutis*]. Cum igitur aeterni Patris Verbum hominis naturam ex muliere sumere voluisset, ut quoniam per feminam mors, vita nobis per feminam oriretur, et sic liberatio in utroque sexu haberetur,[6] non id ante perfecit quam designatae matris, ex praevisis meritis Christi sublimiore modo redemptae,[7] liber consensus (cf. *Lc.* 1, 38)[8] in Filii Dei incarnationem redemptricem accessisset. Quo consensu, Maria, filia Adae, facta est non tantummodo mater Iesu, unici divini Mediatoris ac Redemptoris, verum etiam consors cum eo in humani generis redemptione peragenda.[9] Qui Dei Genitricis salutaris consensus atque consortium a tempore virginalis conceptionis Iesu Christi usque ad eius mortem perseveravit,[10] maxime vero dum, non sine divino consilio, iuxta crucem stetit (cf. *Io.* 19, 25), cum Unigeno suo vehementer condoluit, eundemque ut pretium redemptionis nostrae, cum Ipso, et per Ipsum perlibenter obtulit;[11] cum, ut mater hominum a Christo ipso indicatur (cf. *Io.* 19, 26-27).[12] Quoniam vero humanae redemptionis sacramentum non ante perfectum erit, quam promissus a Christo Spiritus Sanctus, in die Pentecostes, advenerit, Maria, una cum Apostolis in oratione perseverans (cf. *Act.* 1, 14) suis quoque precibus effusionem Spiritus impetravit.[13]

Cum itaque beatissima Virgo ab aeterno praedestinata, ut sit Dei hominumque mater, divina Providentia sic disponente, hisce in terris Christi passibilis fuerit generosa socia in gratia pro hominibus acquirenda, socia quoque Christi gloriosi manet in gratia hominibus conferenda.

Hinc sequitur Mariam, quae in corpore Christi mystico condendo partes habuit, et quae assumpta in caelum Reginaque a Domino constituta erga omnes maternum gerit animum, super omnes post Filium suum obtinere quemdam primatum,[14] ac proinde non, uti quidam aiunt « in peripheria »,[15] sed in ipsomet « centro » Ecclesiae sub Christo locum obtinere.

3. [*De titulis quibus consociatio Beatae Virginis Mariae cum Christo in oeconomia nostrae salutis exprimi solet*]. Quoniam cooperationi Matris Dei, Novae veluti Hevae cum Novo Adamo, in humanae redemptionis peragendo opere, multiplices variique tituli, quibus Magisterium Ecclesiae, veneranda Traditio fideliumque pius sensus Beatissimam Virginem salutare consueverunt,[16] tamquam solido fundamento, radice ac principio nituntur, nefas est dicere, eosdem titulos, in sensu Ecclesiae intellectos, vacuos inanesque esse, immo Sacris Litteris adversari. Ita non immerito ab Ecclesia beatissima Virgo gratiarum Mediatrix nuncupatur.[17] Quod si hic in terra S. Paulus Apostolus sine intermissione in orationibus memor erat fidelium,[18] et instanter rogabat ut ipse eorum precibus apud Deum iuvaretur:[19] quanto magis expedit, ut nosmetipsos commendemus precibus illius, quae magis quam ulla pura creatura, immo modo unice sibi proprio, vicina ac cara est Deo et Christo, Filio Dei et Filio suo; quaeque intensius quam ulla alia pura creatura amat Deum; et ut mater Salvatoris (cf. *Lc.* 1, 31), gladio transfixa anima (cf. *Lc.* 2, 35), sub cruce in Filio suo pro omnium salute moriente

experta est amorem Dei in amore hominum quodammodo culminari (cf. *Io.* 19, 25-27). Materno suo igitur amore continuo apud Deum et Christum pro nobis intercedit, et quia eius intercessio totam suam vim et efficaciam haurit ex Sacrificio cruento Filii sui benedicti, haec eius mediatio minime efficit ut unus Mediator Dei et hominum desinat esse homo Christus Iesus (cf. *I Tim.* 2, 5), sicut eius bonitas non secum portat, ut solus bonus desinat esse fons bonorum omnium, ipse Deus (cf. *Mt.* 19, 17, coll. *Rom.* 2, 4).

Licet enim inter subordinatos mediatores quibus Sapientissimus Deus in oeconomia nostrae salutis uti voluit, neque quis cogitari possit, qui reconciliandis Deo hominibusque parem atque Dei Genitrix operam vel umquam contulerit, vel aliquando sit collaturus, tamen semper verum est Ipsam quoque in sua praedestinatione, in sanctitate omnibusque donis, a Christo pendentem esse Eique subiacere.[20]

Cum itaque haec humilis « Ancilla Domini » cui fecit « magna qui potens est » (cf. *Lc.* 1, 49), omnium gratiarum Mediatrix nuncupatur eo quod associata fuit Christo in illis acquirendis, et cum gloriosi quoque Christi nunc in caelis socia manens, Mediatrix nostra, Advocata nostra ab Ecclesia invocatur, quoniam pro omnibus per Christum intercedit, ita ut in omnibus gratiis hominibus conferendis adsit materna caritas B. Virginis,[21] nullo modo mediatio unici nostri Mediatoris, absoluta significatione, de qua loquitur Apostolus (*I Tim.* 2, 5) dicens: « Unus enim Deus, unus et Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus », obscuratur vel minuitur;[22] immo haec Christi mediatio extollitur et honoratur. Maria enim in Christo est Mediatrix, eiusque mediatio non ex aliqua necessitate, sed ex beneplacito divino et superabundantia ac virtute meritorum Iesu provenit, mediationi Christi innititur, ab illa omnino dependet per eandemque totam vim obtinet.

Quapropter Sacra Synodus theologos verbique divini praecones enixe hortatur, ut studium, potissimum Sacrae Scripturae et SS. Patrum ad sensum Magisterii Ecclesiae promoventes, in veram lucem munera et officia B. Virginis cum aliis dogmatibus connexa, potissimum vero circa Christum, qui est centrum totius veritatis, sanctitatis et pietatis, ponant. Quo in labore semper servetur, ut dicitur, « analogia », seu dissimilis similitudo, quoties nomen aliquod aut officium simul de Christo et Virgine Maria praedicatur: itaque nullo modo Mater Dei aequiparanda est Christo.

4. [*De singularibus privilegiis Dei hominumque Matris*]. Maria Virgo a Deo, qui ineffabili eam prosecutus est amore, singularibus omnino privilegiis ornata est: mirabilis quippe fuit in suo ortu ob immaculatam conceptionem;[23] in sua vita, expers omnis culpae personalis,[24] insimul mater semperque, mente et corpore, virgo;[25] in suo exitu, quia etsi secundum antiquam et venerabilem traditionem mortem subiit temporalem[26] — quo plenius Filio suo assimilaretur[27] —, nexibus tamen mortis cum deprimi minime potuisset, corpore et anima gloriose in caelum assumpta est.[28]

Quae singularia aliaque privilegia ac dona gratiae a Christo Redemptore

profluentia ita in eius honorem redundant ut nequeamus Matris excelsa dona contemplari quin ipsius Filii divinitatem, bonitatem, amorem, omnipotentiam miremur atque celebremus.[29] Siquidem iniuria matris afficit filium, ita et gloria matris in filium redundat: proinde, cum Maria singularem affinitatem habuerit ad Filium suum, decuit ut ex praevisis meritis perfectissimi Redemptoris, auctoris omnis sanctitatis, — qui in hunc mundum venit ut peccatum destrueret, — in primo instanti conceptionis ab omni labe peccati originalis praeservaretur immunis, gratiisque ac donis longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque sanctos ornaretur ut revera digna Mater Dei, filia Patris, sacrarium Spiritus Sancti esset.[30] Neque conveniens erat, ut Filius, qui peculiari dilectionis affectu Matrem prosequebatur — quique voluit corporalem integritatem Matris in ipsomet partu incorruptam atque illibatam manere,[31] ita ut « virginitatis gloria permanente lumen aeternum mundo » effunderet[32] — illud sacratissimum virgineum corpus, augustum divini Verbi tabernaculum, templum Dei, totum sanctum, totum castum, in cinerem resolvi pateretur.[33]

5. [*De cultu erga beatissimam Virginem Mariam*]. Quoniam igitur beatissimae Virgini singularis competit excellentia,[34] ita ut et ab Archangelo mandato Dei « gratia plena » (*Lc.* 1, 28), et ab Elisabeth, Spiritu Sancto repleta, benedicta inter mulieres (cf. *Lc.* 1, 42) salutari meruerit, nihil mirum quod, quemadmodum ipsamet de seipsa prophetavit « beatam me dicent omnes generationes » (*Lc.* 1, 48) cunctis a gentibus et ab universis ritibus « beata » omni quidem laude, suffragiis saeculorum decursu crescentibus,[35] praedicetur, colatur, ametur, invocetur necnon ut exemplum proponatur.[36] Qui singularis cultus marialis tantum abest ut cultui divino latriae — quo Verbo Incarnato quemadmodum et Patri ac Spiritui Sancto adoratio exhibetur — detrimento sit ut potius illi quam maxime faveat. Variae igitur formae pietatis erga Dei hominumque Matrem, quas Ecclesia, — intra limites sanae et orthodoxae doctrinae pro temporum et locorum conditionibus et pro indole ingenioque fidelium —, approbavit, ad id spectant ut, honorata Matre, Filius, in quo aeterno Patri complacuit omnem plenitudinem inhabitare (cf. *Col.* 1, 19), rite noscatur, ametur, glorificetur eiusque mandata serventur; et sic per Christum, qui est « via et veritas et vita » (*Io.* 14, 6), homines ad Dei unius ac trini cognitionem supremamque adorationem perducantur.

Quam sanam, catholicam doctrinam Sacra Synodus consulto fortiterque docet eodemque tempore admonet theologos divinique verbi praecones, ut ab omni falsa veritatis superlatione, quemadmodum et a nimia mentis angustia, in singulari Dei parentis dignitate consideranda caveant.[37]

Meminerint porro utriusque sexus fideles veram devotionem neque in quodam unius momenti affectu neque in vana quadam credulitate consistere, sed ex vera fide procedere, qua omnes adducimur ad imitationem virtutum illius beatissimae Virginis,[38] quae fuit « ancilla Domini » (*Lc.* 1, 38), humillima et oboedientissima, fidelissime servans « et conferens in corde suo »

(*Lc.* 2, 19) quidquid ad Verbum Incarnatum pertinebat (cf. *Lc.* 2, 51), beata quia credidit (cf. *Lc.* 1, 45) salutata. Nihil enim materna propinquitas Mariae profuisset, « nisi felicius Christum corde quam carne gestasset ».[39]

Quo debito honore ac reverentia Matrem Domini et Salvatoris nostri ipsos quoque haud paucos dissidentes, potissimum vero Orientales, — qui arcano quodam impulsu erga Deiparam peculiari modo colendam feruntur [40] — prosequi, magnum Sacrae Synodo gaudium ac solatium affert.

Hinc manifesto patet quam longe a veritate absit improbare catholicae Ecclesiae erga Deiparam cultum tamquam si quid ex cultu uni Deo ac Iesu Christo debito subducatur.

6. [*Maria Sanctissima Fautrix unitatis christianae*]. Maria, Mater et Virgo sanctissima, cum homines universos in Calvario habuerit materno cordi commendatos, vehementer cupit ut non modo illi qui uno donati sunt baptismate unoquoque Spiritu aguntur,[41] verum etiam illi qui se fuisse a Christo Iesu redemptos ignorant,[42] una eademque, tum cum Divino Salvatore tum inter seipsos, fide et caritate cohaereant. Quapropter S. Synodus certa spe ac fiducia nititur fore ut haec Mater Dei hominumque, — quae intercessit (cf. *Io.* 2, 3) ut Verbi Incarnati primum signum in Cana fieret Galilaeae, ex quo crediderunt in eum discipuli eius (cf. *Io.* 2, 11), atque ortae Ecclesiae adstitit,[43] — patrocinio suo a Deo impetret ut tandem aliquando omnes in eodem grege sub uno Pastore conveniant (cf. *Io.* 10, 16).[44] Quamobrem omnes prorsus Christifideles hortatur, ut preces supplicationesque ad hanc Fautricem unitatis,[45] atque Auxilium Christianorum, instanter effundant, ut, ipsa intercedente, divinus eius Filius cunctas familias Gentium, et praeprimis illos qui christiano nomine gloriantur, in unum Dei populum congreget, qui Christi Vicario in terris, beati Petri Successori, — quem in Ephesina Synodo, ubi sollemniter dogma maternitatis divinae approbatum fuit, unanimi plausu Patres « Custodem fidei » merito consalutarunt,[46] — tamquam communi Patri obsequatur ac pareat.

PRAENOTANDA

I - Ad Commissionem Antepraeparatoriam Concilio Vaticano II apparando centena ac centena pervenerunt vota (circa 600), quibus postulatur ut hoc in Oecumenico Concilio sermo fiat de Beatissima Virgine Maria (cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix voluminis II, Pars I, 1961, pp. 131-142). Immo, haud desunt qui vellent ut Concilium sive specialem quemdam tractatum « de augustissima Christi Matre », sive « Encyclicam » edat (cf. *Acta et Documenta...,* Series I, Vol. II, Pars II, pp. 540-543; 549), hoc eo vel magis quia videtur « futurum Concilium de Ecclesia valde imperfecte acturum esse nisi de Beata Maria Virgine quoque agatur, praesertim in hisce temporibus, ubi maximus conflictus adest fideles inter et Satanam » (cf. *Acta et Documenta...,* Series I, Vol. II, Pars V, p. 103). Et sane, doctrina de Dei hominumque Matre tali via ac ratione hisce ultimis decenniis et a Summis Ponti-

ficibus et ab Episcopis et a theologis evoluta, pertractata est, ut iure meritoque tum a catholicis tum ab acatholicis expectetur clarum verbum quid reapse Ecclesia Catholica qua talis, de munere, privilegiis et cultu mariali credit, *tenet* docetque. Id autem opportune fit *in peculiari* Const.: *De Maria Matre Dei et Matre hominum.*

II - Quoniam « una cum sacris eiusmodi fontibus Deus Ecclesiae suae Magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in fidei deposito nonnisi obscure ac velut implicite continentur » (Pius XII, Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: *A.A.S.,* 42 [1950], p. 569), et quoniam, uti notum est, potissimum Summi Pontifices hisce ultimis centum annis doctrinam marianam in deposito fidei contentam illustrarunt, — praeprimis ac praecipue ad duas bullas dogmaticas, nempe: *Ineffabilis Deus* et *Munificentissimus Deus,* et deinde ad varia documenta Romanorum Pontificum remittimus. Quae quidem documenta coadunata inveniuntur in operibus:

— Marin H., S. I., *Doctrina Pontificia,* IV, Biblioteca de Autores Cristianos, Madrid, 1954;

— *Notre-Dame,* coll. « Les enseignements pontificaux », par les Moines de Solesmes, 1957;

— Tondini H., *Le encicliche mariane,* Roma, 1953;

— Lemieux E., *Marie: Documents pontificaux sur la Très Sainte Vierge, parus depuis un siècle,* 1854-1954, vol. I-IV, Québec, 1954.

Quae omnia, ut patet, desumpta sunt ex *Actibus Romanorum Pontificum* (scilicet *A.S.S., A.A.S., Leonis XIII P. M. Acta, Pii IX P. M. Acta, Pii X P. M. Acta*), ad quae generatim remittimus.

III - Hinc inde remittitur ad quosdam fontes traditionis christianae. Et ex controversia inter theologos catholicos circa originem, auctoritatem et sensum talium fontium apparet quomodo hoc Schema opportune non singulis dictis sive Patrum sive theologorum, sed ipsius Magisterii Ecclesiae nititur, *cuius doctrinae certitudo a speciali assistentia Spiritus Sancti provenit, ita ut ad sensum huius Magisterii et Scriptura et Patres interpretandi sunt.* Neque silentio praetereundum ipsum quoque Pium XII, in Litteris Encyclicis *Ad Caeli Reginam* (cf. *A.A.S.,* 46 [1954], p. 628) allegare maxime discussa opera S. Ephraem, nempe *Hymnos* et *Orationes,* minime sane volens ideo dare, ut dicitur, « garantiam » authenticitati talium operum. Unde potius quam singulae notae (hic a nobis interim, seu ad tempus positae, et quae habent *secundarium* momentum) singulae propositiones schematis, in quibus nullum novum dogma, ut per se patet, sed solida et sana doctrina Magisterii ecclesiastici prostat, sedulo ponderandae et examini subiiciendae sunt.

IV - Collatis singulis propositionibus huius brevissimi « Schematis » de Matre Dei, cum nonnullis textibus quos ex tot tantisque documentis marialibus Romanorum Pontificum attulimus, statim apparebit quod:

1) Nulla prorsus est sententia in « Schemate » quae non esset a Sum-

mis Pontificibus, idque haud raro verbotenus necnon *saepe saepius,* prolata.

2) Varii errores qui hodie circa Beatissimam Virginem sparguntur reiecti sunt, veritatem facientes in caritate. Ita e. g.:

a) quod virginitas in partu B. V. Mariae sit univoca, identica, absque ullo alio elemento, cum virginitate ante partum;

b) Beatissima Virgo tempore Annuntiationis prorsus ignorasset Filium quem concipere debuit esse Deum;

c) reiicitur error tum « maximalistarum » qui vel ita loquuntur ac si B. Virgo nos eodem fere modo ac Christus redemisset, vel dicunt Mariam mortuam non esse, aut redemptam non esse; tum « minimalistarum » qui tali via ac ratione scribunt ac si Mater Dei esset eiusdem speciei membrum Ecclesiae sicut et ceteri filii Adae...

3) Etsi quoad argumenta pertractata « tota et integra doctrina catholica est proposita et exposita » (Instructio S. Off. *De motu oecumenico*: *A.A.S.,* 42 [1950], p. 144), tamen iugiter prae oculis habiti sunt fratres separati eorumque modus cogitandi. Quapropter:

a) Omissae sunt expressiones et vocabula quaedam a Summis Pontificibus adhibita, quae licet in se verissima, possent difficilius intelligi a dissidentibus (i. e. hoc in casu a protestantibus). Inter talia vocabula adnumerari queunt sequentia: « Corredemptrix humani generis (S. Pius X, Pius XI); « Reparatrix totius orbis » (Leo XIII); « materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit » (Benedictus XV, Pius XII), « merito dici queat Ipsam cum Christo humanum genus redemisse » (Benedictus XV), etc.;

b) Inculcatum est quod necesse est considerare oeconomiam nostrae salutis *non quo pacto id posse queat,* sed quo hanc oeconomiam Deus voluit (cf. dictum Leonis XIII, *De Ecclesia,* in Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: Denz. 1954);

c) Explicatum est quomodo mediatio B. Virginis nedum mediationi Christi officiat immo illam exaltat et honorat; item quomodo cultus marialis nullo modo cultui Deo vel Christo debito detrimento sit, etc.;

d) Dogma Immaculatae Conceptionis et Assumptionis, argumentis a ratione theologica desumptis et a *Patribus Graecis* diffuse expositis necnon in Const. dogmatica *Munificentissimus Deus* reassumptis, ita illustrantur ut saltem ipsum factum istius duplicis privilegii mariani cuique menti christianae obvium ac rationabile appareat;

e) Omnes christifideles invitantur ut effundant concordes preces ad Fautricem unionis christianae, ut tandem adimpleatur illud mandatum Christi: « ut sit unum ovile et unus Pastor »!

V - Notae et commentaria quae sequuntur ad id *unice* spectant ut auxilio possint esse recte ipsum textum huius Constitutionis diiudicandi. In ipsomet schemate definitivo, a Patribus approbato, possent retineri una cum allegationibus Sacrae Scripturae, tantummodo paucissimae aliae allegationes et hoc etiam ne schema dogmaticum aspectum alicuius theseos doctoralis obtineat.

NOTAE

[1] Pius IX, Bulla *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: *Pii IX P. M. Acta,* Pars I, vol. I, p. 599: « vel ipsissima verba, quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur, eiusque sempiternas origines repraesentant, consuevit tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta Liturgia adhibere, et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum Divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta »;

Leo XIII, Encycl. *Augustissimae Virginis,* 12 sept. 1897: *Leonis XIII P. M. Acta,* XVII, p. 285: [Deus] « eam enim ab aeterno ordinavit ut Mater Verbi fieret humanam carnem assumpturi; ideoque inter omnia, quae essent in triplici ordine naturae, gratiae, gloriaeque pulcherrima, ita distinxit, ut merito eidem Ecclesia verba illa tribuerit: " *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam* " [*Eccli.* 24, 5] »;

Pius XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 768: « Idcirco augusta Dei Mater, Iesu Christo, inde ab omni aeternitate " uno eodemque decreto " praedestinationis, arcano modo coniuncta... ».

[2] S. Augustinus, *De sancta virginitate,* VI, 6: *PL* 40, 399, *C.S.E.L.* 41, 240.

[3] S. Augustinus, *Sermo XXV, De verbis Evangelii Matthaei XII,* 41-50, 7: *PL* 46, 938: « Maria portio est Ecclesiae, sanctum membrum, excellens membrum, supereminens membrum, sed tamen totius corporis membrum ».

[4] S. Ambrosius, *In Luc.* II, 7: *C.S.E.L.* 32/4, 45: Maria « bene desponsata, sed virgo quia est Ecclesiae typus »;

Cf. S. Augustinus, *Sermo CCXIII,* 7: *PL* 38, 1064: « Mariae simillima est » Ecclesia. [Cf. Morin G., O. S. B., *S. Aurelii Augustini Tractatus sive sermones inediti ex cod. Guelferbytano 4096,* Monaci 1917, p. 7];

S. Augustinus, *Sermo XXV, De verbis Matthaei XII,* 41-50: *PL* 46, 938: « In ipsius typo [Ecclesiae] Maria virgo praecessit »; cf. Denis M., *Sancti Aurelii Augustini Hipponensis Episcopi Sermones inediti adiunctis quibusdam dubiis,* Vindobonae 1792, pp. 116-124; Morin G., O. S. B., *S. Augustini Sermones post Maurinos reperti probatae dumtaxat auctoritatis nunc primum disquisiti...,* in: *Miscell. Agostiniana* (Studi e Testi, I), Romae 1930, p. 163.

[5] Cf. Leo XIII, Encycl. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895: *Leonis XIII P. M. Acta,* XV, p. 302: « ... verissime quidem Mater Ecclesiae atque magistra et regina Apostolorum... »;

Benedictus XIV, Bulla aurea *Gloriosae Dominae,* 27 sept. 1748 [*Documentos Marianos,* n. 210]: « ... Catholica Ecclesia, Sancti Spiritus magisterio edocta, eamdem... tamquam amantissimam Matrem... semper professa est ».

[6] S. Augustinus, *Quaestiones Octoginta tres,* q. 11: *PL* 40, 14; *De Trin.* I, 13, c. 18: *PL* 42, 1032.

Innocentius III, *Sermo 28, In Assumptione B. M. V.*: *PL* 217, 581: « Oportebat enim, ut sicut per feminam mors intravit in orbem, ita per feminam vita rediret in orbem. Et ideo quod damnavit Eva, salvavit Maria, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret... ».

Pius XII, Encycl. *Ad caeli Reginam,* 11 oct. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 634-635: « Si Maria, in spirituali procuranda salute, cum Iesu Christo, ipsius salutis principio, *ex Dei placito sociata fuit,* et quidem simili quodam modo, quo

Heva fuit cum Adam, mortis principio, consociata, ita ut asseverari possit nostrae salutis opus, secundum quandam " recapitulationem " [S. IRENAEUS, *Adv. haer.*, V, 19: *PL* 7, 1175 B] peractum fuisse, in qua genus humanum, sicut per virginem morti adstrictum fuit, ita per virginem salvatur... ».

[7] ALEXANDER VII, in Bulla *Sollicitudo omnium Ecclesiarum,* 8 dec. 1661, adhibuit formulam « eius animam in primo instanti creationis atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Iesu Christi eius Filii humani generis *Redemptoris,* a macula peccati originalis praeservatam immunem » [cf. *Virgo Immaculata,* in: *Acta Congressus Mariologici-Mariani,* Romae anno 1954 celebrati, vol. II, Romae 1956, p. 219; Bulla *Ineffabilis Deus*: *Pii IX P. M. Acta,* pars I, vol. I, p. 602].

In ipsamet Bulla legitur: « Omnes pariter norunt quantopere solliciti fuerint Sacrorum Antistites vel in istis ecclesiasticis conventibus palam publiceque profiteri, sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam ob praevisa Christi Domini Redemptoris merita numquam originali subiacuisse peccato, sed praeservatam omnino fuisse ab originis labe, et IDCIRCO *sublimiori modo redemptam* » [SARDI V., *La solenne definizione del dogma dell'Immacolato concepimento,* Romae 1905, II, p. 306].

In Instrumento dogmaticae definitionis Immaculati Conceptus Beatae V. Mariae legitur: « *gratia plenam, benedictam in mulieribus,* omnino nempe ab originis labe praeservatam, ET IDCIRCO SUBLIMIORI MODO REDEMPTAM » [SARDI V., *Op. cit.,* II, p. 454].

PIUS XII, Encycl. *Fulgens corona,* 8 sept. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), p. 581: « Facile cernimus Christum Dominum perfectissimo quodam modo divinam Matrem suam revera redemisse, cum, Ipsius meritorum intuitu, eadem a Deo praeservata esset a quavis hereditaria labe immunis ».

[8] In *Lc.* 1, 28-38 maternitas divina proponitur Mariae [30-33], Maria difficultates exponit quas angelus solvit [34-37], et tunc demum Maria assentitur [38].

S. LEO MAGNUS, *Sermo 21,* c. 1: *PL* 54, 191: « Virgo regia Davidicae stirpis eligitur, quae sacro gravidanda foetu divinam humanamque prolem prius conciperet mente quam corpore ».

INNOCENTIUS III, *Sermo 12*: In Purificatione B. V. M.: *PL* 217, 506: « His ita peractis, statim Spiritus Sanctus advenit, et triplicem viam ante faciem Domini praeparavit. Prima fuit virginalis consensio... ».

LEO XIII, Encycl. *Octobri mense,* 22 sept. 1891: *Acta Leonis XIII,* XI, p. 303: « Filius Dei aeternus, quum, ad hominis redemptionis et decus, hominis naturam vellet suscipere, eaque re mysticum quoddam cum universo humano genere initurus esset connubium, non id ante perfecit quam liberrima consensio accessisset designatae Matris, quae ipsius generis humani personam quodammodo agebat ».

LEO XIII, Encycl. *Iucunda semper,* 8 sept. 1894: *Acta Leonis XIII,* XIV, p. 307: « Filius enim Dei aeternus sese inclinat ad homines, homo factus; assentiente vero Maria et *concipiente de Spiritu Sancto* ».

LEO XIII, Encycl. *Octobri mense,* 22 sept. 1891: *A.S.S.,* 24 (1891), p. 195. Virgineum consensum fuisse omnino liberum quamplurimi sancti, Patres et theologi edixerunt. Cf. BOVER I. M., *Deiparae Virginis consensus corredemptionis ac mediationis fundamentum,* Matriti 1942, pp. 245-248.

[9] Iuxta doctrinam Romanorum Pontificum, « FIAT » prolatum a B. Virgine in Annuntiatione fuit origo missionis et gloriae B. Virginis Matris et Reginae.

Maria fuit sibi conscia se concipere Verbum Dei; fuit conscia loci et muneris quatenus est Mater Redemptoris et hominum; responsum dedit angelo prompte et nomine totius humanitatis faciens possibilem passionem, mortem et resurrectionem Christi; cum hoc « FIAT » facta est *mater spiritualis hominum.* Cf. *Notre-Dame,* « Les enseign. pontif. », p. [73], n. 701. 741. 214. 372, 381, 230, 648.

S. LEO MAGNUS, *Sermo 6 in Nativitate Domini*: *PL* 54, 213: « Generatio enim Christi origo est populi christiani, et natalis Capitis natalis est corporis ».

LEO XIII, Litt. Apost. *Parta humano generi,* 8 sept. 1901: *Acta Leonis XIII,* XXI, p. 158: « O quam suavis igitur, quam grata angelica salutatio accidit beatae Virgini, quae tum, cum Gabriel eam salutavit, SENSIT SE DE SPIRITU SANCTO CONCEPISSE Verbum Dei ».

LEO XIII, Encycl. *Fidentem piumque,* 20 sept. 1896: *Acta Leonis XIII,* XVI, pp. 282-283: « Ipsa ad homines in sempiternum ruentes exitium Servatorem adduxit, iam tunc scilicet quum pacifici sacramenti nuncium, ab Angelo in terris allatum, admirabili assensu *loco totius humanae naturae,* excepit... inde simul elucent Mariae promerita de reconciliatione et salute nostra ».

S. PIUS X, Encycl. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: *Acta Pii X,* I, pp. 152-153: « An non Christi mater Maria? Nostra igitur et mater est... aeternum Dei Filium non ideo tantum concepit Virgo ut fieret homo, humanam ex ea assumens naturam; verum etiam ut, per naturam ex ea assumptam, mortalium fieret sospitator. ... In uno igitur eodemque alvo castissimae Matris et carnem Christus sibi assumpsit et *spiritale* simul corpus adiunxit, ex iis nempe coagmentatum *qui credituri erant* in eum. Ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris. Universi ergo, quotquot cum Christo iungimur, quique, ut ait Apostolus, *membra sumus corporis eius, de carne eius et ossibus eius,* de Mariae utero egressi sumus, tamquam corporis instar cohaerentis cum capite. Unde, spiritali quidem ratione ac mystica, et Mariae filii nos dicimur, et ipsa nostrum omnium mater est... ».

Eamdem ideam repetit PIUS XII in sermone ad Congressum Marianum Canadensem, die 19 iun. 1947: *A.A.S.,* 39 (1947), pp. 268-270.

PIUS XII, Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iul. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), pp. 247-248: « Ipsa fuit, quae Christum Dominum, iam in virgineo gremio suo Ecclesiae Capitis dignitate donatum... edidit... Ipsa igitur, omnium membrorum Christi sanctissima Genitrix... ».

Ibid., p. 247: « Quaeque consensit " loco totius humanae naturae ", ut " quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam " haberetur ».

Cf. BOVER I., in opere *Deiparae Virginis consensus corredemptionis ac mediationis fundamentum,* Matriti 1942, in plus quam 350 paginis probare conatur argumentum in ipsomet titulo operis exhibitum. Et sane, angelus Virgini una cum divina maternitate humanam quoque salutem annuntiat, et Virgo, angelo respondens, humanam quoque salutem intendit ac spectat. Ulterius, Incarnatio est salutis exordium, et divina maternitas et ad humanam salutem a Deo providenter ordinatur et fructum edit formaliter salutarem.

S. IOANNES DAMASCENUS, *Homilia 1 in Nativ. B. V. M.*: *PG* 96, 671: « Maria divinae obsequens voluntati, deceptorem anguem ipsa decepit, ac mundo immortalitatem invexit ».

Nota sunt praeterea verba S. LEONIS, *Sermo in Nativ. Domini,* c. 1: *PL* 54, 191: « *Prius mente quam corpore* » Virgo concepit.

Cf. etiam S. AUGUSTINUS, *Sermo 215,* 4: *PL* 38, 1074. Est consensus in Salvatorem incarnandum qui [*Mt.* 1, 21] « salvum faciet populum suum a peccatis eorum ».

Notum est auctores catholicos haud idem sentire quoad varios textus patristicos, qui in supra allegato opere P. BOVER leguntur. Id potissimum dicendum quod attinet scripta S. EPHRAEM, de quo iure meritoque scribit RICCIOTTI: « Trattare degli scritti di S. Efrem è come mettersi a navigare in un mare le cui rive ancora non siano state tutte esplorate e sulla cui superficie s'intradevono minacciosi molti scogli: il mare è la quantità degli scritti, le rive sono il loro numero, gli scogli sono le interpolazioni e false attribuzioni » [cf. RICCIOTTI G., *S. Efrem Siro...,* Roma-Torino 1925, p. 91].

[10] Cf. *Lc.* 2, 1-7; 2, 16-20; 22, 22-38; *Mt.* 1, 20-23; 2, 11. 13-15; *Io.* 19, 25-7.

LEO XIII, Epist. Apost. *Parta humano generi,* 8 sept. 1901: *Acta Leonis XIII,* XXI, p. 159: Maria « mysteriis nostrae Redemptionis... *non adfuit tantum, sed interfuit* ».

LEO XIII, Encycl. *Iucunda semper,* 8 sept. 1894: *Acta Leonis XIII,* XIV, p. 307: « Quum enim se Deo vel ancillam ad matris officium exhibuit vel totam cum Filio in templo devovit, utroque ex facto iam tum (!) consors cum eo extitit laboriosae pro humano genere expiationis ».

S. PIUS X, Encycl. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: *Acta Pii X,* I, p. 150: « Opus est omnino sanctissimam eius Matrem mysteriorum divinorum participem ac veluti custodem agnoscere, in qua, tamquam in fundamento post Christum nobilissimo, fidei saeculorum omnium exstruitur aedificatio ».

[11] Summi Pontifices loquendo de Maria sub cruce dicunt quod Maria exercebat actus fidei, spei et caritatis, unita amore doloribus Christi ita ut sit connexio inter compassionem Mariae et redemptionem; ipsa renuntiat iuribus maternis et offert sacrificium maternum, fitque nostra mater spiritualis. Paucis verbis: compassio Mariae connexionem habet cum redemptione, talique modo ut ipsa inde merito dici possit *corredemptrix,* et per modum unius recensentur fructus redemptionis Christi et compassionis Mariae.

En quidam textus:

LEO XIII, Litt. Apost. *Iucunda semper,* 8 sept. 1894: *Acta Leonis XIII,* XIV, pp. 307-308: « Consors cum eo extitit laboriosae pro humano genere expiationis: ex quo etiam, in acerbissimis Filii angoribus et cruciamentis, maxime animo condoluisse dubitandum non est. Ceterum, praesente ipsa et spectante, divinum illud sacrificium erat conficiendum, cui victimam de se generosa aluerat... *stabat iuxta crucem Iesu Maria, Mater eius,* quae tacta in nos caritate immensa ut susciperet filios, Filium ipsa suum ultro obtulit iustitiae divinae, cum eo commoriens corde, doloris gladio transfixa ».

S. PIUS X, Encycl. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: *Acta Pii X,* I, p. 153: « Ad haec, Deiparae sanctissimae non hoc tantum in laude ponendum est quod *nascituro ex humanis membris Unigenito Deo carnis suae materiam ministravit,* qua nimirum saluti hominum compararetur hostia; verum etiam officium eiusdem hostiae custodiendae nutriendaeque atque adeo, stato tempore, sistendae ad aram ».

Benedictus XV, Litt. Apost. *Inter sodalitia,* 22 mart. 1918: *A.A.S.,* 10 (1918), p. 182: « Ita cum Filio patiente et moriente passa est et paene commortua, sic materna in Filium iura pro hominum salute abdicavit placandaeque Dei iustitiae, quantum ad se pertinebat, Filium immolavit, ut dici merito queat, Ipsam cum Christo humanum genus redemisse ».

Pius XI, Encycl. *Miserentissimus Redemptor,* 8 maii 1928: *A.A.S.,* 20 (1928), p. 178: « Praesens arrideat Virgo Dei Parens benignissima, quae, cum Iesum nobis Redemptorem ediderit, aluerit, apud crucem hostiam obtulerit, per arcanam cum Christo coniunctionem eiusdemque gratiam omnino singularem, Reparatrix item extitit pieque appellatur ».

Pius XII, Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 247: « Ipsa fuit, quae vel propriae vel hereditariae labis expers, arctissime semper cum Filio suo coniuncta, eumdem in Golgotha, una cum maternorum iurium maternique amoris holocausto, nova veluti Eva, pro omnibus Adae filiis, miserando eius lapsu foedatis, Aeterno Patri obtulit ».

[12] Notum est plures Vicarios Christi constanter et de industria edixisse Iesum Christum ratum fecisse Matrem suam nostram quoque esse Matrem, eamque testamento illo sollemni a Ioanne tradito [cf. *Io.* 19, 26-27], nobis in persona Discipuli dilecti reliquisse; cf. Unger D., O.F.M. Cap., *The Meaning of John 19. 26-27 in the Light of Papal Documents,* in: *Marianum* 21 (1959), pp. 186-221, ubi afferuntur testimonia Benedicti XIV, Pii VIII, Gregorii XVI, Pii IX, Leonis XIII, Benedicti XV, Pii XI, Pii XII. Ex hisce quamplurimis testimoniis en quaedam tantummodo:

Leo XIII, Encycl. *Octobri mense,* 22 sept. 1891: *A.S.S.,* 24 (1891/92), p. 196: « ... talem de cruce praedicavit, quum *universitatem humani generis,* in Ioanne discipulo, curandam ei fovendamque commisit... »;

Id., Epist. Apost. *Amantissimae voluntatis,* 14 apr. 1895: *A.S.S.,* 27 (1894/95), p. 592: « ... sanctissimam Dei Genitricem, quam *humano generi* Christus ipse e cruce reliquit atque attribuit matrem... »;

Id., Encycl. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895: *A.S.S.,* 28 (1895/96), p. 130: « Eximiae in nos caritatis [Christi] mysterium ex eo quoque luculenter proditur, quod moriens Matrem ille suam Ioanni discipulo matrem voluit relictam, testamento memori: " Ecce filius tuus ". In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam *humani generis,* eorum in primis qui sibi ex fide adhaerescerent... »;

Benedictus XV, Litt. Apost. *Inter sodalicia,* 22 mart. 1918: *A.A.S.,* 10 (1918), p. 182: « Liquet item, Virginem Perdolentem, utpote quae, a Iesu Christo *universorum hominum* Mater constituta... »;

Pius XI, Litt. Apost. *Explorata res,* 2 febr. 1923: *A.A.S.,* 15 (1923), p. 104: « ... Virgo perdolens redemptionis opus cum Iesu Christo participavit, et constituta *hominum Mater,* eos, sibi veluti testamento divinae caritatis commendatos, amplexa sit... »;

Id., Encycl. *Lux veritatis,* 25 dec. 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 514: « talem... de cruce praedicavit, cum universitatem humani generis in Ioanne discipulo, curandam ei fovendamque commisit » [citando Encycl. Leonis XIII, cf. supra];

Pius XII, Encycl. *Fulgens corona,* 8 sept. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), p. 584: « ... Mater nostra Maria nihil optatius habet, nihil iucundius, quam cum eos videt, quos sub Cruce Nati in eius vicem suscepit filios... »;

ID., *Epist. ad Em.mum Card. Al. Maglione,* 15 apr. 1942: *A.A.S.,* 34 (1942), p. 126;

ID., Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui Sodalitatis internationalis " Filiarum Mariae Immaculatae ",* 17 iul. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 494;

IOANNES XXIII, *Nuntius Radiophonicus VII Congressui Mariano Galliae*: *L'Oss. Rom.* 10-11 iul. 1961: « La sainte Ecriture, avec ce point très lumineux... qui vous conduit... au sommet sublime de la théologie mariale, Jésus au haut sur la croix: à ses pieds, Marie, la mère, et Jean, l'apôtre de prédilection... »;

ID., *L'omaggio dei redenti alla Madre celeste*: *L'Oss. Rom.* 8 sept. 1960: « Il Nuovo Testamento incomincia, ben si può dire, con le parole del divino Inviato: " Angelus Domini nuntiavit Mariae ". Al termine, al vertice della comunicazione della Divinità con l'umanità, è Gesù il Redentore del mondo, il quale, poco prima della sua morte di croce, affida Maria all'Apostolo Giovanni dicendogli: " Ecco tua Madre ", e raccomandando il discepolo a Maria aggiunge: " Ecco il tuo figlio ". Il testamento del Signore è il suggello, la manifestazione più alta della vita della santa Chiesa... Nella vita del cristiano tutto dunque è illuminato da questa nota che tocca il cuore: Maria nostra Madre ».

Videsis KERRIGAN A., O. F. M., *Jn. 19, 23-27 in the Light of Johannine Theology and the Old Testament,* in: *Antonianum,* 35 (1960), pp. 369-416.

[13] *Act.* 1, 14; 2, 1-4.

LEO XIII, Encycl. *Superiore anno,* 30 aug. 1884: *Acta Leonis XIII,* IV, p. 124: « Intuendum item in exemplum Apostolorum, qui maximum Spiritus Paracliti donum sibi promissum exspectaverunt, perseverantes unanimiter in oratione cum Maria Matre Iesu ».

LEO XIII, Encycl. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895: *Acta Leonis XIII,* XV, p. 302: « In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam humani generis... Huius igitur singularis muneris et laboriosi partes ea suscepit obiitque magnanima, consecratis in Caenaculo auspiciis: christianae gentis primitias iam tum sanctimonia exempli, auctoritate consilii, solatii suavitate, efficacitate sanctarum precum admirabiliter fovit; verissime quidem mater Ecclesiae atque magistra et regina Apostolorum, quibus largita etiam est de divinis oraculis quae *conservabat in corde suo* ».

LEO XIII, Litt. Apost. *Iucunda semper,* 8 sept. 1894: *Acta Leonis XIII,* XIV, p. 308: « Quoniam vero humanae redemptionis sacramentum non ante perfectum erit quam promissus a Christo Spiritus Sanctus advenerit, ipsam idcirco in memori Caenaculo contemplamur, ubi simul cum Apostolis pro eisque postulans inenarrabili gemitu, eiusdem Paracliti amplitudinem maturat Ecclesiae, supremum Christi donum, thesaurum nullo tempore defecturum ».

PIUS XII, Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: *A.A.S.,* 35 (1943), p. 248: « Ipsa fuit, quae validissimis suis precibus impetravit, ut Divini Redemptoris Spiritus, iam in Cruce datus, recens ortae Ecclesiae prodigialibus muneribus Pentecostes die conferretur ».

[14] PIUS XII, Encycl. *Ad caeli Reginam,* 11 oct. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), pp. 625-640. Hisce in litteris encyclicis quibus festum universale Mariae Reginae instituitur, huius regalitatis factum, tituli, natura explanatur. Regalitas Mariae eruitur ex Sacra Scriptura [*Lc.* 1, 30-35], ex traditione, ex ratione theologica: nempe ex divina maternitate et ex consortio cum Christo Rege. « Si Maria — scribit PIUS XII, *l. c.,* p. 634 ss. — in spirituali procuranda salute, cum Iesu

Christo, ipsius salutis principio, ex Dei placito sociata fuit, et quidem simili quodam modo, quo Heva fuit cum Adam, mortis principio, consociata, ita ut asseverari possit nostrae salutis opus, secundum quandam " recapitulationem " peractum fuisse, in qua genus humanum, sicut per virginem morti adstrictum fuit, ita per virginem salvatur; si praeterea asseverari itidem potest hanc gloriosissimam Dominam ideo fuisse Christi matrem delectam " ut redimendi generis humani consors efficeretur "...; inde procul dubio concludere licet, quemadmodum Christus, novus Adam, non tantum quia Dei Filius est, Rex dici debet, sed etiam quia Redemptor est noster, ita quodam analogiae modo, Beatissimam Virginem esse Reginam non tantummodo quia mater Dei est, verum etiam quod nova veluti Heva cum novo Adam consociata fuit ».

Pag. 635: « Nullum igitur dubium est Mariam Sanctissimam dignitate sua super omnes res creatas excellere itemque super omnes post Filium suum obtinere primatum ».

[15] De tendentia « minimalistica » inter ipsos quosdam catholicos viros sparsa, qui potissimum sic dictam viam « ecclesiologicam » tenent, cf. e. g. PINSK J., *Grundsätzliche und praktische Erwägungen zur christlichen Kerkündigung im Marianischen Jahr,* Berlin 1954;

GEISELMANN J. R., *Marien-Mythos und Marien-Glaube*, in: *Maria in Glaube und Frömmigkeit...,* 1954, pp. 39-91.

PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus Iis qui interfuerunt conventui internationali mariologico-mariano,* Romae habito, 24 oct. 1954: *A.A.S.*, 46 (1954), p. 679: « Etsi verum est Beatissimam Virginem quoque, uti nos, Ecclesiae esse membrum, tamen non minus verum est eam esse Corporis Christi Mystici membrum PLANE SINGULARE ».

[16] In antiquitate christiana Maria solet nuncupari Eva qui titulus ex principio recirculationis seu parallelismi inter Mariam et Evam videtur esse desumptus. Testimonium de hoc adstat iam apud S. Iustinum (*Dialogus cum Triphone,* 100: *PG* 6, 710): « Et cum Eum Filium Dei esse... legamus... et ex Virgine hominem esse factum, *ut qua via initium orta a serpente inoboedientia accepit, eadem et dissolutionem acciperet...* ». Eodem autem principio suffultus S. Irenaeus Mariam explicite appellat *causam salutis* universi generis humani (*Adversus haereses,* III, c. 24, 4: *PG* 7, 959). Post Concilium Ephesinum ipsemet titulus *Mediatricis* vel, ut graeci aiunt, *Mesítes* seu *Mesetría,* Mariae attribuitur. Apud sat antiquum auctorem (quidam dicunt saec. V, sed certe ante saec. VIII) legitur: « Ipsa enim est caeli et terrae Mediatrix, quae unionem naturaliter peregit » (*Homilia V de laudibus S. Mariae Deiparae*: *PG* 43, 491). Qui titulus communior in dies evasit, uti videre est apud S. Andream Cretensem (*PG* 97, 866), S. Germanum Constantinopolitanum (*In Dormitione Deiparae*: *PG* 98, 362. 369), S. Ioannem Damascenum (*In Annuntiationem B. V. Mariae*: *PG* 96, 659), etc. Neque desunt SS. Patres qui Mariam salutant ceu « *Adiutricem Redemptoris* » (cf. *Encomium in Dormitionem S. Dominae Nostrae*: *PG* 86, 3294), vel *matrem viventium,* idque allegando *Gen.* 3, 15 (S. EPIPHANIUS, *Adversus haereses,* 78: *PG* 42, 727).

Quae omnia evoluta sunt a Theologis et a Summis Pontificibus, et creata est nomenclatura, ubi Maria vocatur mox *Mater spiritualis hominum,* alia vice *Regina caeli et terrae,* alia vice *Nova Heva, Mediatrix, Dispensatrix omnium gratiarum,*

immo et *Corredemptrix.* Quod attinet titulum Regina cf. notam 14; quoad titulum Matris spiritualis, Matris hominum, cf. notam 12; quoad titulum *Corredemptrix, Socia Christi Redemptoris,* hic quaedam adiungenda sunt:

Iam saeculo x occurrit titulus *Redemptrix*: « Sancta redemptrix mundi, ora pro nobis ». Quando saeculo xv et xvi hic titulus spargebatur, et iam intuebatur immediata cooperatio B. Virginis in opere nostrae redemptionis, vocabulo « Redemptrix » additur « con », et ita Mater Dei nuncupatur « corredemptrix », dum Christus continuatur nuncupari « Redemptor ». Inde a saeculo xvii, titulus « Corredemptrix » communissime usurpatur non solum in operibus pietati ac devotioni inservientibus, verum etiam in quamplurimis tractatibus theologicis [cf. Carol J., *De corredemptione Beatae Virginis Mariae,* Romae 1950, p. 482].

Quod vero attinet Romanos Pontifices, occurrit in quibusdam textibus S. Pii X et Pii XI in contextibus minoris ponderis: cf. *A.S.S.,* 41 (1908), p. 409; *A.A.S.,* 6 (1914), pp. 108 s.; *L'Osserv. Rom.,* 29-30 apr. 1935.

Pius XII intentionaliter vitare voluit hanc expressionem adhibendo frequenter formulas « Socia Redemptoris », « Generosa Redemptoris Socia », « Alma Redemptoris Socia », « Socia in Divini Redemptoris opere ».

Consortium Mariae cum Iesu in oeconomia nostrae salutis saepe saepius a Summis Pontificibus extollitur: « ad magnam Dei Matrem eamdemque reparandi humani generis consortem » [Leo XIII, Const. Apost. *Ubi primum,* 2 febr. 1898: *Acta Leonis XIII,* XVIII, p. 161];

Pius XI, *Alloc. peregrinantibus e dioecesi Vicent.*: *L'Osserv. Rom.* 1 dec. 1933: « Il Redentore non poteva, per necessità di cose, non associare la Madre Sua alla Sua opera, e per questo noi la invochiamo col titolo di *Corredentrice...* »;

Pius XII, Encycl. *Ad caeli Reginam,* 11 oct. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 634: « Si Maria, in spirituali procuranda salute cum Iesu Christo, ipsius salutis principio, ex Dei placito *sociata* fuit... ».

Praeter titulos allatos adsunt quamplurimi alii, quibus a Christifidelibus Maria salutatur.

Leo XIII, Encycl. *Supremi Apostolatus,* 1 sept. 1883: *Acta Leonis XIII,* III, p. 282: « Veteris et recentioris aevi historiae, ac sanctiores Ecclesiae fasti publicas privatasque ad Deiparam obsecrationes vota commemorant, ac vicissim praebita per Ipsam auxilia partamque divinitus tranquillitatem et pacem. Hinc insignes illi tituli, quibus Eam catholicae gentes christianorum Auxiliatricem, Opiferam, Solatricem, bellorum Potentem, Victricem, Paciferam consalutarunt ».

Cf. Pius VI, Const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794 [*Documentos Marianos,* n. 230]: « Item [doctrina] quae vetat, ne imagines, praesertim beatae Virginis, ullis titulis distinguantur, praeter denominationibus, quae sint analogae mysteriis, *de quibus in sacra Scriptura expressa fit mentio;* quasi nec adscribi possent imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat: temeraria, piarum aurium offensiva, *venerationi beatae praesertim Virgini debitae iniuriosa* ».

[17] Perlustranti *Appendicem voluminis II Actorum et Documentorum Concilio Vaticano II apparando* (pp. 131-140) apparebit *plusquam 500* Episcopos et Praelatos ex omnibus quinque partibus mundi postulasse definitionem sollemnem alicuius socialis muneris B. Virginis, et potissimum eius universalis mediationis quoad gratias. Et sane, ut scribit P. De Aldama, S. I., *Sacrae Theologiae Summa,* III, Matriti 1956, p. 419): « B. Virginem Mariam esse mediatricem *ali-*

quo vero sensu, idque ex titulo omnino speciali prae aliis Sanctis, *est de fide ex magisterio ordinario.* Recte usurpari titulum Mediatricis, *est certum ex multiplici usu Romanorum Pontificum, et Liturgiae;* nec de hoc licet dubitari ». Et iterum (p. 427): « Mediationem Mariae quoad gratias dispensandas esse omnino specialem ac mediationi Sanctorum longe antecellere, videtur esse de fide ex magisterio ordinario. *Id referri ad omnes gratias generali modo, est saltem doctrina catholica* ». Simili modo alii probati auctores loquuntur.

En quaedam testimonia ex documentis Pontificiis:

PIUS IX, Bulla *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: *Pii IX P. M. Acta,* Pars I, vol. I, p. 617: « Totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum Mediatrix et conciliatrix »;

LEO XIII, Encycl. *Supremi Apostolatus,* 1 sept. 1883: *Leonis XIII P. M. Acta,* III, pp. 280-281: « Magnam Dei Parentem Mariam Virginem, quae pacis nostrae apud Deum sequestra et caelestium administra gratiarum, in celsissimo potestatis est gloriaeque fastigio in caelis collocata, ut hominibus ad sempiternam illam civitatem per tot labores et pericula contendentibus patrocinii sui subsidium impertiat »;

ID., Encycl. *Iucunda semper,* 8 sept. 1894: *Leonis XIII P. M. Acta,* XIV, p. 309: « Non alia nimirum nisi hac de qua dicimus conciliationis et deprecationis lege, a sancto Bernardino Senensi in hanc sententiam expressa: « Omnis gratia quae huic saeculo communicatur, triplicem habet processum. Nam a Deo in Christum, a Christo in Virginem, a Virgine in nos ordinatissime dispensantur »;

ID., Encycl. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895: *Leonis XIII P. M. Acta,* XV, p. 303: « Ipsam dominam nostram, ipsam reparatricem totius orbis, ipsam donorum Dei esse conciliatricem »;

ID., *Ibid.*: Quae sacramenti humanae redemptionis patrandi administra fuerat, eadem gratiae ex illo in omne tempus derivandae esset pariter administra »;

ID., Encycl. *Fidentem piumque,* 20 sept. 1896: *Leonis XIII P. M. Acta,* XVI, p. 283: « Ipsa est de qua natus est Iesus, vera scilicet eius Mater, ob eamque causam digna et peraccepta ad *Mediatorem Mediatrix* »;

ID., Litt. Apost. *Parta humano generi,* 8 sept. 1901: *Leonis XIII P. M. Acta,* XXI, pp. 159-160: « Sic potentissima Virgo, Mater, quae olim cooperata est caritate ut Fideles in Ecclesia nascerentur, sit etiam nunc nostrae salutis media et sequestra »;

S. PIUS X, Encycl. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: *Pii X P. M. Acta,* I, pp. 153-154: « Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, *promeruit* illa *ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret,* atque ideo universorum munerum dispensatrix quae nobis Iesus nece et sanguine comparavit (...) Pro ea, quam diximus, dolorum atque aerumnarum Matris cum Filio communione, hoc Virgini augustae datum est, ut sit *totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix* »;

BENEDICTUS XV, Litt. Apost. *Inter sodalicia,* 22 mart. 1918: *A.A.S.,* 10 (1918), p. 182: « Quas e Redemptionis thesauro gratias omne genus percipimus, eae ipsius Perdolentis Virginis veluti e manibus ministrantur »;

PIUS XI, Encycl. *Miserentissimus,* 8 maii 1928: *A.A.S.,* 20 (1928), p. 178: « Cuius Nos confisi apud Christum deprecatione, qui unus cum sit " Mediator Dei et hominum ", suam sibi Matrem adsciscere voluit peccatorum advocatam gratiaeque ministram ac mediatricem »;

PIUS XII, Epist. ad Em.mum Card. Al. Maglione, *Superiore anno,* 15 apr. 1940: *A.A.S.,* 32 (1940), p. 145: « Quandoquidem autem, ut divus Bernardus asseverat, " sic est voluntas eius [Dei], qui totum nos habere voluit per Mariam ", ad Mariam confugiant omnes, ad eius sacratissimam aram preces, lacrimas, dolores afferant, ab eodemque lenimenta ac solacia petant. Quod semper maiores nostri, ut historia loquitur, in trepidis rebus dubiisque temporibus, uberi cum fructu, facere sollemne habuere, id et nos in praesentissimo periculo, quo angimur, fidentes eorum vestigia ingressi, peragere ne desistamus. Tanta enim Beata Virgo apud Deum pollet gratia, tanta apud Unigenam suum potentia fruitur, ut quisquis, egens opis, non ad eam recurrat, nullo is alarum remigio, ut Aligherius concinit, volare conetur. Ea siquidem potentissima Dei Parens est, et, quod dulcissime sapit, nostra itidem amantissima Mater... ».

Beatissima Virgo aliquoties dicitur Mediatrix ad Mediatorem Christum, alia vice ad Deum. In Constitutione utraque formula adhibita est. Dicitur etiam quod intercedit per Christum, idque iuxta declarationem Concilii Tridentini de intercessione sanctorum.

In sessione XXV [3 et 4 dec. 1563] dictum est: « Bonum atque utile esse, suppliciter eos [sanctos] invocare et ob beneficia impetranda a Deo *per Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum,* qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes opem auxiliumque confugere »: DENZ. 984.

Patres itaque aiunt « *ob beneficia per Christum impetranda* ». Unde, beata Virgo cum aliis sanctis est intercedens mediate, per Christum scilicet: quae causa est quod Ecclesia omnes orationes suas claudat hoc modo: *Per Dominum nostrum Iesum Christum...*

[18] Cf. *Rom.* 1, 10; *Eph.* 1, 15; *Phil.* 1, 3-4; *Col.* 1, 3 et 9; *I Th.* 1, 2-3; *II Tim.* 1, 1.

[19] Cf. *Rom.* 15, 30; *II Cor.* 1, 11; *Eph.* 6, 18-19; *I Th.* 5, 25; *II Th.* 3, 1; *Hebr.* 13, 18.

[20] LEO XIII, Encycl. *Fidentem piumque,* 20 sept. 1896: *Acta Leonis XIII,* XVI, p. 282: « Certissime quidem perfecti Conciliatoris nomen et partes alii nulli conveniunt quam Christo, quippe qui unus, homo idem et Deus, humanum genus summo Patri in gratiam restituerit... At vero, *si nihil prohibet,* ut docet Angelicus, *aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominis cum Deo dispositive et ministerialiter,* cuiusmodi sunt angeli sanctique caelites, prophetae et utriusque testamenti sacerdotes, profecto eiusdem gloriae decus Virgini excelsae cumulatius convenit. Nemo etenim unus cogitari quidem potest, qui reconciliandis Deo hominibus parem atque illa operam vel umquam contulerit, vel aliquando sit collaturus... ».

PIUS XII, Encycl. *Fulgens corona,* 8 sept. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), pp. 581-582: « Immerito igitur acatholici et novatores non pauci hac etiam de causa nostram reprehendunt atque improbant erga Deiparam Virginem pietatem, quasi nos aliquid ex cultu uni Deo ac Iesu Christo debito subducamus; cum contra, quidquid honoris venerationisque caelesti Matri nostrae tribuimus, id procul dubio in Divini eius Filii decus redundet, non modo quod ex ipso omnes gratiae omniaque dona, vel excelsa, ut e primo fonte oriuntur, sed etiam quod " gloria filiorum patres eorum " ».

PIUS XII, *Alloc. Iis qui interfuerunt Conventui Sodalitatis internationalis " Filiorum Mariae Immaculatae "* Romae habito, 17 iul. 1954: A.A.S., 46

(1954), p. 492: « C'est pour devenir la Mère de Dieu qu'elle a reçu de son divin Fils tous les dons de la nature et de la grâce. Voilà pourquoi le culte de la Vierge, si du moins on le comprend bien, loin de rien ôter à la gloire de Dieu, remonte immédiatement à Lui, l'Auteur de tout bien, qui l'a voulue si grande et si pure ».

[21] Dum non est difficultas admittendi Mariam esse mediatricem omnium gratiarum inquantum associata fuit Christo in illis acquirendis (utique abstractione facta a quaestione an *immediate* vel *mediate, directe* vel *indirecte,* in *actu primo active* recipiendo vel alio modo...), variae quaestiones surgunt si gressum faciamus ad Mediatricem inquantum *distribuit* gratias, idque potissimum quoad earum *universalitatem.* Quod Maria potest nobis omnes gratias impetrare, clarum est. Quod autem *nulla gratia datur nisi interveniat* Maria, alia est res: venit enim quaestio de interventu *directo* et *indirecto, de Veteri Testamento* et de gratiis quae conferuntur in Sacramentis. Itaque in omnibus istis aliisque quaestionibus permittenda est libertas scholis catholicis disputandi, asserendo modo valde generali quod in omnibus gratiis quae conferuntur *adest materna caritas* Mariae, saltem iuxta illud dictum S. Augustini initio allegatum « *cooperata est caritate,* ut fideles in Ecclesia nascerentur », et ut iugiter nascantur. In Litt. Encycl. *Octobri mense* (*A.S.S.,* 24, p. 195 s.) LEO XIII adhibet formulam « ... nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus... nihil nobis nisi per Mariam, Deo sic volente, impertiri... ». In Subcommissione haud defuerunt qui volebant hanc formulam in Const. adhibere. Sane, haec formula *exclusiva* fundamentum habet in documentis Pontificiis et doctrina theologorum. At, magis placuit formula generica expressa ab ipso LEONE XIII, in Litt. Apost. *Parta humano,* et supra allata (cf. etiam *A.S.S.,* 34, p. 195) « ... Virgo Mater quae *olim cooperata est caritate* ut fideles in Ecclesia nascerentur, sit etiam nunc nostrae salutis media et sequestra ».

[22] Ita erronee cogitant haud pauci protestantes: cf. e. gr. MAURY P., *Le protestantisme et la Vierge Marie,* Paris 1950, p. 65. Videsis BALIĆ C., O.F.M., *La mariologia es punto de convergencia o de divergencia para la unión?,* in: *Ante el II Concilio Ecuménico Vaticano,* Burgos 1960, pp. 232-250; ID., *Maria e il movimento ecumenico,* in: BOYER C., *Il problema ecumenico oggi,* Brescia 1961, pp. 547-562.

[23] PIUS IX, Bulla *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: DENZ. 1691.

[24] *Conc. Trid.,* Sess. VI, Decr. *de iustificatione*: DENZ. 833;

S. AUGUSTINUS, *De natura et gratia,* c. 37, n. 42: *PL* 44, 267: « Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem: unde enim scimus quid ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quae concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum? Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas, cum hic viverent, congregare possemus et interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus?

LEO XIII, Encycl. *Iucunda semper,* 8 sept. 1894: *Acta Leonis XIII,* XIV, 310: « Eam salutamus, quae *gratiam apud Deum invenit*, singulariter ab illo *plenam gratia,* cuius copia ad universos proflueret ».

PIUS XII, Encycl. *Ad caeli Reginam,* 11 oct. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 636: « Iam in primo temporis momento, quo concepta fuit, tali gratiarum abundantia repletam fuisse, ut Sanctorum omnium gratiam superaret ».

[25] Cf. DENZ. 6, 13, 20, 111A, 144, 148, 214, 218, 256, 290, 429.

[26] *Sacramentarium Gregorianum* [quod Hadrianus I misit Carolo Magno inter annum 784-790] in die Assumptionis sequentem habet orationem: « Veneranda nobis, Domine, huius est diei festivitas, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum ». Cf. C. BALIĆ, O. F. M., *Testimonia de assumptione beatae Virginis Mariae ex omnibus saeculis*, Pars I, Romae 1948, p. 155.

Beatissimam Virginem mortem subiisse temporalem et ad similitudinem Filii sui resurrexisse, antiquissima et communissima est Ecclesiae doctrina. Plus quam tertia pars petitionum quae ad Sanctam Sedem delatae sunt ut definiatur Assumptio, definitionem quoque mortis Deiparae expostulant; dimidia vero pars talium petitionum intimam relationem ponit inter mortem et Assumptionem. At, hisce ultimis annis incoepit divulgari sententia B. Virginem *abiisse* et non *obiisse*. Quae sententia nitebatur potissimum quadam relatione privata ipsum Vicarium Christi [PIUM XII] haud tenere traditionalem Ecclesiae doctrinam hac in re. En quid dicendum circa mentem Romanorum Pontificum hisce ultimis decenniis hac in re:

PIUS XI et IOANNES XXIII docent B. Virginem mortuam esse; idem saltem implicite docuit ipsemet PIUS XII. Et re quidem vera:

PIUS XI, *Allocuzione nella lettura del Decreto de Tuto per la canonizzazione della Beata Thouret* [trad. it. *L'Oss. Rom.*, 16 aug. 1933, p. 1]: « Con l'assiduità nella preghiera si deve fare di Maria la quotidiana mediatrice, la nostra vera avvocata, sicchè possiamo sperare che Ella, assunta nella gloria del Cielo, nell'ora del nostro trapasso, che fu pure il suo — *poichè Ella pure fece questo passo, essendo in Lei non la grazia di creazione, ma la grazia di Redenzione, la quale non conferiva immortalità vera e propria* — possa Ella essere nostra avvocata presso la divina bontà e misericordia »;

IOANNES XXIII, Litt. Apost. in *L'Oss. Rom.*, 1 oct. 1961, p. 2: « L'immagine soave di Maria si irradia e si accende nella suprema esaltazione. Che bella scena la dormizione di Maria, così come i cristiani di Oriente la contemplano: Essa è distesa nel sonno placido della morte e Gesù è accanto a Lei, e tiene presso il suo petto come un bambino l'anima della Vergine, ad indicare il prodigio della immediata risurrezione e glorificazione », ... « Il mistero dell'Assunta ci mantiene familiari al pensiero della nostra morte... ».

Card. A. OTTAVIANI, in: *Acta Pontificiae Academiae Marianae Internationalis*, I, Romae 1961, p. 63 [cf. *L'Oss. Rom.*, 18 dec. 1961, p. 7]: « Non bisogna però confondere il magistero autentico con le voci incontrollate o le fantasie per le quali si attribuisce a questo o a quel Sommo Pontefice un'idea o un'espressione non controllabile. Si è sparsa, per esempio, la voce che il compianto Pontefice Pio XII avrebbe espresso le sue preferenze per la sentenza di coloro che ritengono che l'Assunzione della Vergine non sia stata una risurrezione anticipata, ma una traslazione nei cieli senza la morte su questa terra: " abiit, et non obiit ". Per quanto mi consta, il compianto Pontefice non era di questa idea: è vero, anzi, il contrario. Questa sentenza del resto toglierebbe qualche cosa a quella cooperazione, per la quale la Vergine è detta Alma Socia Redemptoris. Come poteva Ella non subire, anche se non dovuta, la morte, se la volle subire il suo divin Figliuolo? Invece è così bello vedere in tutte le fasi del ciclo redentivo il parallelo degli eventi

che congiunsero la Madre al Figlio divino! A questo accennava Pio XII nella *Munificentissimus Deus,* quando asseriva: " ... parique modo haud difficile iisdem [ossia ai fedeli] fuit, assentiri Magnam etiam Dei Matrem, quemadmodum iam Unigenitum suum, ex hoc vita decessisse " ».

Traditio antiquissima et constans qua nititur Orientis et Occidentis christiani doctrina de morte B. V. Mariae non est « mere historica », sed etiam, immo potissimum, « theologica »; illa nempe traditio quae « per se ipsam » dedit Pio XII certissimum argumentum pro veritate Assumptionis dogmatice definienda. Et si valor huius Traditionis in casu mortis B. Virginis ad nihilum reduceretur, tunc, ut iure meritoque scribit P. Colosio J., O. P., *Due pubblicazioni su Dionigi Areopagita,* in: *Rivista di ascetica e mistica,* 5 (1960), p. 202: « Per coerenza, vorremmo che questi teologi applicassero questo medesimo criterio a tanti altri casi del genere... ed allora si accorgerebbero che dobbiamo riformare o certe parti della dottrina comune o il loro non giusto criterio sull'argomento di tradizione ».

[27] In traditione christiana variae rationes allatae sunt ad illustrandum factum mortis B. V. Mariae [cf. Balić C., *Testimonia de assumptione Beatae Virginis Mariae ex omnibus saeculis,* II, Romae 1950, « Index analyticus », pp. 496-499].

« ... non fuit decens — scribit S. Bonaventura in *III Sent.,* d. III, a. 2, q. 3, ad 3 [ed. Quaracchi, t. III, p. 78 b] — Filium Dei habere matrem immortalem, cum ipse esset mortalis ».

Alii vero dicunt quod mortua est ne Christo maior forte videretur... [cf. Balić, *op. cit.*]: « decuit enim eam in hoc esse suo Filio similem » [Balić, *Ibid.,* II, p. 239]; « quidquid autem fuit in Christo ut puro homine, etiam tribuendum est beatae Virgini, quae etiam sponte posuit animam et assumpsit poenalitates, ne Christo maior esse videretur et cooperaretur ad nostram redemptionem » [*Ibid.,* II, pp. 94-95]. Marcellinus Siuri [m. 1734], post Frances de Urrutygoiti [m. 1682], refert quemdam auctorem hispanum, immortalitatem Deiparae propugnantem, a sacro Inquisitionis tribunali damnatum fuisse: Universa Ecclesia enim tenet Mariam mortem subiisse temporalem etiam « ut *Filio conformaretur;* congruum enim erat ut sicut Iesus morti se subiecit in redemptionem humani generis, ita et quod Mater electa *in redemptionis cooperatricem* similiter morti subiaceret ». Et Cl. A. subiungit: « Quam rationem conformitatis cum Filio tanti faciendam a Matre existimo quod si ei optio daretur, potius eligeret mori ut Filio conformaretur, quam sine morte ad gloriam transferri, et tanti fieri a Filio matrem crediderim quod si in alio ordine rerum voluisset sine propria morte genus humanum redimere Matrem quoque a morte immunem fecisset » [*Ibid.,* II, pp. 240-241].

Per se patet factum mortis B. Virginis non propter solas has similesque rationes, sed *potissimum* propter constantem et communissimum consensum Ecclesiae docentis et discentis, ut factum certum *admitti.*

[28] Pius XII, Const. dogm. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 770.

[29] Pius XII, *Nuntius Radiophonicus Iis qui interfuerunt conventui internationali mariologico-mariano,* 24 oct. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 679: « Beata Dei Genitrix, quippe quae ipsa quoque ab Adamo descendat, nullum habet privilegium nullamque gratiam quam non debeat Filio suo, generis humani Redemptori; atque adeo, Matris excelsa dona mirantes ac rite celebrantes, ipsius Filii divinitatem,

bonitatem, amorem, potentiam miramur et celebramus, neque umquam Filio displicebit, quidquid in laudem Matris, ab ipso tot gratiis cumulatae, fecerimus ».

[30] PIUS IX, Bulla *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: *Acta Pii IX,* pars I, vol. I, p. 598: « Venerabilis mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tanquam seipsum diligit, ita dare disposuit ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit ».

[31] In professione oblata a Nicephoro, Patriarcha Constantinopolitano, et accepta a Leone III, claris verbis integritas corporalis B. Virginis in partu confitetur: « Virginem quoque, quae *supernaturaliter et ineffabiliter pepererat,* post partum virginem conservavit, virginitatem illius secundum naturam nulla ex parte demutata aut labefactata » [DENZ. 314, n. 3]. In Epistola S. LEONIS, quam Patres Concilii IV susceperunt clamantes Petrum per Leonem locutum esse, legitur: « Nova autem nativitate generatus: quia INVIOLATA VIRGINITAS concupiscentiam nescivit, carnis materiam ministravit... Quia nativitas est mirabilis, ideo nostri est natura dissimilis » [DENZ. 144].

In *Conc. Lateranensi,* sub Martino I habito [quod licet non sit oecumenicum sensu technico, tamen mentem Ecclesiae, tam latinae quam graecae manifestat], expresse condamnatur anathemate qui virginitatem in partu nollet confiteri: « Si quis secundum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genitricem sanctam semper Virginem et immaculatam Mariam utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter, qui a Deo Patre ante omnia saecula natus est, in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et INCORRUPTIBILITER eam [eum?] genuisse, indissolubili permanente et post partum eiusdem virginitate, comndemnatus sit » [DENZ. 256].

S. AMBROSIUS, *De institutione Virginis et S. Mariae virginitate perpetua,* c. 8: *PL* 16, 334: « Porta igitur Maria, per quam Christus intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, et genitalia virginitatis non solvit. Mansit intemeratum septum pudoris, et inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex virgine... ».

Idem etiam docent S. AUGUSTINUS, *Epist. 137 ad Volusianum,* c. 2, n. 8: *PL* 33, 519; S. HIERONYMUS, *Epist. 48,* 21: *PL* 22, 510, aliique plures SS. Patres. Quae quidem Traditionis christianae testimonia sic paucis verbis exprimit PETAVIUS, *De Incarnatione,* lib. 14, c. 6 [*Opera omnia,* VII, Parisiis 1876, p. 76]: « Illud tamen ex Patrum omnium decreto pro certo tenendum est, quod catholica universa profitetur Ecclesia, beatissimam Virginem, hoc quidquid sit, quo a maritatis discerni virgines possunt, illibatum in partu integrumque retinuisse ».

Et communiter docetur hanc doctrinam esse tenendam fide divina et catholica. At, nonnulli moderni auctores putant virginitatem B. Virginis in partu haud consistere in aliqua incorruptibilitate, et virginitatem in partu dicunt univocam esse cum virginitate ante partum. Cf. MITTERER A., *Dogma und Biologie der heiligen Familie,* Wien 1952, pp. 122-124; GALOT J., S. I., *La virginité de Marie et la naissance de Jésus,* in *Nouvelle Revue Théologique,* 92 (1960), pp. 449-470.

[32] *Praefatio de Beata Maria Virgine.*

[33] S. GERMANUS CONSTANTINOPOLITANUS, *In Sanctae Dei Genitricis dormitionem, Sermo 1*: *PG* 98, 346-347: « Neque fieri poterat, ut quae Dei capax vasculum esses, emortuum corpus corrumpente difflueres pulvere » [347]; « Tu

iuxta quod scriptum est, speciosa es, tuumque illud corpus virginale, totum sanctum est, totum castum, totum Dei domicilium; ut ideo quoque a resolutione in pulverem deinceps sit liberum... » [346]. « Quia enim is, qui in te fuerat exinanitus, Deus erat a principio, ac vita saeculis antiquior; utique *par quoque* erat ut Vitae Mater, Vitae pariter contubernalis fieret; dormitionemque somni instar susciperet; ac migrationem haud secus atque expergefactionem, ceu Vitae Parens, subiret... » [347].

S. IOANNES DAMASCENUS, *Homilia 2 in dormitione B. V. M.*, n. 14: *PG* 96, 741 [BALIĆ C., O. F. M., *Testimonia de assumptione B. V. Mariae ex omnibus saeculis*, pars prior: Ex aetate ante Concilium Tridentinum, Romae 1948, p. 89]: « Necesse enim fuit divinum illud domicilium... penetralibus terrae minime concludi sed sicut sanctum illud incorruptumque corpus ex ipsa [assumptum et] cum Deo Verbo hypostatice coniunctum tertia die e monumento surrexit, sic etiam ipsam e sepulcro eripi, Matremque ad Filium transmigrare... *Necesse* fuit eam quae Deum Verbum uteri sui hospitio exceperat in tabernacula Filii sui deferri... *Necesse* fuit eius quae in partu virginitatem sine labe servaverat incorruptum etiam post mortem corpus servari. *Necesse* fuit eam quae Creatorem ut infantem sinu gestaverat in divinis degere tabernaculis. *Necesse* fuit Sponsam quam Pater sibi desponsaverat, caelestibus immorare thalamis. *Necesse* fuit eam quae Filium suum in cruce conspiciens, gladium quem pariendo effugerat, pectore tunc exceperat, Ipsum Patri considentem spectare oculis. *Necesse* fuit Dei Matrem ea quae Filii essent possidere, et ut Matrem Dei et ancillam coli ab omni creatura ».

Cf. PIUS XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus*, 1 nov. 1950: *A.A.S.*, 42 (1950), pp. 758 ss., ubi afferuntur argumenta et Patrum et theologorum, inter quos liceat afferre S. BELLARMINUM qui ait [p. 766]: « Et quis, obsecro, credere posset, arcam sanctitatis, domicilium Verbi, templum Spiritus Sancti corruisse? Exhorret plane animus meus vel cogitare carnem illam virgineam, quae Deum genuit, peperit, aluit, gestavit, vel in cinerem esse conversam, vel in escam vermibus traditam ».

Et S. FRANCISCUS SALESIUS adiungit [*Ibid.*]: « Quinam filius, si posset, matrem suam ad vitam non revocaret, atque eam post mortem in Paradisum non adduceret? ». Utique, concludit S. ALPHONSUS [*Ibid.*]: « Iesus Mariae corpus post mortem corrumpi noluit, cum in suum dedecus redundaret virginalem eius carnem in tabem redigi, ex qua suam ipsemet carnem assumpserat ».

[34] PIUS IX, Bulla *Ineffabilis Deus*, 8 dec. 1854: *Acta Pii IX*, pars I, vol. I, pp. 597-598: « Quapropter illam longe ante omnes Angelicos Spiritus, cunctosque Sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta, eam innocentiae ac sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest ».

PIUS XII, Encycl. *Ad caeli Reginam*, 11 oct. 1954: *A.A.S.*, 46 (1954), p. 635: « Nullum igitur dubium est Mariam Sanctissimam dignitate sua omnes res creatas excellere itemque super omnes post Filium suum obtinere primatum ».

Cf. S. BONAVENTURA, *In III Sent.*, d. 9, a. 1, q. 3, in sol. [ed. Quaracchi III, 206 a]: « Quoniam [Maria] excellentissimum nomen habet, ita quod excellentius pure creaturae convenire non potest, ideo non tantum debetur ei honor *duliae*,

sed *hyperduliae*... Ex hoc enim quod Mater Dei est, praelata est ceteris creaturis, et eam prae ceteris decens est honorari et venerari ».

[35] PIUS VII, Breve *Quod divino,* 24 ian. 1806 [*Documentos marianos,* n. 235]: « Quod divino afflata spiritu beatissima ac gloriosa Dei Genetrix Virgo Maria de se ipsa praenuntiavit generationes omnes beatam illam nuncupaturas, id sane non modo prioribus Ecclesiae saeculis impletum novimus, cum toto terrarum orbe ad eius honorem templa aedificata fuerint, atque arae erectae, verum etiam aucta quotidie magis fidelium pietate erga amantissimam Parentem nostram, ac gratiarum omnium dispensatricem, maiori semper devotionis ardore, alia aliis successerint monumenta pietatis et quaedam praesertim loca inscrutabili Dei consilio, constituta sint, in quibus peculiari beatae Virginis intercessione quaedam mira veniunt, quae in aliis aeque contigisse novimus ».

PIUS XII, Encycl. *Fulgens corona,* 8 sept. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), p. 582: « ... inde ab antiquissima Ecclesiae aetate, hoc doctrinae caput [scilicet doctrina de cultu B. V. Mariae] cotidie magis inclaruit, ac cotidie latius viguit cum apud sacros Pastores, tum in mente animoque christianae plebis ».

Cf. Decreta *Concilii Nicaeni II* [Oecumenici VII] et *Conc. Trid.* de sacris imaginibus sive Christi sive « intemeratae dominae nostrae sanctae Dei genitricis », sive sanctorum in genere: « honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant... » [DENZ. 302, 986].

[36] BENEDICTUS XIV, Bulla aurea *Gloriosae Dominae,* 27 sept. 1748 [*Documentos Marianos,* n. 210]: « Gloriosae Dominae, Dei Genitricis Mariae cultum ac venerationem, Dei manifesta voluntate ac veraci semper Ecclesiae spiritu, magnopere commendari, nec minus iuste quam fructuose eidem a fidelibus exhiberi, adeo manifestum esse non dubitamus, ut ad christianorum corda religioso devotionis studio erga eam inflammanda apostolicae adhortationes Nostrae superfluae propemodum fore videantur. Sicut enim omnipotens Deus hanc virginem electam ex millibus, et ad ineffabilem divinae maternitatis dignitatem Angelo nuntiante evectam, gratiae suae donis abundantius prae ceteris omnibus puris creaturis replevit, ac splendidissimis gloriae coronis super alia omnia manuum suarum opera decoravit; sic etiam Catholica Ecclesia, Sancti Spiritus magisterio edocta, eamdem, et tamquam Domini ac Redemptoris sui Parentem caelitus ac terrae Reginam impensissimis obsequiis colere, et tamquam amantissimam Matrem, extrema, Sponsi sui morientis voce sibi relictam, filialis pietatis affectu prosequi studiosissime semper professa est ».

LEO XIII, Encycl. *Augustissimae Virginis Mariae,* 12 sept. 1897: *Acta Leonis XIII,* XVII, p. 285: « Augustissimae Virginis Mariae foveri assidue cultum et contentiore quotidie studio promoveri quisque perspiciet, qui secum reputaverit, quam excelso dignitatis et gloriae fastigio Deus ipsam collocarit ».

PIUS XII, *Nuntius Radioph. Christifidelibus datus ob conventum marialem e tota Argentina in urbe Luján coadunatum*: *A.A.S.,* 39 (1947), p. 628: « El culto a la Madre de Dios, por Ella misma profetizado cuando anunció: " Beatam me dicent omnes generationes ", es un *elemento fundamental* en la vida cristiana... Honremosla, pues, reconociendo el brillo sin par de su hermosura, los primores de su bondad y lo irresistible de su poder; por la excelsitud de sus virtudes y por la dignidad incomparable de su misión, reverenciémosla proclamando su grandeza, manifestándole nuestro respeto y pidiéndole su intercesión; finalmente, imitémosla sin cejar en tan noble empeño... ».

Pius XII, Epist. Apost. *Ex hoc,* 25 mart. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 717: « "Ex hoc, ut ait Sanctus Bonaventura, quod Virgo Maria effecta est Dei Mater, est effecta Mater omnium creaturarum "; idcirco, tantae Parenti dicata, plurima per orbem surgunt Templa, e quibus praecipua ac maiore Christifidelium concursu commendata, e Romanorum Pontificum instituto potiore dignitate solent decorari ».

Ioannes XXIII, *La presenza dell'insegnamento di Cristo e del patrocinio di Maria nel cuore di ogni fedele*: *L'Oss. Rom.,* 18 aug. 1960: « Accanto a Gesù la Madre sua Maria. All'indomani della celebrazione della celebrità dell'Assunta, il sentimento filiale si rivolge con fiducia ed affetto verso tanta Madre, per la quale i cattolici nutrono la più alta e sentita devozione. Qualcuno, già in passato, ha voluto criticare questo sentimento, quasi si trattasse di un'adorazione, che è dovuta a Dio solo. È chiaro invece che i cattolici venerano la Madre di Gesù con tutto il loro entusiasmo, ben sapendo che, a causa delle sue prerogative, del suo insigne privilegio d'essere la Madre del Figlio di Dio fatto Uomo, dei doni dal Signore ricevuti e della sua potenza d'intercessione, Ella è la creatura che sulla terra più si avvicina a Dio... Noi dunque portiamo sempre Gesù nel cuore: fonte di fortezza, di consolazione, di ogni conforto. Del pari abbiamo con noi sempre l'immagine di Maria: e tanta Madre aiuta ogni suo figlio nei vari momenti della esistenza; sorregge a raggiungere bene la meta che a ciascuno è assegnata quaggiù di conoscere, cioè amare, servire il Signore; di praticare le virtù della carità e della pazienza, segnatamente durante le prove che la vita ci offre, sempre continuando nella sicurezza dei beni eterni. Così, questo l'augurio del Padre comune delle anime, Gesù e Maria ci salvino e ci benedicano sempre! ».

[37] Pius XII, *Nuntius Radioph. Iis qui interfuerunt conventui internationali mariologico-mariano* Romae habito: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 679: « Ita etiam haec disciplina [mariologica] recta illa media via procedere poterit, qua et ab omni falsa et immodica veritatis superlatione caveat et ab illis se segreget, qui vano quodam agitantur timore, ne Beatissimae Virgini plus aequo concedant aut, ut non raro dictitant, Matre honorata et pie invocata, ipsi Divino Redemptori aliquid honoris et fiduciae detrahant ».

Pius XII, Encycl. *Ad caeli Reginam,* 11 oct. 1954: *A.A.S.,* 46 (1954), p. 637: « In his tamen aliisque quaestionibus ad Beatam Virginem spectantibus, curent theologi ac divini verbi praecones ut quasdam e recto itinere aberrationes devitent, ne in duplicis generis errores inducantur; caveant nempe et sententias fundamento carentes ac veritatem quadam verborum superlatione excedentes, et nimiam mentis angustiam in singulari illa, omnino excelsa, immo fere divina Deiparae dignitate consideranda, quam quidem Doctor Angelicus eidem agnoscendam esse docet " ex bono infinito quod est Deus " ».

[38] S. Pius X, Encycl. *Ad diem illum,* 2 febr. 1904: *Acta Pii X,* I, pp. 155-156: « Nullus equidem honor Mariae optabilior, nullus iucundior quam ut noscamus rite et amemus Iesum. Sint igitur fidelium celebritates in templis, sint festi apparatus, sint laetitiae civium; quae res omnes non mediocres usus afferunt ad pietatem fovendam. Verumtamen nisi his voluntas animi accedat, formas habebimus quae speciem tantum offerant religionis. Has Virgo quum videat, iusta reprehensione Christi verbis in nos utetur: " *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me* ". Nam ea demum est germana adversus Deiparentem religio, quae profluat animo... Quapropter hoc quisque persuasum

habeat: si pietas, quam in Virginem beatissimam quis profitetur, non eum a peccato retinet, vel pravos emendandi mores consilium non indit, fucatam esse pietatem ac fallacem, utpote quae proprio nativoque careat fructu... Quamvis autem deceat filios Matris sanctissimae nullam praeterire laudem quin imitentur; illas tamen Eiusdem virtutes ipsos fideles assequi prae ceteris desideramus, quae principes sunt ac veluti nervi atque artus christianae sapientiae: fidem inquimus, spem et caritatem in Deum atque homines... ».

PIUS XII, *Allocutio pro canonisatione Beati Ludovici de Montfort,* 21 iul. 1947, *A.A.S.,* 39 (1947), p. 413: « La vraie dévotion, celle de la tradition, celle de l'Eglise, celle, dirions-Nous, du bon sens chrétien et catholique, tend essentiellement vers l'union à Jésus, sous la conduite de Marie ».

IOANNES XXIII, *Epist. ad Card. Mimmi,* 2 oct. 1960: *A.A.S.,* 52 (1960), p. 948: « Qui autem pia Deiparae Virginis tutela confidunt, et cum ipsa volunt claros referre triumphos, probe necesse est, ipsius decorentur virtutibus et maternis dotibus utpote filii sincerae indolis emineant. Nam ita hortatur illa suos, ut currant in odorem unguentorum suorum [*Cant.* 1, 3]: " *Ego mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei... In me omnis spes vitae et virtutis* " ».

Cf. S. AMBROSIUS, *De virginibus,* lib. II, c. 2, n. 15: *PL* 16, 210 B: « Talis enim fuit Maria, ut eius unius vita, omnium sit disciplina ».

S. BONAVENTURA, *Sermo I De Purificatione* [Opera IX, 638 A]: « Verum est quod Virgo gloriosa perfectissime habuit omnes virtutes... ».

[39] S. AUGUSTINUS, *De sancta virginitate,* c. 3: *PL* 40, 398.

[40] PETRUS MOGHILA in sua Confessione scribit: « De beatissima Virgine quae cum tantum mysterium digna facta sit persolvere, omnes orthodoxi ipsam honore debito ac reverentia prosequi tenentur » [cf. GORDILLO M., *Mariologia Orientalis,* Romae 1954, p. 259].

Aethiopes confitentur « testante Sacra Scriptura Deiparam honorandam esse » [*Ibid.,* p. 261]. Certissimum est quod cultus Beatissimae Virginis in Oriente christiano longe superat cultum aliorum Sanctorum, etsi non adhibeatur terminus « hyperdulia ».

[41] LEO XIII, Encycl. *Fidentem piumque,* 20 sept. 1896: *Acta Leonis XIII,* XVI, p. 287.

LEO XIII misit Congressui Mariano Liburnensi poema:

« *Virgine favente, fiat unum ovile!*
Auspicium felix! Orientis personat oras
Vox lapsa e caelo, personat occiduas:
— Una fides Christi, Pastor regat unus ovile,
Dispersas gentes colligat unus amor —.
Virgo, fave: errantes, ah! lumine mater amico
Respice, et Unigena iunge benigna tuo ».

[Cf. *Documentos Marianos,* n. 423].

PIUS XI, Encycl. *Ecclesiam Dei,* 12 nov. 1923: *A.A.S.,* 15 (1923), p. 581: « Alterum unitatis reconciliandae vinculum cum Orientalibus Slavis in eorum singulari studio erga magnam Dei Matrem Virginem ac pietate continetur, eos ab haereticis compluribus seiungens, nobisque efficiens propiores ».

[42] PIUS XI, Encycl. *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926: *A.A.S.,* 18 (1926), p. 83:

« Communibus autem benigne adrideat foveatque coeptis sanctissima Regina Apostolorum Maria, quae, cum homines universos in Calvaria habuerit materno animo suo commendatos, non minus eos fovet ac diligit, qui se fuisse a Christo Iesu redemptos ignorant, quam qui ipsius redemptionis beneficiis fruuntur feliciter ».

Cf. LAURENTIN R., *Lettre sur le problème de la maternité de Marie à l'égard des infidèles,* in: *L'Union Missionnaire du Clergé de France,* 13, n. 4 (oct. 1953), pp. 148-155.

[43] LEO XIII, Encycl. *Adiutricem populi,* 5 sept. 1895: *Leonis XIII P. M. Acta,* XV, pp. 302 ss.;

BEA A., S. I., « *Erant perseverantes... cum Maria Matre Iesu... in communicatione fractionis panis* » (*Atti* 1, 14; 2, 42), in: *Alma Socia Christi,* VI, fasc. I: « De B. V. Maria et SS. Eucharistia », Romae 1952, pp. 36-37: « quegli anni erano anzitutto per la nascente Chiesa una prima e preziosa esperienza quasi tangibile di quella materna cura e sollecitudine della mediatrice e madre, che poi, nel corso dei secoli, si doveva manifestare sempre più luminosamente e si manifesterà sino alla fine dei tempi ».

Cf. *L'Ausiliatrice nel domma e nel culto,* relazioni presentate al Congresso Mariologico Internazionale del 1950, Torino 1950; *L'Immacolata Ausiliatrice,* relazioni commemorative dell'anno mariano, 1954, Torino 1955.

[44] PIUS IX, Bulla *Ineffabilis Deus,* 8 dec. 1854: *Acta Pii IX,* pars I, vol. I, p. 617: « Certissima vero spe et omni prorsus fiducia nitimur fore, ut ipsa beatissima Virgo... velit validissimo suo patrocinio, efficere, ut... omnes errantes discussa mentis caligine ad veritatis ac iustitiae semitam redeant, ac fiat unum ovile et unus pastor ».

PIUS XII, Const. Apost. *Munificentissimus Deus,* 1 nov. 1950: *A.A.S.,* 42 (1950), p. 769: « Futurum enim sperandum est ut christifideles omnes ad impensiorem erga caelestem Matrem pietatem excitentur; utque eorum omnium animi, qui christiano gloriantur nomine, ad desiderium moveantur Mystici Iesu Christi Corporis participandae unitatis... ».

[45] LEO XIII, Encycl. *Fidentem piumque,* 20 sept. 1896: *Acta Leonis XIII,* XVI, p. 287: « Ut igitur ad eam, tamquam ad unitatis fautricem et custodem eximiam, recte se Ecclesia exoriens precando adiunxit, id similiter his temporibus per orbem catholicum fieri peropportunum est; ... caleat ubique huiusmodi precis studium, ad propositum in primis sanctae unitatis. Neque aliud quidquam Mariae gratius acceptiusque fuerit, utpote quae Christo maxime coniuncta, maximopere id cupiat et velit ut qui uno eodemque donati sunt eius baptismate, una omnes eademque fide perfectaque caritate cum ipso et inter se cohaereant ».

PIUS XII, Encycl. *Fulgens corona,* 8 sept. 1953: *A.A.S.,* 45 (1953), pp. 590-591: « Ac praeterea eos etiam, qui ob vetus schisma a Nobis seiuncti sunt, et quos ceteroquin paterno adamamus animo, ad has effundendas concordes preces supplicationesque advocamus, quandoquidem probe novimus eosdem almam Iesu Christi Genetricem venerari quam maxime eiusque intaminatum celebrare conceptum. Cernat eadem beata Virgo Maria eos universos, qui se christianos esse gloriantur, caritatis saltem vinculis coniunctos, suppliciter oculos, animos, precesque ad ipsam convertere, lucem illam impetrantes, quae mentes superno lumine collustret, atque illam efflagitantes unitatem, qua tandem aliquando fiat unum ovile et unus Pastor ».

[46] MANSI, *Conciliorum amplissima collectio,* IV, 1287-1288.

Cf. PIUS XI, Encycl. *Lux veritatis,* 25 dec. 1931: *A.A.S.,* 23 (1931), p. 515:

« Redeant ad communem Patrem, cuius sententiam omnes Ephesinae Synodi Patres observantissime exceperunt, quemque concordi plausu « custodem fidei » consalutarunt; ad Nos redeant omnes qui paternum omnino in eos gerimus animum, quique libenter amantissima illa verba facimus Nostra, quibus Cyrillus Nestorium enixe adhortatus est ut « Ecclesiarum pax conservetur, dilectionisque et concordiae vinculum inter Dei sacerdotes indissolubile permaneat ». Et remittit ad MANSI IV, 891, ubi reapse verba Cyrilli prostant.

Nuncupatio Vicarii Christi tamquam « custodis fidei » et sermo de *acclamatione Coelestini* prostat apud MANSI, IV, 1287 [cf. 1288]; cf. etiam SCHWARZ, *A. C. O.* t. I, vol. I, P. III, p. 57, l. 25: « Omnes reverendissimi episcopi *simul acclamaverunt*: Hoc iustum iudicium. Novo Paulo Coelestino, novo Paulo Cyrillo, *Coelestino custodi fidei,* Coelestino cum Synodo concordi, *Coelestino universa synodus gratias agit. Unus Coelestinus, unus Cyrillus, una fides orbis terrarum* ».

APPENDIX

I
DE COMMUNITATE GENTIUM

Caput 1
FUNDAMENTUM MORALE COMMUNITATIS GENTIUM

1. [*Fraternitas universalis gentium*]. Sancta Synodus, ob graves scissiones in mundo exsistentes, declarat, Communitatem internationalem populorum in fraternitate universali gentium fundatam esse; hanc vero fraternitatem per respectum ad unicum Patrem intelligi debere.[1] Nam secundum testimonium Sacrarum Litterarum Deus Creator omnium, ut inceptum opus consummaret hominem ad imaginem suam formavit (*Gen.* 1, 26-27). Ac praeterea ex primo hominis feminaeque coniugio originem duxerunt caeteri omnes, qui variis tribubus fuere gentibusque distincti per variasque terrarum orbis partes disseminati. Quapropter humanum genus ob communem a Creatore originem unum intueri ac contemplari debet secundum illud: « Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis » (*Eph.* 4, 6). Itemque omnes sunt natura unum; unum ob commune per praesentis huius vitae decursum fungendum munus; unum ob eamdem habitationem, terrarum nempe orbem, cuius opibus naturali iure omnes frui possunt; unum denique ob supernum finem, Deum ipsum quo contendant omnes oportet. Haec humanae familiae unitas in aeterna imagine Altissimi, Dei Filio, in quo « condita sunt universa » (*Col.* 1, 16) confirmata et in Redemptione, quam Christus Dominus omnibus dilargitus est, consignata fuit.[2]

Quapropter huic naturali unitati generis humani apte compositus ordo gentium populorumque correspondere debet, qui ordini morali, seu ordini hominis ad Deum, in omnibus subiicitur.

2. [*Bonum commune communitatis gentium*]. Hanc unitatem naturae ac destinationis numquam obliviscentes, populi propter variarum conditionum vicissitudines, inclinatione sociali personae humanae propria propulsi, ordinem politicum in singulis regionibus, ob sufficientiam vitae procurandam constituere debent, necnon secundum leges transmissionis bonorum culturae in varias populorum coetus ut congregentur oportet. Communitatis gentium est in pacifico consortio accessum omnium populorum ad patrimonium commune humanum promovere et totam virtualitatem naturae humanae in concordia ac fructuosa cooperatione actuare. Quapropter bono communi gentium contrariatur omnis indifferentia ac isolatio egoistica, quae est ruptura solidaritatis, necnon voluntaria exclusio aliquorum a participatione ex bono

communi universali, quae nefastam discriminationem inter homines et populos producit.

3. [*Opus ordinis internationalis est pax*]. Communitas internationalis, ut suum bonum commune attingere queat, iustam et adaequatam constitutionem duplicis ordinis exigit: ordinis interni Statuum, cum iusta attributione iurium personalium ac solacium, et ordinis externi internationalis, cum iusta attributione iurium societatum politice ordinatarum ac recta aestimatione valorum populis propriorum. Pax, quae ut tranquillitas ordinis definitur, est opus utriusque ordinis, ac iustitiae et caritatis actuatarum in omnibus gradibus consortii humani.[3]

NOTAE

[1] Pius XII, Exhortatio Apostolica *Conflictatio bonorum,* 11 febr. 1949: *A.A.S.* 41 (1949), pp. 59-60: « Experientia et usu hoc verissime constat *homines non sentire se invicem fratres, nisi ii sentiant se omnes eodem prognatos esse Patre.* Dempta reverentia Summo legifero et iudici Numini, fas et nefas nuda sunt verba ».

[2] Pius XII, Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.* 31 (1939), p. 428: « Si hanc iure ac reapse datam totius humani generis unitatem intente consideramus, non seiuncti nobis singuli cives, quasi arenarum grana, videntur, sed inter se potius apto compositoque ordine ac mutua variaque ob temporum diversitatem necessitudine congregati ex naturali ac superna impulsione destinationeque. Et cum gentes ad humaniorem cultum evehantur, et pro rerum vitaeque condicionibus inter se dissimiles fiant, non idcirco debent humanae familiae unitatem infringere, sed eamdem potius familiam, suis ipsarum communicatis dotibus animique ornamentis, ditare, itemque mutuo illo bonorum commercio, quod tum solummodo efficienterque haberi potest, cum vivida ac flagrans caritas omnes eiusdem Patris filios omnesque eodem divino cruore redemptos homines fraterno foedere coagmentat ».

[3] Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1948: *A.A.S.* 41 (1949), p. 11: « La volontà cristiana di pace viene da Dio. Egli è il " Dio della pace " (*Rom.* 15, 33); Egli ha creato il mondo per essere un soggiorno di pace; Egli ha dato il suo precetto di pace, di quella " tranquillità nell'ordine " di cui parla S. Agostino ».

Caput 2

DE COMMUNITATIS INTERNATIONALIS STRUCTURA ET AUCTORITATE HUMANA

4. [*Communitatis Internationalis structura vindicatur*]. Cum Communitas Internationalis, in iure naturali[1] innixa et temporum decursu evoluta, necessaria sit ad bonum commune[2] universae familiae humanae efficaciter et sufficienter consequendum, Sacrosancta Synodus asserit huiusmodi Communitatem postulare structuram organicam ut quosdam definitos fines socialis vitae internationalis convenienter assequi valeat.[3]

5. [*De natura structurae et finis Communitatis Internationalis*] Ut Communitas Internationalis fines suos attingere possit, eam compaginationem aptis organis instructam habere debet, quibus valeat efficaciter promovere pacem inter varias Respublicas, inhibere iniustam aggressionem, mutuam iuvare ac fovere cooperationem in re politica, oeconomica, sociali, culturali.[4]

6. [*De necessitate humanae auctoritatis in Communitate Internationali*]. Cum in quavis humana societate requiratur auctoritas, quae, tamquam a primo fonte, a Deo derivatur (*Rom.* 13, 1-6), Communitas Internationalis illa auctoritate, aequa et effectiva[5] debet esse praedita, quae singularum Civitatum operam cum debita coordinatione dirigat ad supra memoratos fines assequendos.

7. [*De recta agendi ratione Civitatum in sinu Communitatis Internationalis*]. Singulae Civitates, aequis iuribus et officiis ex iure naturae fruentes intra Communitatem Internationalem bene ordinatam, cum eadem et eius membris gerere se debent omni cum sinceritate et consensione animorum, ut iustitia et aequitas valide promoveantur, et inde pax, fidelis pactionum observantia[6] in tuto ponatur. Insuper ut iustitia illa socialis, quae sola apta est ad civilem et spiritualem progressum nationum, in gentibus[7] quae minus opibus et cultu processerint, foveatur, ad omnes Civitates inserendas in consortium divitiarum, ad causas dissidiorum tollendas inter Respublicas.[8]

8. [*De praecipuis personae humanae iuribus in Communitate Internationali defendendis*]. Iuridica et socialis structura Communitatis Internationalis ita conformanda est et cum legitimo singularum Civitatum ordine interno concilianda, ut in ea plenum exercitium humanae personae iurium ab omnibus agnoscatur et sine ulla exceptione linguae, stirpis, religionis, cultus servetur et promoveatur. In primis Sacrosancta Synodus omni asseveratione affirmat hominem, utpote ad imaginem et similitudinem Dei factum, non posse vitae socialis fundamentum, finem et subiectum esse, nisi in consortione nationali et internationali propriis fruatur iuribus naturalibus et inalienabilibus, ut sunt ius ad vitam et corporis integritatem, ad genus vitae socialis et oeconomicae dignum et honestum; ius libere colendi Deum; legitime explicandi et perficiendi proprias facultates; bona privatim possidendi; ius libere commeandi mutandique sedem intra Reipublicae fines; ius emigrandi et immigrandi;[9] ius contrahendi matrimonium et costituendi vitam familiarem, libere educandi filios et consociandi se ad honestos fines assequendos.[10]

NOTAE

[1] Pius XII, Allocutio *Iis qui interfuerunt Conventui quinto nationali Italico Unionis Iureconsultorum catholicorum,* 6 dec. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 795: « Queste considerazioni ed altre simili dimostrano che il cammino verso la Comunità dei popoli e la sua costituzione non ha come norma unica ed ultima la volontà degli Stati, ma piuttosto la natura, ossia il Creatore ».

Id., Alloc. *Dirigentibus ac Sociis Sodalitatis Italicae studiis provehendis ad universas nationes reconciliandas,* 13 oct. 1955: *A.A.S.* 47 (1955), pp. 768-769:

« Il primo postulato di ogni azione pacificatrice è di riconoscere l'esistenza di una legge di natura, comune a tutti gli uomini e a tutti i popoli, dalla quale promanano le norme dell'essere, dell'operare e del dovere, e la cui osservanza agevola ed assicura la pacifica convivenza e la mutua collaborazione. (...) In una parola, la legge naturale è la salda base comune di ogni diritto e dovere, il linguaggio universale necessario ad ogni intesa; è quel supremo tribunale di appello che l'umanità ha sempre desiderato affine di porre termine ai ricorrenti contrasti ».

[2] Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1951: *A.A.S.* 44 (1952), p. 10: « A queste società appartengono in primo luogo la famiglia, lo Stato ed anche la Società degli Stati, perchè il bene comune, fine essenziale di ognuno di essi, non può nè esistere, nè essere concepito, senza la loro relazione intrinseca con la unità del genere umano. Sotto questo aspetto *l'unione indissolubile degli Stati è un postulato naturale,* è un fatto che loro s'impone ed a cui esse, sebbene talora esitanti, si sottomettono come alla voce della natura, sforzandosi altresì di dare alla loro unione un regolamento esteriore stabile, una organizzazione ».

[3] Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1944: *A.A.S.* 37 (1945), p. 18: « Fino a qual punto però i rappresentanti e i pionieri della democrazia saranno compresi nelle loro deliberazioni dalla convinzione che l'ordine assoluto degli esseri e dei fini, da Noi ripetutamente ricordato, include anche, come esigenza morale e quale coronamento dello sviluppo sociale, la unità del genere umano e della famiglia dei popoli? Dal riconoscimento di questo principio dipende l'avvenire della pace. Nessuna riforma mondiale, nessuna garanzia di pace può fare da esso astrazione, senza indebolirsi e rinnegare se stessa. Se invece quella *medesima esigenza morale* trovasse la sua attuazione in una società dei popoli, che sapesse evitare i difetti di struttura e le manchevolezze di precedenti soluzioni, allora la maestà di quell'ordine regolerebbe e dominerebbe egualmente le deliberazioni di questa società e l'applicazione dei suoi mezzi di sanzione ».

[4] Benedictus XV, Litt. Encycl. *Pacem,* 23 maii 1920: *A.A.S.* 12 (1920), p. 216: « Ad quam gentium consociationem contrahendam hortatur, ut alia multa praetereamus, ipsa vulgo explorata necessitas omnem dandi operam ut, sublatis vel imminutis rei militaris sumptibus, quorum immane pondus iam sustinere respublicae non possunt, nulla posthac existant tam exitiosa bella, vel certe quam longissime eiusmodi periculum avertatur ».

Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1951: *A.A.S.* 44 (1952), pp. 10-11: « Lo Stato, la Società degli Stati con la sua organizzazione sono dunque — per loro natura, secondo l'indole sociale dell'uomo, e nonostante tutte le ombre, come attesta l'esperienza storica —, forme dell'unità e dell'ordine fra gli uomini, necessarie alla vita umana e cooperanti al suo perfezionamento. Il loro concetto stesso dice la tranquillità nell'ordine, quella " *tranquillitas ordinis* ", che è la definizione che S. Agostino dà alla pace: esse sono essenzialmente un ordinamento di pace ».

Id., Sermo, 24 dec. 1939: *A.A.S.* 32 (1940), p. 10: « In ogni riordinamento della convivenza internazionale, sarebbe conforme alle massime dell'umana saggezza che da tutte le parti in causa si deducessero le conseguenze delle lacune o delle deficienze del passato; e nel creare o ricostituire le istituzioni internazionali, che hanno una missione tanto alta, una in pari tempo così difficile e piena di gravissime responsabilità, si dovrebbero tener presenti le esperienze che sgorgassero dall'inefficacia o dal difettoso funzionamento di simili anteriori iniziative. E poichè alla debolezza umana è così malagevole, si sarebbe tentati di dire, quasi

impossibile, di tutto prevedere e tutto assicurare al momento delle trattative di pace, quando torna difficile l'esser scarni di passione e d'amarezza, la costituzione di giuridiche istituzioni, che servano a garantire la leale e fedele attuazione delle convenzioni e, in caso di riconosciuto bisogno, a rivederle e correggerle, è d'importanza decisiva per una onorevole accettazione di un trattato di pace e per evitare arbitrarie e unilaterali lesioni e interpretazioni delle condizioni dei trattati medesimi ».

Id., Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1941: *A.A.S.* 34 (1942), p. 18: « Perchè la fiducia reciproca rinasca devono sorgere istituzioni, le quali, acquistandosi il generale rispetto, si dedichino al nobilissimo ufficio, sia di garantire il sincero adempimento dei trattati, sia di promuoverne, secondo i principi di diritto e di equità, opportune correzioni o revisioni ».

Id., Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1944: *A.A.S.* 37 (1945), p. 19: « Le risoluzioni finora note delle Commissioni internazionali permettono di concludere che un punto essenziale d'ogni futuro assetto mondiale sarebbe la *formazione di un organo* per il mantenimento della pace, organo investito per comune consenso di suprema autorità, e il cui ufficio dovrebbe essere anche quello di soffocare in germe qualsiasi minaccia di aggressione isolata o collettiva. Nessuno potrebbe salutare questa evoluzione con maggior gaudio di chi già da lungo tempo ha difeso il principio che la teoria della guerra, come mezzo adatto e proporzionato per risolvere i conflitti internazionali, è ormai sorpassata. Nessuno potrebbe augurare a questa comune collaborazione da attuare con una serietà d'intenti prima non conosciuta, pieno e felice successo con maggior ardore di chi si è coscienziosamente adoperato per condurre la mentalità cristiana e religiosa a riprovare la guerra moderna coi suoi mostruosi mezzi di lotta ».

Id., Nuntius Radiophonicus, 1 sept. 1944: *A.A.S.* 36 (1944), p. 257: « Già nel Nostro discorso natalizio del 1939 Noi auspicavamo la creazione di organizzazioni internazionali che, evitando le lacune e le deficienze del passato, fossero realmente atte a preservare la pace, secondo i principi della giustizia e della equità, contro ogni minaccia per il futuro. Poichè oggi alla luce di tante terribili esperienze l'aspirazione verso un simile nuovo istituto universale di pace richiama sempre più l'attenzione e le cure degli uomini di Stato e dei popoli, Noi volentieri esprimiamo il Nostro compiacimento e formiamo l'augurio che la sua concreta attuazione corrisponda veramente nella più larga misura all'altezza del fine, che è il mantenimento, a vantaggio di tutti, della tranquillità e della sicurezza del mondo ».

[5] Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1944: *A.A.S.* 37 (1945), p. 18: « Per lo stesso motivo si comprende come *l'autorità di una tale società dei popoli dovrà essere vera ed effettiva* sugli Stati, che ne sono membri, in guisa però che ognuno di essi conservi un eguale diritto alla sua relativa sovranità ».

[6] Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1941: *A.A.S.* 34 (1942), p. 18: « Conforme poi alla misura, in cui il disarmo venga attuato, sono da stabilirsi mezzi appropriati, onorevoli per tutti ed efficaci, *per ridonare alla norma* " pacta sunt servanda ", " i patti devono essere osservati ", la funzione vitale e morale, che le spetta nelle relazioni giuridiche fra gli Stati ».

[7] Pius XII, Alloc. *Participantibus Conventui internationali Studiorum rerum socialium et Conventui Sodalitatis internationalis socialis christianae,* 3 iun. 1950: *A.A.S.* 42 (1950), p. 485-486: « Il faut regarder bien en face, dans toute son ampleur, le devoir de donner à d'innombrables familles, dans leur unité naturelle,

morale, juridique, économique, un juste espace vital répondant, fût-ce dans une mesure modeste, mais tout au moins suffisante, aux exigences de la dignité humaine.

Arrière les préoccupations égoïstes de nationalités et de classes, qui puissent gêner le moins du monde une action loyalement entreprise et vigoureusement menée, dans la conspiration de toutes les forces et de toutes les possibilités sur toute la surface du globe, dans le concours de toutes les initiatives et de tous les efforts des individus et des groupes particuliers, dans la collaboration universelle des peuples et des Etats, chacun apportant sa contribution respective de richesses: en matières premières, en capitaux, en main d'œuvre. Enfin, tous les participants de cet effort commun doivent apprécier le secours que lui apporte l'Eglise ».

[8] PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1948: *A.A.S.* 41 (1949), p. 10: « Un cristiano convinto non può confinarsi in un comodo o egoistico " isolazionismo ", quando è testimonio dei bisogni e delle miserie dei suoi fratelli; quando giungono a lui le implorazioni di soccorso degli economicamente deboli; quando conosce le aspirazioni delle classi lavoratrici verso più normali e giuste condizioni di vita; quando è consapevole degli abusi di una concezione economica, che pone il denaro al di sopra degli obblighi sociali; quando non ignora i traviamenti di un intransigente nazionalismo, che nega o conculca la solidarietà fra i singoli popoli, solidarietà la quale impone a ciascuno molteplici doveri verso la grande famiglia delle Nazioni.

La dottrina cattolica sullo Stato e la società civile si è sempre fondata sul principio che secondo la volontà divina i popoli formano insieme una comunità avente scopi e doveri comuni. Anche in un tempo nel quale la proclamazione di questo principio e delle sue conseguenze pratiche sollevava fiere reazioni, la Chiesa ha negato il suo consenso all'erroneo concetto di una sovranità autonoma ed esente degli obblighi sociali ».

[9] PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, in festo Pentecostes, 1 iun. 1941: *A.A.S.* 33 (1941), p. 203: « Il nostro pianeta, con tanti estesi oceani e mari e laghi, con monti e piani coperti di nevi e di ghiacci eterni, con grandi deserti e terre inospiti e sterili, non è pur scarso di regioni e luoghi vitali abbandonati al capriccio vegetativo della natura e ben confacentisi alla coltura della mano dell'uomo, ai suoi bisogni e alle sue operazioni civili; e più di una volta è inevitabile che alcune famiglie, di qua o di là emigrando, si cerchino altrove una nuova patria. Allora, secondo l'insegnamento della *Rerum Novarum,* va rispettato il diritto della famiglia ad uno spazio vitale. Dove questo accadrà, l'emigrazione raggiungerà il suo scopo naturale, che spesso convalida l'esperienza, vogliamo dire la distribuzione più favorevole degli uomini sulla superficie terrestre, acconcia a colonie di agricoltori; superficie che Dio creò e preparò per uso di tutti. Se le due parti, quella che concede di lasciare il luogo natìo e quella che ammette i nuovi venuti, rimarranno lealmente sollecite di eliminare quanto potrebbe essere d'impedimento al nascere e allo svolgersi di una verace fiducia tra il Paese di emigrazione e il Paese d'immigrazione, tutti i partecipanti a tale tramutamento di luoghi e di persone ne avranno vantaggio: le famigile riceveranno un terreno che sarà per loro terra patria nel vero senso della parola; le terre di densi abitanti resteranno alleggerite e i loro popoli si creeranno nuovi amici in territori stranieri; e gli Stati che accolgono gli emigrati guadagneranno cittadini operosi. Così le Nazioni che danno e gli Stati che ricevono,

in pari gara contribuiranno all'incremento del benessere umano e al progresso dell'umana cultura ».

[10] Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1941: *A.A.S.* 34 (1942), p. 14: « Con dispregio di ogni ragionevole ritegno e riguardo l'impero della costrizione esterna, il nudo possesso del potere si sovrappone alle norme dell'ordine, reggitore della convivenza umana, le quali, emanate da Dio, stabiliscono quali relazioni naturali e soprannaturali intercorrono fra il diritto e l'amore verso gl'individui e la società. La maestà e la dignità della persona umana e delle particolari società venne mortificata, avvilita e soppressa dall'idea della forza che crea il diritto... ».

Id., Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1942: *A.A.S.* 35 (1943), p. 19: « Chi vuole che la stella della pace spunti e si fermi sulla società, concorra da parte sua a ridonare alla persona umana la dignità concessale da Dio fin dal principio; si opponga all'eccessivo aggruppamento degli uomini, quasi come masse senz'anima; alla loro inconsistenza economica, sociale, politica, intellettuale e morale; alla loro mancanza di solidi principi e di forti convinzioni; alla loro sovrabbondanza di eccitazioni istintive e sensibili, e alla loro volubilità;

favorisca, con tutti i mezzi leciti, in tutti i campi della vita, forme sociali, in cui sia resa possibile e garantita una piena responsabilità personale, così quanto all'ordine terreno come quanto all'eterno;

sostenga il rispetto e la pratica attuazione dei seguenti fondamentali diritti della persona: il diritto a mantenere e sviluppare la vita corporale, intellettuale e morale, e particolarmente il diritto ad una formazione ed educazione religiosa; il diritto al culto di Dio privato e pubblico, compresa l'azione caritativa religiosa; il diritto, in massima, al matrimonio e al conseguimento del suo scopo, il diritto alla società coniugale e domestica; il diritto di lavorare come mezzo indispensabile al mantenimento della vita familiare; il diritto alla libera scelta dello stato, quindi anche dello stato sacerdotale e religioso; il diritto ad un uso dei beni materiali, cosciente dei suoi doveri e delle limitazioni sociali ».

Caput 3

DE CIVITATUM IURIBUS ET OFFICIIS IN COMMUNITATE INTERNATIONALI

9. [*De natura iurium et officiorum Civitatum*]. Cum praecipua iura et officia Civitatum in Communitate Internationali non condantur humanae voluntatis arbitrio, sed ex natura ipsa et munere Civitatum emanent, Sancta haec Synodus edocet ea componi debere cum iuribus et officiis aliarum Civitatum et limitari principiis iuris naturalis — quae principia strictius definiuntur ac declarantur iure gentium positivo — eoque tendere ut singulae Civitates in iusta, stabili ac prospera pace ad commune totius Communitatis bonum conspirent et adlaborent.[1]

10. [*Supremae Reipublicae potestatis* (*sovranità*) *circumscriptio*]. Propterea damnandus omnino est error nostris temporibus serpens, quo iura Civitatis asseruntur esse illimitata atque etiam summa eius potestas habetur absoluta. Nemo enim est qui non videat hac potestate sic sumpta destitui

ius gentium omni sui fondamento et praesidio, unitatem scindi Communitatis Internationalis, viam sterni ad aliarum Civitatum iura violanda, et ad rempublicam colendam quasi divinam et omnipotentem.[2]

11. [*Praecipua Civitatum iura in Communitate Gentium*]. Ad rectam notionem naturae Civitatis eiusque muneris in Communitate Internationali pertinent: ius ad vitam et independentiam pro omnibus cuiusque magnitudinis Civitatibus,[3] ita ut unius voluntas vivendi fieri nequeat sententia mortis alterius; ius ad libertatem, securitatem et integritatem omnium Civitatum;[4] ius ad aequaliter fruendum iure gentium quod attinet ad legitimum incrementum, ad idiosyncrasiam et culturam propriam; ius habendi partem bonorum omnibus hominibus destinatorum,[5] et adhibendi tum apta remedia, quibus causae famis in regionibus minus progressis vel nimis habitatis tollantur, tum tandem recentiora inventa ad civium prosperitatem pacemque fovendam.

12. [*Praecipua Civitatum officia in Communitate Internationali*]. Ut singularum Civitatum relationes in sinu Communitatis bonum ac progressum omnium efficaciter provehant et consequantur, necesse omnino est ut eae singulae agnoscant et observent iuris naturalis gentium principia, quae exigunt ut praecipua iura omnium gentium — minorum etiam partium ethnicarum — non laedantur in iis quae spectant propriam religionem, culturam, linguam;[6] ut legitime emigrandi immigrandique impedimenta removeantur, et inter omnes Civitates constituatur necessitudo in re politica, oeconomica et sociali.[7]

13. [*De auxilio Civitatibus minus progressis praestando*]. Ut auxilium in Communitate Internationali a Civitatibus magis progressis praestandum iis quae in rebus oeconomicis et socialibus nondum satis processerint, revera fiat iustitia duce et caritate comite, debet non solum divitiarum augmentum respici, sed etiam et praecipue provectum personae humanae, a Deo creatae, eiusque participatio omnium bonorum nationalium Communitatis;[8] ideoque Christifideles, memores verborum Apostoli « in hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? » (*I Io.* 3, 16-17), ad hoc praestantissimum officium maxime attendant, ac veluti membra eiusdem socialis corporis, in quo, si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia, quavis ratione ad egentiores gentes iuvandas adlaborent.[9]

NOTAE

[1] PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1948: *A.A.S.* 41 (1949), p. 10: « Il cristiano cattolico, convinto che ogni uomo è il suo prossimo e che ogni popolo è membro, *con uguali diritti,* della famiglia delle Nazioni, si associa di gran cuore a quei generosi sforzi, i cui primi risultati possono essere ben modesti e le cui manifestazioni urtano spesso in forti opposizioni ed ostacoli, ma che tendono a trar fuori i singoli Stati dalle strettezze di una mentalità egocentrica; mentalità

che ha avuto una parte preponderante di responsabilità nei conflitti del passato e che, se non fosse finalmente vinta o almeno frenata, potrebbe condurre a nuove conflagrazioni, forse mortali per la civiltà umana ».

Id., Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1952: *A.A.S.* 45 (1953), p. 40: « Ma il Nostro invito a rendere fattivo il sentimento e l'obbligo della solidarietà si estende altresì ai popoli come tali: che ogni popolo, in ciò che concerne il tenore di vita e l'assunzione al lavoro, sviluppi le sue possibilità e contribuisca al progresso corrispondente di altri popoli meno dotati. Sebbene l'attuazione anche più perfetta della solidarietà internazionale difficilmente possa conseguire la eguaglianza assoluta dei popoli, tuttavia urge che sia praticata almeno in misura da modificare sensibilmente la condizione odierna, la quale è ben lontana dal rappresentare un'armonica proporzione. In altri termini, la solidarietà dei popoli esige la cessazione delle ingenti disproporzioni nel tenore di vita, e con ciò negli investimenti e nel grado di produttività del lavoro umano ».

[2] Pius XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.* 31 (1939), p. 433: « Quisquis rem publicam quasi finem considerat, ad quem omnia confluant, cuique omnia obtemperent, facere is non potest quin mansuris verique nominis nationum incrementis noceat, officiat. Quod profecto contingit sive infinitus eiusmodi dominatus ex nationis, vel populi, vel ex alicuius civium ordinis mandato, rei publicae attribuatur, sive ipsamet eandem imperandi rationem sibi sumat civitas, utpote dominatrix absolutissima, nulli prorsus obnoxia ».

Id., *Ibid.,* p. 437: « Opinatio illa (...) quae imperium paene infinitum rei publicae attribuit, non internae tantum nationum vitae et auctioribus componendis incrementis perniciosus error evadit, sed mutuis etiam populorum rationibus detrimentum affert; quandoquidem unitatem illam infringit, qua civitates universae inter se contineantur oportet, gentium iura vi firmitateque exuit, atque, viam sternens ad aliena violanda iura, pacate una simul tranquilleque vivere perdifficile reddit ».

Id., Allocutio *Iis qui interfuerunt Conventui quinto nationali Italico Unionis Iureconsultorum catholicorum,* 6 dec. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 796: « Nessuno Stato però potrebbe muover lagnanze come di una limitazione della sua sovranità, se gli si negasse la facoltà di agire arbitrariamente e senza riguardo verso altri Stati. La sovranità non è la divinizzazione o la onnipotenza dello Stato, quasi nel senso di Hegël o a modo di un positivismo giuridico assoluto ».

[3] Pius XII, Sermo, 24 dec. 1939: *A.A.S.* 32 (1940), p. 10: « Un postulato fondamentale di una pace giusta e onorevole è assicurare il diritto alla vita e all'indipendenza di tutte le nazioni, grandi e piccole, potenti e deboli. La volontà di vivere d'una nazione non deve mai equivalere alla sentenza di morte per un'altra ».

Id., Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui quinto nationali Italico Unionis Iureconsultorum catholicorum,* 6 dec. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 795: « Il diritto all'esistenza, il diritto al rispetto e al buon nome, il diritto a un carattere e a una cultura propri, il diritto allo sviluppo, il diritto all'osservanza dei trattati internazionali, e diritti equivalenti, sono esigenze del diritto delle genti dettato dalla natura ».

[4] Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1941: *A.A.S.* 34 (1942), p. 16: « Nel campo di un nuovo ordinamento fondato sui principi morali, non vi è posto per la lesione della libertà, dell'integrità e della sicurezza di altre Nazioni, qualunque sia la loro estensione territoriale o la loro capacità di difesa ».

[5] PIUS XII, Litt. Encycl. *Sertum laetitiae,* 1 nov. 1939: *A.A.S.* 31 (1939), p. 642: « Cuius praecipuum caput id exigit, ut bona, quae pro hominibus universis Deus creavit, aequa ratione ad omnes affluant, iustitia duce, caritate comite ».

Cf. ID., Nuntius Radiophonicus in festo Pentecostes, 1 iun. 1941: *A.A.S.* 33 (1941), p. 199.

[6] PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1941: *A.A.S.* 34 (1942), p. 17: « Nel campo di un nuovo ordinamento fondato sui principi morali, non vi è posto per la oppressione aperta o subdola delle peculiarità culturali e linguistiche delle minoranze nazionali, per l'impedimento o la contrazione delle loro capacità economiche, per la limitazione o l'abolizione delle loro naturali fecondità ».

[7] PIUS XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.* 31 (1939), p. 438: « Id siquidem postulant (...) congruenter compositae perpetuoque mensurae civitatum rationes, postulant amicitiae vincula, e quibus uberes oriantur fructus, ut naturalis iuris principia ac normas, quibus nationes inter se contineantur, rite populi agnoscant, iisdemque obtemperent. Parique modo eadem ipsa principia iubent libertatem cuique suam servari incolumen, eaque omnibus tribui iura, quibus vivant, ac per civilis progressionis iter ad res magis cotidie prosperas adveniant; iubent denique pacta conventa, ex gentium iure stipulata ac sancta, integra inviolataque permanere.

Haud dubium est tum gentes solummodo posse una simul quieteque vivere, tum solummodo posse publice iureque statutis necessitudinibus regi, cum mutua intersit fiducia, cum omnibus persuasum sit datam fidem incolumem utrinque servatum iri cum omnes denique illud pro certo accipiant " meliorem esse sapientiam quam arma bellica " (*Eccl.* 9, 18) ».

ID., Sermo, 24 dec. 1940: *A.A.S.* 33 (1941), p. 13: « La vittoria su quei germi di conflitto, che consistono in divergenze troppo stridenti nel campo dell'economia mondiale; quindi un'azione progressiva, equilibrata da corrispondenti garanzie, per giungere ad un assetto, il quale dia a tutti gli Stati i mezzi per assicurare ai propri cittadini di ogni ceto un coveniente tenore di vita ».

[8] PIUS XII, Alloc. *Iis qui interfuerunt Conventui e Sodalitate internationali Scientiarum de re oeconomica,* 9 sept. 1956: *A.A.S.* 48 (1956), p. 671: « Sur le plan international, des discordances graves se révèlent actuellement entre les pays pauvres, qui accèdent de plus en plus à la conscience de leurs immenses besoins, et les nations largement pourvues du nécessaire et du superflu. Dans ces régions sous-développées le progrès est désiré, recherché, parfois avec violence et non sans menaces pour la paix internationale ».

ID., Alloc. *Praeclaris Viris ex Africa delegatis,* 13 apr. 1958: *A.A.S.* 50 (1950), p. 287: « L'apport des capitaux et des techniques de l'Europe est un service irremplaçable, qui hâtera le développement économique des pays d'Afrique. Ce développement est urgent, chacun le sait, car dans le monde moderne l'interdépendance économique est devenue telle qu'un pays sous-développé ne peut jouir d'une entière liberté. L'inégale répartition des dons et des richesses de la nature, fait aux hommes une obligation morale de s'aider les uns les autres, chacun selon les lumières et les forces qu'il a reçues. Cette obligation prend des proportions sans cesse grandissantes à mesure que le groupe social ou national dispose de plus de puissance ».

[9] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.* 53 (1961), pp. 440-445.

Caput 4

DE IIS QUAE IMPEDIMENTO SUNT AD CONSTITUTIONEM ET RECTAM OPEROSITATEM COMMUNITATIS INTERNATIONALIS

14. [*Singulae Civitates operam suam praestare debent ad fines Communitatis Internationalis assequendos*]. Ut Communitas Internationalis pacem iustam et aequam mutuamque cooperationem inter Civitates provehere possit, necesse est intelligant maximam ad hos fines assequendos contributionem in eo consistere, quod earum suprema potestas exerceatur intra limites a iure tum naturali tum internationali positivo, naturali subordinato, definitos, in mutua fiducia ac benevolentia.[1]

15. [*Nimium suae gentis studium reprobatur*]. Rectae huic supremae potestatis notioni opponitur nimium suae gentis studium, quod cum mutuam inter Civitates necessitudinem et debita officia erga magnam nationum familiam respuat, dissolutionem Communitatis Gentium promovet et efficit. Nec minus fallitur illud principium « de nationalitatibus » quod ius plenum et irrestrictum omnibus minoritatibus nationalibus tribuit libere de se statuendi.[2] Quae reprobatio nullo modo afficit amorem erga propriam gentem, culturam et Patriam, cum hic amor sit virtus et forma quaedam caritatis pietatisque filialis.[3]

16. [*Alii reprobantur errores qui Communitatis Internationalis constitutionem rectamque eius agendi facultatem impediunt*]. Praeterea haec Sacrosancta Synodus reiicit ac reprobat errores *imperialismi,* qui politicam et oeconomicam alicuius Reipublicae dilationem ultra eius legitima confinia considerat tamquam ius incoercibile et subtractum auctoritati Communitatis Internationalis;[4] sic dicti *razismi,* qui cum ex nimio sui stirpis studio, illam ceteris puriorem superioremque ac dominantem constituat, Communitatem Internationalem in iuridica omnium membrorum aequalitate innixam destruit;[5] insuper *illius formae totalitarismi,* qui operariorum universitatem aequando cum Communitate Internationali, aequilibrium adimit quod est servandum inter legitima iura tum singularum Civitatum tum Communitatis Internationalis.

17. [*De armorum deminutione interdictioneque*]. Sacrosancta Synodus gravibus verbis ut damnum exitiale cunctae familiae humanae illatum denuntiat ac reprehendit effrenum illum cursum ad arma thermonuclearia seu atomica praesertim, apparanda, quae res veram pacem, concordiam fiduciamque inter gentes laedit et prohibet, magnamque hominum partem et divitiarum in discrimen vitae et ruinae adducit. Civitatum igitur moderatores maximeque fautores huius temerarii cursus ad arma intelligant grave suum officium esse ut gentes ab hoc ruinae discrimine liberent per conventiones, quibus thermonuclearium fabricatio definita et progressiva ratione cesset, ac simul adlaborent ut ex animis deponantur hostilitates, odia,

timores, vindictae, diffidentiae.[6] Libenter quoque sese subiiciant inspectioni armorum internationali.

NOTAE

[1] PIUS IX, *Syllabus,* prop. 39: DENZ. 1739: « Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus ».

[2] PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1954: *A.A.S.* 47 (1955), pp. 22-23: « Molti infatti stimano che l'alta politica sia per ritornare al tipo di Stato nazionalistico, chiuso in se stesso, accentratore delle forze, irrequieto nella scelta delle alleanze, e quindi non meno pernicioso di quello in auge durante lo scorso secolo.

Troppo presto si è dimenticato l'enorme cumulo di sacrifici di vite e di bene estorto da questo tipo di Stato e gli schiaccianti pesi economici e spirituali da esso imposti. (...) La vita nazionale non divenne un principio di dissoluzione della comunità dei popoli, che quando cominciò ad essere sfruttata come mezzo per fini politici; quando, cioè, lo Stato dominatore e accentratore, fece della nazionalità la base della sua forza di espansione. Ecco allora lo Stato nazionalistico, germe di rivalità e fomite di discordie ».

[3] Cf. supra Cap. III, n. 12;

PIUS XII, Alloc. *Oriundis e Picena Provincia, Romae degentibus,* 23 mart. 1958: *A.A.S.* 50 (1958), p. 219: « Si incontrano oggi talora cittadini presi quasi dal timore di mostrarsi particolarmente devoti alla patria (...) come se il desiderio naturale di vedere la propria patria bella, prospera all'interno, stimata e rispettata all'esterno, dovesse essere inevitabilmente causa di avversione contro altri popoli. Nè manca chi evita persino di pronunciare la parola " patria " e tenta di sostituirvi altri nomi più adatti, si crede, ai nostri tempi.

Certo, diletti figli: bisogna dire che non ultimo tra i segni di un disorientamento degli animi è questo diminuito amore alla patria, a questa più grande famiglia donatavi da Dio ».

S. THOMAE, *Summa Theol.,* II-II, q. 101, a. 1: « Respondeo dicendum quod homo efficitur diversimode aliis debitor secundum diversam eorum excellentiam, et diversa beneficia ab eis suscepta. In utroque autem Deus suum obtinet locum, qui et excellentissimus est, et est nobis essendi et gubernationis primum principium. Secundario vero nostri esse et gubernationis principium sunt parentes et patria, a quibus et in qua et nati et nutriti sumus. Et ideo post Deum, maxime est homo debitor parentibus et patriae. Unde sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita secundo gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus et patriae ».

[4] PIUS XII, Alloc. *Cardinalibus recenter creatis,* 20 februarii 1946: *A.A.S.* 38 (1946), pp. 143-144: « La Chiesa — pur adempiendo il mandato del suo divino Fondatore di diffondersi per tutto il mondo e di conquistare al Vangelo ogni creatura — non è un Impero, massime nel senso imperialistico, che si suol dare ora a questa parola (...). L'imperialismo moderno, al contrario, segue una via opposta. Esso procede in estensione e in ampiezza. Non cerca l'uomo in quanto tale, ma le cose e le forze, alle quali lo fa servire; con ciò porta in sè germi, che mettono in pericolo il fondamento della convivenza umana. In tali condizioni può forse recar meraviglia l'ansia presente dei popoli per la loro reciproca sicurezza? ».

[5] PIUS XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* 14 martii 1937: (versio italica): *A.A.S.* 29 (1937), p. 171: « Se la razza o il popolo, se lo Stato o una sua de-

terminata forma, se i rappresentanti del potere statale o altri elementi fondamentali della società umana hanno nell'ordine naturale un posto essenziale e degno di rispetto; chi peraltro li distacca da questa scala di valori terreni, elevandoli a suprema norma di tutto, anche dei valori religiosi, e divinizzandoli con culto idolatrico, perverte e falsifica l'ordine, da Dio creato e imposto, è lontano dalla vera fede in Dio e da una concezione della vita ad essa conforme ».

Pius XII, Alloc. *ad Em.mos PP. DD. Cardinales,* die 2 iun. 1945: *A.A.S.* 37 (1945), p. 160: « Voi vedete ciò che lascia dietro di sè una concezione e un'attività dello Stato, che non tiene in nessun conto i sentimenti più sacri dell'umanità, che calpesta gli inviolabili principi della fede cristiana. Il mondo intero, stupito, contempla, oggi la rovina, che ne è derivata ».

[6] Pius XII, Sermo, 24 dec. 1939: *A.A.S.* 32 (1940), p. 10: « Affinchè l'ordine, in tal modo stabilito, possa avere tranquillità e durata, cardini di una vera pace, le nazioni devono venir liberate dalla pesante schiavitù della corsa agli armamenti e dal pericolo che la forza materiale, invece di servire a tutelare il diritto, ne divenga tirannica violentatrice. Conclusioni di pace, che non attribuissero fondamentale importanza ad un disarmo mutuamente consentito, organico, progressivo, sia nell'ordine pratico che in quello spirituale, e non curassero di attuarlo lealmente, rivelerebbero, presto o tardi, la loro inconsistenza e mancanza di vitalità ».

Id., Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1941: *A.A.S.* 34 (1942), pp. 17-18: « Nel campo di un nuovo ordinamento fondato sui principi morali, non vi è posto — una volta eliminati i più pericolosi focolai di conflitti armati — per una guerra totale nè per una sfrenata corsa agli armamenti. Non si deve permettere che la sciagura di una guerra mondiale con le sue rovine economiche e sociali e le sue aberrazioni e perturbazioni morali si rovesci per la terza volta sopra l'umanità. La quale perchè venga tutelata lungi da tale flagello, è necessario che con serietà e onestà si proceda a una limitazione progressiva e adeguata degli armamenti. Lo squilibrio tra un esagerato armamento degli Stati potenti e il deficiente armamento dei deboli crea un pericolo per la conservazione della tranquillità e della pace dei popoli... ».

Id., Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1954: *A.A.S.* 47 (1955), p. 19: « Nessun popolo, inoltre, sopporterebbe indefinitivamente la corsa agli armamenti senza risentirne disastrosi effetti nel suo sviluppo economico normale ».

Pius XI, Litt. Encycl. *Ubi arcano,* 23 dec. 1922: *A.A.S.* 14 (1922), p. 677: « Incommoda autem confecti belli omnes omnino sentiunt civitates; maxima quidem eae quae subactae sunt, sed non exigua vel illae quae bello abstinuerunt. Eademque, ob medicinae moram, in dies intolerabiliora fiunt; praesertim cum ea quae ab hominibus politicis pluries usque adhuc instituta sunt consilia et conata, rebus medendi causa, nullum atque etiam opinione deteriorem exitum habuerint. Quare, ingravescente formidine ne calamitosiora posthac oriantur bella, necessitas quaedam omnibus civitatibus nascitur in bellico apparatu vivendi: ex quo cum exhauriuntur aeraria, tum generis robur consumitur, tum etiam et doctrinae studia et religionis consuetudo et morum disciplina perturbantur ».

Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1955: *A.A.S.* 48 (1956), pp. 37-38; 39: « Questo pensiero Ci conduce spontaneamente alla sempre acuta questione della pace, che forma l'incessante ansia del Nostro cuore, e di cui un parziale problema richiede in questo momento una speciale considerazione. Intendiamo di

riferirCi a una recente proposta che mira a sospendere mediante intesa internazionale gli esperimenti delle armi nucleari. Si è parlato altresì di giungere con ulteriori passi a Convenzioni, in virtù delle quali si rinunzierebbe all'uso di quelle armi, e si sottoporrebbero tutti gli Stati a un effettivo controllo degli armamenti. Si tratterebbe dunque di tre provvedimenti: rinunzia agli esperimenti con armi nucleari, rinunzia all'impiego di tali armi, generale controllo degli armamenti (...). Noi non esitiamo ad affermare, anche nel senso di Nostre anteriori Allocuzioni, che l'insieme di quei tre provvedimenti, come oggetto di una intesa internazionale, *è un dovere di coscienza dei popoli e dei loro governanti* ».

Caput 5

DE DEFENSIONE ORDINIS INTERNATIONALIS ET PACIS

18. [*Conditiones essentiales pacis*]. Ne ordo internationalis constituendus dissolvatur, sed in consortio pacifico omnium gentium semper in dies crescat, necesse est ut pax, quae ut tranquillitas ordinis definitur, in firma determinatione iurium singulorum Statuum ac populorum fundetur, amore fraterno, quo solo defectus iustitiae humanae superari possunt, animetur, ac ab organis communitatis internationalis, si necesse est, etiam vi, efficaciter defendatur.[1]

19. [*Officium christifidelium promovendi pacem*]. Cum ordo internationalis est adhuc in via constitutionis ac ob conditionem praesentis vitae humanae incessanter inter graves difficultates periclitatur, christifideles, qui pacem ut quoddam donum supernum acceperunt, secundum illud Ioannis: « pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis » (*Io.* 14, 27), caritate fraterna ac sincera voluntate boni communis populorum impulsi ad hoc intendere debent ut hic ordo semper perfectior evadat et totus mundus in pace restauretur.

20. [*Functio supplens Statuum ac ius legitimae defensionis*]. Usquedum organa Communitatis Internationalis carent apto ac efficaci potestate agendi aut in exercitio proprii offici impediuntur, singulis Statibus competit ut debitis conditionibus muniti, in casu aggressionis iniustae, ordinem communitatis gentium ac propria iura vitalia defendant.

21. [*Vindicatio vi armorum ordinis laesi*]. Vis armorum ad restaurandum vel defendendum ordinem adhiberi nequit nisi exhaustis omnibus mediis persuasionis ac monitionis, tractationis vel punitionis, quibus aggressores intra limites ordinis constituti cohiberi solent.[2] Usus armorum, quorum effectus omnino incalculabiles sunt ac propterea ab homine rationabiliter dominari non possunt, vel ipsam speciem humanam in sua constitutione physica aut biologica irreparabiliter laedunt, excedit omnem iustam proportionem ac proinde moraliter cohonestari nequit.[3]

22. [*Iura fundamentalia personarum etiam in statu belli vindicantur*].

Cum fundamentum, subiectum et finis omnis vitae socialis sit persona humana, iura personalia bellum gerentium maxima cura qua possibilis est, respectari ac tueri debent, uti sunt iura humana captivorum, ius eorum ad vitam ac integritatem corporis et animae, ad libertatem conscientiae, ac alia similia.

23. [*Missio Ecclesiae erga communitatem gentium*]. Ecclesia in virtute suae missionis divinae praedicandi Evangelium omni creaturae et elargiendi inter eos thesauros supernae gratiae, pacem ubique terrarum diffundit ac unica solida fundamenta consortii pacifici populorum, agnitionem nempe legis divinae et naturalis, praecepta iustitiae et amoris omnibus docet. Quapropter in Communitate Internationali Ecclesia ut Mater et Magistra gentium excellentiorem locum habere debet ut populi ad ipsam respicientes in necessitudinibus relationum internationalium tam arduum, veram pacem tanto ardenter aspiratam revera invenire possint.

NOTAE

[1] PIUS XII, Sermo, 24 dec. 1939: *A.A.S.* 32 (1940), pp. 10-11: « Un postulato fondamentale di una pace giusta e onorevole è assicurare il diritto alla vita e all'indipendenza di tutte le nazioni, grandi e piccole, potenti e deboli (....). Ma anche i regolamenti migliori e più compiuti saranno imperfetti e condannati in definitiva all'insuccesso se quei che dirigono le sorti dei popoli, e i popoli stessi, non si lasciano penetrare sempre più da quello spirito, da cui solo può provenire vita, autorità e obbligazione alla lettera morta dei paragrafi negli ordinamenti internazionali (...) da quell'amore universale, che è il compendio e il termine più proteso dell'ideale cristiano e per ciò getta un ponte anche verso coloro, i quali non hanno il bene di partecipare alla stessa nostra fede ».

[2] PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1944: *A.A.S.* 37 (1945), p. 18: « Un dovere, del resto, obbliga tutti, un dovere che non tollera alcun ritardo (...) di fare cioè tutto quanto è possibile per proscrivere e bandire una volta per sempre la guerra di aggressione come soluzione legittima delle controversie internazionali e come strumento di aspirazioni nazionali ».

[3] PIUS XII, Alloc. *Iis qui XVI° Conventui Officii Internationalis inquisitionis de medicina inter milites exercenda interfuerunt,* 19 oct. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), pp. 748-749: « La bonne volonté réciproque permet toujours d'éviter la guerre comme ultime moyen de régler les différends entre les Etats (...) ... que l'on punisse sur le plan international toute guerre, qui n'est pas exigée par la nécessité absolue de se défendre contre une injustice très grave atteignant la communauté, lorsqu'on ne peut l'empêcher par d'autres moyens et qu'il faut le faire cependant, sous peine d'accorder libre champ dans les relations internationales à la violence brutale et au manque de conscience. Il ne suffit donc pas d'avoir à se défendre contre n'importe quelle injustice pour utiliser la méthode violente de la guerre. Lorsque les dommages entraînés par celle-ci ne sont pas comparables à ceux de l'" injustice tolérée ", on peut avoir l'obligation de " subir l'injustice " ».

II

DE ORDINE SOCIALI

Caput 1

DE ORDINIS SOCIALIS FUNDAMENTO ET VITAE SOCIALIS PRINCIPIIS

1. [*De persona humana*]. Sacrosancta Synodus docet hominem, ad imaginem Dei factum, sub Deo totius vitae socialis fundamentum, finem et subiectum esse ac esse debere, quippe cum sit persona, creatura spiritu et corpore constans, intellectu ac voluntate praedita, ad Deum directe ut finem ultimum ordinata et a Christo Verbo Dei Incarnato post lapsum redempta. Est autem *fundamentum,* quia vita socialis ex rationali hominis natura intrinsece manat; est *finis,* quia vita socialis, ex se ipsa, ad perfectionem hominis tendit ideoque ad eandem ordinanda est, iuxta illud S. Pauli: « Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi; Christus autem Dei » (*I Cor.* 3, 22-23); est *subiectum,* quia in omnibus vitae socialis activitatibus ac institutionibus homo semper ut persona se praefert et ut talis est agnoscendus.[1]

2. [*De necessitudine ordinis socialis ad Deum*]. Quia ordo socialis in moralis ordinis plenitudine continetur, hac de causa necessitudo hominis ad Deum constituit etiam ordinis socialis fundamentum obiectivum, universale, absolutum. Nullus ergo datur ordo socialis, qui ex ordine hominis ad Deum, finem ultimum, non mensuretur. Quare etiam ordo socialis sub aspectu suo morali, Ecclesiae auctoritati subiacet.[2]

3. [*De hominum aequalitate ac de eorum differentiis*]. Omnes homines, tum quatenus eiusdem naturae sunt, tum etiam quia in ordine supernaturali ad dignitatem filiorum Dei destinantur, omnino aequales sunt, iuxta illud Sancti Pauli: « Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis: non est Iudaeus, neque Graecus, non est servus neque liber: non est masculus neque femina » (*Gal.* 3,27-28; cf. *Col.* 3, 11). Et alibi: « Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum » (*Rom.* 10, 12).[3] Proinde omnes qui in societate humana iunguntur, ut personae sunt, officia et iura, ex ipsa eorum natura exsurgentia, habent, quae nec abalienari nec violari possunt. Simul tamen singuli homines alii ab aliis differunt aptitudinibus ac qualitatibus physicis et moralibus, ideoque diversis in vita sociali muneribus alii ab aliis funguntur. Quae munerum diversitas in sociali ordine elementum constitutivum est: necessario enim requiritur ut unusquisque se ipsum plene et modo homine digno evolvere possit.

4. [*De societatis humanae natura*]. Societas humana non est habenda ut mere numerica hominum pluralitas; eo minus aestimanda est velut huiusmodi corpus, cuius singuli homines nihil aliud essent quam partes. Contra: societas humana est unitas ordinis, unitas scilicet in qua singula membra sunt et considerari debent ut personae ideoque ut homines in se ipsis exsistentes, suo marte et propria responsabilitate agentes, quorum unusquisque suum finem supremum habet, qui est ipse Deus aeterne ac immediate possidendus, iuxta illud beati Ioannis: « Carissimi, nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est » (*I Io.* 3, 2).[4]

Simul tamen in societate homines in veram unitatem rediguntur, tum quia vi propriae naturae sociales sunt, ideoque multiformiter mutuo communicant, et eatenus singuli seipsos perficiunt quatenus ad alios perficiendos conferunt, tum etiam quia omnes, quamvis formis et gradibus diversis, ad bonum commune prosequendum sicut animo inclinant, sic et officio tenentur.[5]

5. [*De diversis vitae socialis formis*]. In consociatione humana plures societates dantur quarum duae sunt necessariae: familia nempe et communitas politica. Multae aliae insuper dantur societates, quae ad vitam socialem pleniorem reddendam conferunt, immo postulantur, imprimis illae quae rationem habent communis operositatis vel vicinitatis loci.[6].

6. [*De communi societatis humanae bono*]. Bonum commune societatis humanae non est idem ac mere numerica summa bonorum ad eius membra pertinentium. Habet enim bonum illud propriam suam rationem, quae tamen nec agnosci nec definiri potest, nisi respectu habito personae humanae complete cogitatae. Nam constat omnibus illis elementis quae ad integram personae humanae perfectionem et possibilem reddendam et promovendam requiruntur; quippe quia ponit ordinis externi conditiones ad illam perfectionem socialiter prosequendam.[7]

7. [*De auctoritate humana*]. Ad ordinem socialem tutandum sive ad bonum commune efficaciter promovendum requiritur auctoritas. Quae a Deo derivatur, iuxta illud S. Pauli: « Non est enim potestas nisi a Deo ... Ministri (principes) Dei sunt » (*Rom.* 13, 1-6). Deus enim homines natura sociales creavit. Praeterea, imperativa auctoritatis vis innititur non in conditione peccati humanitatis, sed in ipso morali ordine qui a Deo principium sumit et ad Deum ducit. Accedit quod tanta sit personae dignitas, ut a quavis humana auctoritate conscientia obligari nequeat nisi eadem auctoritas quaedam sit divinae auctoritatis participatio. Quapropter humana auctoritas, sua ipsius natura, titulo boni communis prosequendi contra ordinem moralem iure nec exerceri potest nec, consequenter, contra eundem conscientias hominum obligare valet.[8] Etenim « oboedire oportet Deo magis quam hominibus » (*Act.* 5, 29).

8. [*De libertate exercenda*]. Institutiones sociales ita conformandae sunt ut in ipsis exercitium libertatis agnoscatur, servetur, promoveatur. Ho-

mines autem intra ordinis moralis fines suam libertatem exercere tenentur; immo sic tantum modo humanus convictus servatur, et recte, digne ac fecunde evolvitur.[9]

9. [*De positivo iuris ordine*]. Ut ea quae ius naturale exigit bene ordinentur et recte exsecutioni mandentur, positivus iuris ordo requiritur, etiam potestate coercitiva praeditus. Ad tuendum autem ordinem illum iuridicum necesse est, ut iudices omnino sine respectu humano et secundum iustitiam munus suum expleant.[10]

10. [*De principio subsidiarietatis*]. In necessitudinibus moderandis inter societatis humanae membra exsistentibus fixum immotumque manere debet in vita sociali gravissimum illud quod principium subsidiarietatis appellari solet: sicut nempe quae a singularibus hominibus proprio marte et propria industria possunt perfici, per se nefas est eisdem eripere et communitati demandare, ita quae a minoribus et inferioribus communitatibus effici et praestari possunt, ea ad maiorem et altiorem societatem evocare iniuria est simulque grave damnum et recti ordinis perturbatio. Socialis enim quaevis opera vi naturaque sua subsidium afferre membris corporis socialis debet, numquam vero eadem destruere, opprimere vel absorbere. Quo verum perfectius servato hoc « subsidiarii » officii principio etiam hierarchicus inter diversas consociationes ordo viguerit, eo praestantior erit socialis et auctoritas et efficientia.[11]

NOTAE

[1] Pius XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* 14 martii 1937: *A.A.S.* 29 (1937), n. 8, p. 160 (textus germ.), p. 181 (textus ital.): « La società è voluta dal Creatore come mezzo per il pieno sviluppo delle facoltà individuali e sociali, di cui l'uomo ha da valersi; ora dando ora ricevendo per il bene suo e quello degli altri. Anche quei valori più universali e più alti che possono essere realizzati, non dall'individuo, ma solo dalla società, hanno *per volontà del Creatore come ultimo scopo l'uomo e il suo sviluppo e perfezionamento naturale e soprannaturale.* Chi si allontana da questo ordine, scuote i pilastri, su cui riposa la società, e ne pone in pericolo la tranquillità, la sicurezza e l'esistenza »;

Pius XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* 20 oct. 1939: *A.A.S.* 31 (1939), pp. 431-434;

Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1942: *A.A.S.* 35 (1943), p. 12: « Origine e scopo essenziale della vita sociale vuol essere la conservazione, lo sviluppo e il perfezionamento della persona umana, aiutandola ad attuare rettamente le norme e i valori della religione e della cultura, segnati dal Creatore a ciascun uomo e a tutta l'umanità, sia nel suo insieme, sia nelle sue naturali ramificazioni... E quando — (una dottrina o costituzione sociale) — misconoscendo il rispetto dovuto alla persona e alla vita a lei propria non le conceda alcun posto nei suoi ordinamenti, nell'attività legislativa ed esecutiva, lungi dal servire la società, la danneggia; lungi dal promuovere e animare il pensiero sociale e attuarne le aspettative e le speranze, gli toglie ogni valore intrinseco, servendosene come di frase utilitaria, la quale incontra in ceti sempre più numerosi risoluta e franca ripulsa »;

Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1944: *A.A.S.* 27 (1945), p. 12: « Se dunque in questa solennità, che commemora ad un tempo la benignità del Verbo incarnato e la dignità dell'uomo (dignità intesa non solo sotto il rispetto personale, ma anche nella vita sociale), Noi indirizziamo la Nostra attenzione al problema della democrazia, per esaminare secondo quali norme deve essere regolata, per potersi dire una vera e sana democrazia, confacente alle circostanze dell'ora presente; ciò indica chiaramente che la cura e la sollecitudine della Chiesa è rivolta non tanto alla sua struttura e organizzazione esteriore, — le quali dipendono dalle aspirazioni proprie di ciascun popolo, — *quanto all'uomo, come tale, che, lungi dall'essere l'oggetto e un elemento passivo della vita sociale, ne è invece, e deve esserne e rimanerne, il soggetto, il fondamento e il fine* ».

[2] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* loc. cit., pp. 413-453; Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1941: *A.A.S.* 34 (1942), p. 16: « Tale nuovo ordinamento, che tutti i popoli anelano di veder attuato, dopo le prove e le rovine di questa guerra, ha da essere innalzato sulla rupe incrollabile e immutabile della legge morale, manifestata dal Creatore stesso per mezzo dell'ordine naturale e da lui scolpita nei cuori degli uomini con caratteri incancellabili; legge morale la cui osservanza deve venir inculcata e promossa dall'opinione pubblica di tutte le Nazioni e di tutti gli Stati con tale unanimità di voce e di forza, che nessuno possa osare di porla in dubbio o attuarne il vincolo obbligante.

Quale faro splendente, essa deve coi raggi dei suoi principi dirigere il corso dell'operosità degli uomini e degli Stati i quali avranno da seguirne le ammonitrici, salutari e proficue segnalazioni, se non vorranno condannare alla bufera e al naufragio ogni lavoro e sforzo per stabilire un nuovo ordinamento »;

Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1942: *A.A.S.* 35 (1943), p. 12: « Una dottrina o costruzione sociale, che rinneghi tale interna, essenziale connessione con Dio di tutto ciò che riguarda l'uomo, o ne prescinda, segue falso cammino; e mentre costruisce con una mano, prepara con l'altra i mezzi che presto o tardi insidieranno o distruggeranno l'opera »; *Ibid.*: « Se la vita sociale importa unità interiore, non esclude però le differenze, cui suffragano la realtà e la natura. Ma quando si tiene fermo al supremo regolatore di tutto ciò che riguarda l'uomo, Dio, le somiglianze non meno che le differenze degli uomini trovano il posto conveniente nell'ordine assoluto dell'essere, dei valori, e quindi anche della moralità. Scosso invece tale fondamento, si apre tra i vari campi della cultura una pericolosa discontinuità, appare una incertezza e labilità di contorni, di limiti e di valori, talchè solo meri fattori esterni, e spesso ciechi istinti, vengono poi a determinare, secondo la dominante tendenza del giorno, a chi spetti il predominio dell'uno o dell'altro indirizzo ».

[3] Pius XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* loc. cit., p. 159 (textus germ.), p. 181 (textus ital.): « Quel principio — (" Diritto è ciò che è utile alla nazione ") —, staccato dalla legge etica, significherebbe, per quanto riguarda la vita internazionale, un eterno stato di guerra tra le nazioni; nella vita nazionale poi misconosce, nel confondere interesse e diritto, il fatto fondamentale che l'uomo, in quanto persona, possiede diritti dati da Dio, che devono essere tutelati da ogni attentato della comunità, che avesse per scopo di negarli, di abolirli e di impedirne l'esercizio ».

[4] Pius XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* loc. cit., pp. 433-434.

[5] Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1942: *A.A.S.* 35 (1943), p. 11:

« L'ordine, base della vita consociata di uomini, di esseri cioè, intellettuali e morali, che tendono ad attuare uno scopo consentaneo alla loro natura, non è una mera estrinseca connessione di parti numericamente diverse; è piuttosto, e ha da essere, tendenza e attuazione sempre più perfetta di una unità interiore, ciò che non esclude le differenze, realmente fondate, e sanzionate dalla volontà del Creatore o da norme soprannaturali.

Una chiara intelligenza dei fondamenti genuini di ogni vita sociale ha un'importanza capitale oggi più che mai, mentre l'umanità, intossicata dalla virulenza di errori e traviamenti sociali, tormentata dalla febbre della discordia di desideri, dottrine e intenti, si dibatte angosciosamente nel disordine, da essa stessa creato, e risente gli effetti della forza distruttrice di idee sociali erronee, le quali dimenticano le norme di Dio o sono ad esse contrarie. E poichè il disordine non può essere superato se non con un ordine, che non sia meramente forzato o fittizio (non altrimenti che l'oscurità con i suoi deprimenti e paurosi effetti non può essere bandita se non dalla luce, e non da fuochi fatui); la salvezza, il rinnovamento e un progressivo miglioramento non può aspettarsi e originarsi se non da un ritorno di larghi e influenti ceti alla retta concezione sociale ». Cf. etiam:

S. THOMAS, *Contra Gentiles,* III, c. 129: « Est autem homini naturale quod sit animal sociale, quod ex hoc ostenditur quod unus homo solus non sufficit ad omnia quae sunt humanae vitae necessaria »;

Summa Theol., I-II, q. 94, a. 2: « Sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc quod veritatem cognoscat de Deo, et *ad hoc quod in societate vivat* »;

Ibid., I-II, q. 92, a. 1, ad 3: « Cum igitur quilibet homo sit pars civitatis, *impossibile est quod aliquis homo sit bonus, nisi sit bene proportionatus bono communi;* nec totum potest bene exsistere, nisi ex partibus sibi proportionatis. Unde impossibile est quod bonum commune civitatis bene se habeat, nisi cives sint virtuosi, ad minus illi quibus convenit principari »;

Ibid., I, q. 60, a. 5: « Videmus enim quod naturaliter pars se exponit ad conservationem totius; sicut manus exponitur ictui, absque deliberatione, ad conservationem totius corporis. Et quia ratio imitatur naturam, huiusmodi inclinationem invenimus in virtutibus politicis: est enim virtuosi civis, ut se exponat mortis periculo pro totius reipublicae conservatione; et si homo esset naturalis pars huius civitatis, haec inclinatio esset ei naturalis »;

Ibid., I, q. 29, a. 3: « Persona significat quod est perfectissimum in tota natura, scilicet subsistens in rationali natura ».

[6] LEO XIII, Litt. Encycl. *Rerum novarum,* 15 maii 1891: *A.S.S.* 23 (1890-1891), pp. 664-665: « Hac porro propensione naturali sicut ad coniunctionem ducitur congregationemque civilem, sic et alias cum civibus inire societates, expedit, exiguas illas quidem nec perfectas, sed societates tamen...

Nunc vero quamquam societates privatae existunt in civitate, eiusque sunt velut partes totidem, tamen universe ac per se non est in potestate reipublicae ne existant prohibere. Privatas enim societates inire concessum est homini iure naturae: est autem ad praesidium iuris naturalis instituta civitas, non ad interitum: eaque si civium coetus sociari vetuerit, plane secum pugnantia agat, propterea quod tam ipsa quam coetus privati uno hoc e principio nascuntur, quod homines sunt natura congregabiles »;

Ibid., p. 667: « Proinde si libera civibus coeundi facultas est, ut profecto

est, ius quoque esse oportet eam libere optare disciplinam easque leges, quae maxime conducere ad id, quod propositum est, iudicentur »;

Pius XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno,* 15 maii 1931: *A.A.S.* 23 (1931), p. 204: « Natura enim duce fit, ut, sicut qui loci vicinitate coniuncti sunt municipia constituunt, ita qui in eandem artem vel professionem incumbunt, — sive oeconomica est sive alterius generis — collegia seu corpora quaedam efficiant, adeo ut haec consortia iure proprio utentia a multis, sin minus essentialia societati civili, at saltem naturalia dici consueverint » (Denz. 2267).

[7] Pius XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* loc. cit., pp. 159-160 (textus germ.), p. 181 (textus ital.): « Disprezzando questa verità, si perde di vista che il vero bene comune, in ultima analisi, viene determinato e conosciuto mediante la natura dell'uomo con il suo armonico equilibrio fra diritto personale e legame sociale, come anche dal fine della società determinato dalla stessa natura umana »;

Pius XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* loc. cit., p. 467 (textus ital.), p. 433 (textus lat.): « Eo igitur nobilissimo munere fungitur res publica, ut, in nationis vita, privata singulorum incepta et opera recognoscat, temperet atque promoveat; eaque ad commune omnium bonum convenienter dirigat, quod quidem non ex alicuius arbitrio, neque solummodo a terrena civilis societatis prosperitate, veluti a primaria ratione sua definiatur, sed ex naturali potius hominis perfectione congruenter provehenda, ad quam civitas ipsa a supremo Creatore, quasi instrumentum atque praesidium, destinatur ».

[8] Cf. Leo XIII, Litt. Encycl. *Diuturnum illud,* 29 iun. 1881: *A.S.S.* 14 (1881), pp. 3-14; *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: *A.S.S.* 18 (1885), pp. 161-180; *Libertas praestantissimum,* 20 iun. 1888: *A.S.S.* 20 (1887-1888), pp. 593-613; *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: *A.S.S.* 22 (1889- 1890), pp. 385-404; *Pervenuti all'anno vigesimo quinto,* 19 mart. 1902: *A.S.S.* 34 (1901-1902), pp. 513-532;

Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1944: *A.A.S.* 37 (1945), p. 15: « Lo stesso ordine assoluto degli esseri e dei fini, che mostra l'uomo come persona autonoma, vale a dire soggetto di doveri e di diritti inviolabili, radice e termine della sua vita sociale, abbraccia anche lo Stato come società necessaria, rivestita dell'autorità, senza la quale non potrebbe nè esistere nè vivere. Che se gli uomini, prevalendosi della libertà personale, negassero ogni dipendenza da una superiore autorità munita del diritto di coazione, esse scalzerebbero con ciò stesso il fondamento della loro propria dignità e libertà, vale a dire quell'ordine assoluto degli esseri e dei fini.

Stabiliti in questa medesima base, la persona, lo Stato, il pubblico potere, con i loro rispettivi diritti, sono stretti e connessi in tal modo che o stanno o rovinano insieme.

E poichè quell'ordine assoluto, alla luce della sana ragione, e segnatamente della fede cristiana, non può avere altra origine che in un Dio personale, nostro Creatore, consegue che la dignità dell'uomo è la dignità dell'immagine di Dio, la dignità dello Stato è la dignità della comunità morale voluta da Dio, la digntià dell'autorità politica è la dignità della sua partecipazione all'autorità di Dio ».

[9] Cf. Leo XIII, Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum, A.S.S.* 20 (1887-1888), pp. 593-613;

Pius XII, Litt. Encycl. *Summi Pontificatus,* loc. cit., pp. 431-434; Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1942: *A.A.S.* 35 (1943), p. 19; Nuntius Radiophonicus,

24 dec. 1944: *A.A.S.* 37 (1945), pp. 21-22; Allocutio, 12 sept. 1948: *A.A.S.* 40 (1948), pp. 410-412.

[10] Cf. PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 24 dec. 1942: *A.A.S.* 35 (1943), pp. 13-15.

[11] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* loc. cit., p. 203: DENZ. 2266.

CAPUT 2

DE DOMINIO HUMANO ET PRIVATA PROPRIETATE

11. [*De dominio universali humano*]. Deus hominem ad imaginem suam creavit, eique dixit: « crescite et multiplicamini, et replete terram, et subiicite eam » (*Gen.* 1, 28; cf. *ibid.* 1, 27-30). Inde resultat irrationalem creaturam esse propter hominem,[1] ac proinde dominium bonorum temporalium esse ius naturale primarium, a Deo omnibus hominibus concessum, ut constanter docuerunt Sancti Patres.[2] Quod ius nullo pacto abolere fas est, quocumque titulo.[3]

12. [*De proprietate privata*]. At homo, cum actionum suarum sit ipse dominus, et seipsum gubernet providentia consilii sui, idcirco in sua potestate habet res eligere quas ad consulendum sibi, non modo in praesens, sed etiam in reliquum tempus, maxime iudicaverit esse idoneas.[4] Quod demonstrat homini ius competere proprietatis privatae, dominium, scilicet exclusivum et permanens in bona temporalia, non consumptionis tantum, sed et productionis.[5]

Ius etenim illud ita cum humanae personae dignitate connectitur, ut eius necessariam libertatem protegat, ad propriam perfectionem attingendam, ad officia erga Creatorem propria responsabilitate adimplenda, ad familiae suae providendum, ad finem religiosum ac moralem sibi a Deo impositum prosequendum.[6] Quod ius proprietatis privatae, non ab individuis tantum exercetur, sed etiam a communitatibus intermediis.

Hoc ius ab ipso Deo defensum videmus lege quam scripsit cum in cordibus nostris, tum in lapideis tabulis, et qua clare separatur alienum a proprio: « non furtum facies » (*Ex.* 20, 15). Quare idem ius continuo agnitum cernimus in Antiquo et Novo Foedere.[7]

13. [*Diffundenda proprietas privata*]. Parum est statuere, ius esse homini a natura datum, res nempe privatim ut suas possidendi, easque etiam quae ad bona gignenda valeant, nisi pariter omni contentione proprietas privata per omnes civium ordines propagetur. Quapropter vitam oeconomicam ita temperare conentur omnes, ut facilior fiat et quam latissime pateat aditus ad privatim possidenda bona, imprimis haud statim peritura, quippe quae etiam velut spatium vitale familiae constituunt.[8]

14. [*De munere sociali proprietatis privatae*]. Quia vero homo vi naturae suae in societate vivat oportet, vario quidem ligamine et gradu consociatus, et quia ius primordiale et universale rebus utendi cuique necessariis, suam

vim exercere non cessat, ideo ius proprietatis privatae finalitatem quoque socialem ex ipso ordine naturali continet, qua libertas cum debito ordine componitur, et usus bonorum ad communem utilitatem ordinatur.[9] Necessitatibus enim hominum, pro eorum statu et conditione, facilius, melius et abundantius subvenitur, cum ex divisione bonorum unicuique fas est proprium laboris campum artemque colere, et de fructu operosae activitatis recte pro suo prudenti iudicio disponere.

Consequenter homo res habeat non solum ut proprias, sed facile eas aliis communicet oportet in necessitate, ut monet Apostolus,[10] et Ecclesia continuo docuit.[11] Neque arbitrio relinquuntur illa bona quibus ad vitam convenienter atque decore sustentandam non eget dives, sed adhibenda sunt ut hominum necessitatibus subveniatur.

15. [*De mala distributione maloque usu dominiorum corrigendis*]. Ad auctoritatem civilem pertinet, si quando mala possessionum, praesertim fundorum, partitio grave detrimentum pubblicum afferat, aut paci sociali noceat, satagere ut earum usus communem utilitatem procuret, immo, si aliter provideri nequeat, dominia removere, convenienti compensatione soluta.[12]

De cetero quae supra dicta sunt minime prohibent quominus etiam civitates caeteraque publica instituta iure res possideant, etiam quae ad opes parandas pertineant; si praesertim tam magnum secum ferant potentatum, quantus privatis hominibus, salva re publica, permitti non possit.[13] Attamen, hac etiam in re subsidiarii officii principium omnino servandum est; scilicet tum tantum licere civitatibus ac publicis institutis dominii sui fines amplificare, cum manifesta ac vera communis boni necessitas id postulat.[14]

16. [*Conclusio*]. Ecclesia denique, dum proprietatis privatae principium proclamat, intendit ut illud ius, secundum divinae Sapientiae decreta, elementum fiat ordinis socialis, autonomae humanae activitatis praesuppositum, stimulus ad laborem, unitatis familiae tutela, publicae prosperitatis origo, clipeus denique dignitatis humanae personae, quam Deus ad suam imaginem condidit.[15]

NOTAE

[1] Cf. S. THOMAS, *Summ. Theol.,* I, 65, 2: « In partibus universi unaquaeque creatura est propter suum proprium actum, et perfectionem. Secundo autem creaturae ignobiliores sunt propter nobiliores: sicut creaturae quae sunt infra hominem, sunt propter hominem. Ulterius autem singulae creaturae sunt propter perfectionem totius universi. Ulterius autem totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum sicut in finem, in quantum in eis per quamdam imitationem divina Bonitas repraesentatur ad gloriam Dei: quamvis creaturae rationales speciali quodam modo supra hoc habeant finem Deum, quem attingere possunt sua operatione, cognoscendo et amando » (cf. II-II, 66, 1).

[2] S. BASILIUS CAES., *Homilia in divites,* 50, 7: *PG* 31, 276: « Cui, inquit dives, iniuriam facio, dum retineo mea? Quae, dic mihi, tua sunt? Unde accepta in vitam intulisti? Velut si quis, loco in theatro ad spectandum occupato, deinde ingredientes arceat id sui ipsius proprium ratus quod ad omnium communem

usum proponitur. Tales huiusmodi divites sunt. Nam communia praeoccupantes, ea ob praeoccupationem sibi assumunt... »;

RUFINUS, *Homilia 3 in Luc.*, 12, 8: *PG* 31, 1752: « Terra communiter omnibus hominibus data est: proprium nemo dicat quod e communi plus quam sufficeret sumptum, et violenter obtentum est »;

S. AMBROSIUS, *De Nabute Jezraelita,* 1, 2: *PL* 14, 731: « In commune omnibus divitibus atque pauperibus terra fundata est, cur vobis ius proprium soli, divites arrogatis? Nescit natura divites, quae omnes pauperes generat ». Cf. *ibid.,* 3, 11: *PL* 14, 734; et 12, 53: *PL* 14, 747;

ID., *In Psalm. 118,* Serm. 8, 22: *PL* 15, 1303: « Cum praesertim Dominus Deus noster terram hanc possessionem omnium hominum voluerit esse communem, et fructibus omnibus ministrare: sed avaritia possessionum iura distribuit »;

ID., *De officiis ministrorum,* I, 28, 132: *PL* 16, 62: « ... Natura enim omnia omnibus in commune profudit. Sic enim Deus generari iussit omnia ut pastus omnibus communis esset et terra foret omnium quaedam communis possessio. Natura igitur ius commune generavit, usurpatio ius fecit privatum »;

S. IOANNES CHRYS., *In Ep. I ad Timotheum,* cap. 4, 13, 4: *PG* 62, 562-563: « Quia (...) Deus a principio non illum divitem, illum pauperem fecit; neque cum crearet, huic quidem multos thesauros ostendit, illum vero hac investigatione privavit, sed eamdem omnibus colendam terram dimisit »;

S. GREGORIUS MAGNUS, *Pastor* 3, 21: *PL* 77, 87: « Cunctis hominibus terra communis est, et idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert. Incassatum ergo se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi privatum vindicant »;

S. ISIDORUS HISP., *Etymol.* 5, 4: *PL* 82, 199: « Ius naturale est commune omnium nationum... ut... communis omnium possessio ».

[3] PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 1 iunii 1941: *A.A.S.* 33 (1941), p. 199: « Ogni uomo, quale vivente dotato di ragione, ha infatti dalla natura il diritto fondamentale di usare dei beni materiali della terra, pur essendo lasciato alla volontà umana e alle forme giuridiche dei popoli di regolarne più particolarmente la pratica attuazione. Tale diritto individuale non può essere in nessun modo soppresso, neppure da altri diritti certi e pacifici sui beni materiali. Senza dubbio l'ordine naturale, derivante da Dio, richiede anche la proprietà privata. (...) Tutto ciò nondimeno rimane subordinato allo scopo naturale dei beni materiali, e non potrebbe rendersi indipendente dal diritto primo e fondamentale, che a tutti ne concede l'uso; ma piuttosto deve servire a farne possibile l'attuazione in conformità con il suo scopo ».

[4] LEO XIII, Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* 15 maii 1891: *A.S.S.* 23 (1890-1891), p. 643.

[5] ID., Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* ibid.: « Et ob hanc causam quod solum hoc animal est rationis particeps, bona homini tribuere necesse est non utenda solum, quod est omnium animantium commune, sed stabili perpetuoque iure possidenda, neque ea dumtaxat quae usu consumuntur, sed etiam quae, nobis utentibus, permanent.

« (...) Ex quo consequitur ut in homine esse non modo terrenorum fructuum, sed ipsius terrae dominatum oporteat, quia terrae fetu sibi res suppeditari videt ad futurum tempus necessarias ».

[6] PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 1 iunii 1941: *A.A.S.* 33 (1941), pp. 199-200: « Il diritto originario sull'uso dei beni materiali, per essere in intima con-

nessione con la dignità e con gli altri diritti della persona umana, offre ad esse con le forme sopra indicate una base materiale sicura, di somma importanza per elevarsi al compimento dei suoi doveri morali. La tutela di questo diritto assicurerà la dignità personale dell'uomo, e gli agevolerà l'attendere ed il soddisfare in giusta libertà a quella somma di stabili obbligazioni e decisioni di cui è direttamente responsabile verso il suo Creatore »;

IOANNES XXIII, Litt Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.* 53 (1961), p. 427: « ... Ius privati dominii, etiam quod ad res attinet gignendis bonis tributas, per omne tempus valet, utpote quod in ipsa contineatur rerum natura, qua docemur singulares homines priores esse civili societate, atque adeo civilem societatem ad hominem tamquam ad terminum dirigi oportere. Ceterum nequiquam privatis hominibus ius agendi cum libertate in re oeconomica agnoscitur, nisi ipsis pariter facultas permittitur libere deligendi adhibendique res ad illud ius exercendum necessarias »;

Ibid., p. 428: « (...) Mirum est respui a quibusdam indolem iuris dominii naturalem; iuris dominii dicimus, quod ex laboris feracitate perpetuo vim et virtutem suam ducit; quod deinde tam efficaciter ad humanae dignitatem personae tuendam, et ad liberam sui cuiusvis muneris perfunctionem in omnibus navitatis campis adiuvat; quod postremo domestici convictus compaginem tranquillitatemque confirmat, non sine pacis et prosperitatis in re publica incremento ».

[7] Cf. *Gen.* 23, 17-18 (Abraham emit terram ad Saram sepeliendam): « Confirmatusque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mambre, tam ipse quam spelunca, et omnes arbores eius (...) per circuitum, Abrahae in possessionem, videntibus filiis Heth, et cunctis qui intrabant portam civitatis illius »; *Lev.* 25, 23-24 (de anno sabbatico): « Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, et vos advenae et coloni mei estis. Unde cuncta regio possessionis vestrae sub redemptionis conditione vendetur »; *Exod.* 22, 1-15: leges diversae de proprietate; *Act.* 4, 32 et 5, 4.

[8] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* loc. cit., p. 428. Cf. etiam:

PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno,* 15 maii 1931: A.A.S. 23 (1931), p. 196: « Iam vero non omnis rerum opumve distributio inter homines apta est, per quam finis a Deo intentus aut omnino aut ea qua par est perfectione obtineatur. Quamobrem divitiae, quae per incrementa oeconomico-socialia iugiter amplificantur, singulis personis et hominum classibus ita attribuantur oportet, ut salva sit illa, quam Leo XIII laudat communis omnium utilitas, seu, aliis verbis, ut immune servetur societatis universae commune bonum. Hac iustitiae socialis lege, altera classis alteram ab emolumentorum participatione excludere vetatur »;

ID., Litt. Encycl. *Divini Redemptoris,* 19 martii 1937: *A.A.S.* 29 (1937), pp. 89-90: « Cum hic innumeram egentium turbam cernimus, qui variis de causis, quae non ex iisdem pendeant, summa egestate opprimuntur, illic vero tot videmus homines, qui, nulla moderatione adhibita, et voluptatibus indulgent, et in res prorsus inutiles ingentes sumptus impendunt, tum facere non possumus quin magno cum animi dolore fateamur, neque probe omnes observare iustitiam, nec funditus intelligere quid christianae caritatis praeceptum postulet, ut in cotidianae vitae usum inducatur »;

PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 1 iunii 1941: *A.A.S.* 33 (1941), pp. 200-201: « La ricchezza economica di un popolo non consiste propriamente nell'abbondanza dei beni, misurata secondo un computo puro e pretto materiale del loro

valore, bensì in ciò che tale abbondanza rappresenti e porga realmente ed efficacemente la base materiale bastevole al debito sviluppo personale dei suoi membri. Se una simile giusta distribuzione dei beni non fosse attuata o venisse procurata solo imperfettamente, non si raggiungerebbe il vero scopo dell'economia nazionale; giacchè, per quanto soccorresse una fortunata abbondanza di beni disponibili, il popolo, non chiamato a parteciparne, non sarebbe economicamente ricco, ma povero »;

Id., Nuntius Radiophonicus in Natali Domini, 24 decembris 1942: *A.A.S.* 35 (1943), p. 17: « La dignità della persona umana esige (dunque) normalmente come fondamento naturale per vivere il diritto all'uso dei beni della terra; a cui risponde l'obbligo fondamentale di accordare una proprietà privata, possibilmente a tutti »; *ibid.*, p. 20: « (...) La Chiesa non esita a dedurre le conseguenze pratiche, derivanti dalla nobiltà morale del lavoro, e ad appoggiarle con tutto il nome della sua autorità. Queste esigenze comprendono, oltre ad un salario giusto, sufficiente alle necessità dell'operaio e della famiglia, la conservazione ed il perfezionamento di un ordine sociale, che renda possibile una sicura, se pur modesta proprietà privata a tutti i ceti del popolo... »;

Id., Nuntius Radiophonicus, 1 septembris 1944: *A.A.S.* 36 (1944), p. 252: « Le coscienza cristiana non può ammettere come giusto un ordinamento sociale che o nega in massima o rende praticamente impossibile o vano il diritto naturale di proprietà, così sui beni di consumo come sui mezzi di produzione.

« Ma essa non può nemmeno accettare quei sistemi, che riconoscono il diritto della proprietà secondo un concetto del tutto falso, e sono quindi in contrasto col vero e sano ordine sociale »;

Id., Nuntius Radiophonicus christifidelibus operariis Hispaniae, 11 martii 1951: *A.A.S.* 43 (1951), pp. 214-215: « La Iglesia defiende el derecho a la propiedad privada, derecho que ella considera fondamentalmente intangible. Pero también insiste en la necesidad de una distribución más justa de la propriedad y denuncia lo que hay de contrario a la naturaleza en una situación social donde, frente a un pequeño grupo de privilegiados y riquísimos, hay una enorme masa popular empobrecida (...). Todos los que de algún modo pueden influir en la marcha de la sociedad deben tender siempre a conseguir una situación tal, que permita a quantos hacen lo que está en su mano, no sólo el vivir, sino aun el ahorrar ».

[9] Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* loc. cit., p. 430: « Decessores Nostri illud etiam nullo non tempore docuerunt, in privati dominii iure penitus munus inesse sociale. Re enim vera, ex Dei Creatoris consilio, cunctorum bonorum copia omnium hominum vitae honeste degendae in primis attribuitur (...).

Quamvis nostro hoc tempore valde processerint atque magis magisque augescant partes civitati publicisque institutis concreditae, ex hoc tamen nullo pacto conficiendum est, obsolevisse socialem privati dominii rationem, ut quorumdam ferre videtur opinio; nam hoc sociale munus ex ipso dominii iure suam petit virtutem ».

Cf. Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* loc. cit., p. 644: « Ceterum utcumque inter privatos distributa, inservire communi omnium utilitati terra non cessat, quoniam nemo est mortalium, quin alatur eo, quod agri efferunt »; *Quadragesimo anno,* loc. cit., pp. 191-192: « (...) Pro comperto et explorato habeatur neque Leonem neque eos qui, Ecclesia duce et magistra, docuere theologos, negasse umquam vel in dubium vocasse duplicem dominii rationem, quam individualem vocant et socialem, prout singulos respicit vel ad bonum spectat commune; sed semper uno ore affir-

masse a natura seu a Creatore ipso ius dominii privati hominibus esse tributum, cum ut sibi familiaeque singuli providere possint, tum ut, huius instituti ope, bona, quae Creator universae hominum familiae destinavit, huic fini vere inserviant, quae omnia obtineri nullo modo possunt nisi certo et determinato ordine servato ».

[10] *Eph.* 6, 9: « Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas; scientes quia et illorum, et vester Dominus est in coelis: et personarum acceptio non est apud eum »; *II Cor.* 8, 14-15: « In praesenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat: ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum, ut fiat aequalitas, sicut scriptum est: Qui multum non abundavit, et qui modicum, non minoravit »; *I Tim.* 6, 17-19: « Divitibus huius saeculi praecipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam ». Cf. etiam *Act.* 2, 44-45 et 4, 32-35.

[11] *Mat.* 6, 19-20: « Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt, et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur »; *ibid.*, 25, 40: « Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis ». Cf. etiam:

HUGO FERRARIENSIS, *Summa,* ad prolog. Decretal.: « Iure naturae omnia sunt communia, id est tempore necessitatis indigentibus communicanda »;

GULIELMUS ANTISSIODORENSIS, *Summa aurea* III, 8, 1, 5: « in extrema necessitate omnia sunt communia »;

ALEXANDER HALENSIS, *Quaes. de eleemosyna,* 11;

S. BONAVENTURA, *in III Sent.* D. 39, 1, 2: « furtum non est malum, nisi propter rerum appropriationem; extrema autem necessitas omnia facit communia »;

S. ALBERTUS MAGNUS, *Summa de bono,* 5, 1, 3; cf. *In III Sent.,* 33, 3: « Secundum ius naturale, in necessitate omnia sunt communia »;

S. THOMAS, *In Sent.* IV, D. 15, 2, 1; *In Ethic.* 5, 1, 13; *Summa Theol.* II-II, 66, 2: « Non debet homo habere res exteriores ut proprias, sed ut communes, ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum »;

Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* loc. cit., p. 651: « (...) Ubi necessitati satis et decoro datum, officium est de eo quod superat gratificari indigentibus »; p. 652: « Quarum rerum haec summa est: quicumque maiorem copiam bonorum Dei munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc causam accepisse, ut ad perfectionem sui pariterque, velut minister providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum »;

Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* loc. cit., p. 194: « Neque omnimodo hominis arbitrio reditus eius liberi relinquuntur; ii scilicet quibus ad vitam convenienter atque decore sustentandam non eget: quin immo gravissimo divites teneri praecepto eleemosynae, beneficentiae, magnificentiaeque exercendae, Sacra Scriptura Sanctique Ecclesiae Patres apertissimis verbis assidue denuntiant.

« Largiores autem impendere proventus, ut quaestuosae operae commoditas abunde fiat, modo ea opera ad bona vere utilia comparanda insumatur, illustre ac temporum necessitatibus apprime aptum opus virtutis magnificentiae esse censendum, ex Angelici Doctoris principiis argumentando colligimus ».

[12] Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* loc. cit., p. 193: « Officia vero haec singillatim definire, ubi id necessitas postulaverit neque ipsa lex naturalis praestiterit,

eorum est qui reipublicae praesunt. Quapropter id, considerata boni communis vera necessitate, eis qui possident liceat, quid illicitum sit in suorum bonorum usu, publica auctoritas, lege naturali et divina semper praelucente, sciscere potest accuratius. (...) Reipublicae tamen suo munere pro arbitrio fungi non licere in aperto est. Semper enim ipsum naturale ius et possidendi privatim et haereditate transmittendi bona intactum inviolatumque maneat oportet »;

Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 1 septembris 1944: *A.A.S.* 36 (1944), p. 254: « Quando la distribuzione della proprietà è un ostacolo a questo fine — ciò che non necessariamente nè sempre è originato dalla estensione del patrimonio privato — lo Stato può nell'interesse comune intervenire per regolarne l'uso, od anche, se non si può equamente provvedere in altro modo, decretare la espropriazione, dando una conveniente indennità »;

Id., Allocutio ad ACLI, 11 martii 1945: *A.A.S.* 37 (1945), p. 71: « Le Associazioni cristiane assentono alla socializzazione soltanto nei casi in cui apparisce realmente richiesta dal bene comune, vale a dire come l'unico mezzo veramente efficace per rimediare a un abuso o per evitare uno sperpero delle forze produttive del paese, e per assicurare l'organico ordinamento di queste medesime forze e dirigerle a vantaggio degli interessi economici della nazione... »;

Id., Allocutio ad agricultores Confoederationis Italicae, 15 novembris 1946: *A.A.S.* 38 (1946), p. 434: « (...) Il terreno ha bisogno, in molte regioni (...) di accurati e ponderati provvedimenti preliminari, prima che si possa attuare una riforma delle condizioni della proprietà e dei rapporti contrattuali. Senza di questo (...) una tale riforma si ridurrebbe ad essere una pura demagogia... »;

Id., Allocutio Conventui internationali catholicorum, ad dignam ruricolarum vitae conditionem promovendam, 2 iulii 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 556: « Nous pensons ici d'abord à l'exploitation paysanne, à l'exploitation familiale (...). Cela ne revient pas à nier l'utilité, souvent la nécessité, d'exploitations agraire plus vastes ».

[13] Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* loc. cit., p. 214; *Mater et Magistra,* loc. cit., p. 429.

[14] Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* ibid.; cf. *Quadragesimo anno*, loc. cit., p. 203; cf. etiam:

Pius XII, Allocutio ad ACLI, supra citata;

Id., Epist. ad E. V. Carolum Flory, 10 iulii 1946: *A.A.S.* 38 (1946), p. 317: « Il est pourtant évident que, au lieu d'atténuer le caractère mécanique de la vie et du travail en commun, cette nationalisation, même quand elle est licite, risque plutôt de l'accentuer encore, et que, par conséquent, le profit qu'elle apporte au bénéfice d'une vraie communauté, telle que vous l'entendez, est fort sujet à caution ».

Id., Allocutio ad Uniapac., 7 maii 1949: *A.A.S.* 41 (1949), pp. 284-285: « (...) Pour le moment, la faveur va de préférence à l'étatisation et à la nationalisation des entreprises. Il n'est pas douteux que l'Eglise aussi — dans certaines justes limites — admet l'étatisation et juge " que l'on peut légitimement réserver aux pouvoirs publics certaines catégories de biens, ceux-là qui présentent une telle puissance, qu'on ne saurait, sans mettre en péril le bien commun, les abandonner aux mains des particuliers " (cf. *Quadragesimo anno,* loc. cit., p. 214). Mais faire de cette étatisation comme la règle normale de l'organisation publique de l'économie serait renverser l'ordre des choses ».

[15] Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 1 septembris 1944: *A.A.S.* 36 (1944),

p. 253: « Difendendo dunque il principio della proprietà privata, (...) la Chiesa mira piuttosto a far sì che l'istituto della proprietà privata sia tale quale deve essere secondo i disegni della sapienza divina e le disposizioni della natura: un elemento dell'ordine sociale, un necessario presupposto delle iniziative umane, un impulso al lavoro a vantaggio dei fini temporali e transcendenti della vita, e quindi della libertà e della dignità dell'uomo, creato ad immagine di Dio, che fin dal principio gli assegnò a sua utilità un dominio sulle cose materiali ».

Caput 3

DE INDOLE LABORIS HUMANI

17. [*De natura et dignitate laboris*]. S. Synodus solemniter profitetur humanum laborem cuiuscumque generis, ut sit vere homine dignus, vere spiritualem indolem induere debere, utpote qui ab humana persona immediate procedat. Proinde labor humanus individualem semper et socialem rationem prae se fert.[1] Docet insuper laborem humanum intelligendum atque in praxim deducendum esse ut munus ad divinae creationis opus complendum, ut eo mediante homo dominium in universum mundum pro omnium utilitate exerceat secundum illud « replete terram et subiicite eam » (*Gen.* 1, 27).[2] Immo si Christifideles cum Sanctissimo Redemptore coniunguntur, eorum labor ex Iesu Christi labore vim trahit in bonum totius humanitatis et Ecclesiae, et in maiorem Dei laudem vertitur, dicente Apostolo: « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi gratias agentes Deo et Patri per Ipsum » (*Col.* 3, 17). Hinc etiam fit ut Evangelii fermentum civilis societatis venas uberius pervadat, maxime si Christifideles omnes laborem proprium per oblationem cotidie Deo factam magis nobilitent atque ad superna evehant.[3]

18. [*De officio et iure laborandi*]. S. Synodus pariter proclamat universalem obligationem manibus vel intellectu operandi, ad perfectionem personalem attingendam et ad officia erga societatem adimplenda. Praesertim autem urgentur personale officium et naturale ius laborandi, quando homines suum familiaeque victum cultumque ex labore veluti ab unico capite sumunt.[4]

Ius laborandi postulat ut singuli homines suam professionem et eligere et exercere libere possint quoad locum et quoad modum, necnon relationes ad laborem pertinentes proprio consensu moderari valeant; item exigit ut laborandi opportunitas quam plurimis pro posse comparetur et servetur, coetuum omnium et singulorum solidali cooperatione, etiam opportunis remediis a publica potestate adhibitis.[5]

19. [*De conditionibus in ipso actu laboris*]. In ipso loco ubi labor praestatur ratio habeatur valetudinis, bonorum animi atque religionis, ne humanae personae dignitas labefactetur sive ad corpus quod spectat, sive ad animum. In quotidiano autem labore ordinando, cavendum est ne plus requiratur quam vires, aetas, sexus, status familiaris uniuscuiusque sinant,

ratione habita methodi adhibitae horarumque continuitatis in bonis externis producendis, et naturae loci in quo labor efficitur.[6]

20. [*De individuali formatione laborantium*]. Labor etiam humilis in se valde honorificus est. Nemo proinde suae conditionis erubescat. Attamen naturae humanae consentaneum est, ad altiorem ordinem per activitatem propriam appetere. Ad dignitatem vero laboris in praxim deducendam valde confert ut omnibus praebeatur cum opportunitas laborandi secundum inclinationes sibi proprias, tum possibilitas artis peritiam acquirendi.[7]

In professione quoque genereque laboris seligendis, iuvenes rationem habeant, in quantum fieri poterit, propriae aptitudinis a Deo concessae, necnon conditionis tum personalis tum socialis in qua degunt; iis vero qui maioribus capacitatibus gaudent praebeatur occasio, ut per studia ulteriora altiores labores appetant.

21. [*De relationibus in unitate productionis deque laboris dependentis positione*]. In productionis unitatibus, disciplina et apparatus ne adhibeantur quibus laborantium vel dignitas humana in discrimen adducatur, vel reddendae rationis sensus debilitetur, vel iidem sua sponte agendi facultate priventur. Sita enim in ipsius hominis natura necessitas est, ut qui aliquid operando efficiat, eidem liceat conscientiam et responsabilitatem propriam exercere et seipsum operam dando perficere.

Quae inter operarum conductores vel moderatores et eiusdem societatis operarios intercedunt rationes, ad mutuum obsequium, existimationem et benevolentiam conformentur, ut omnes simul ad commune opus sincere conspirent. Opportune audiantur opificum optata eorumque socia advocetur opera ad negotia expedienda societatisque incrementum quod attinet, salva necessaria et efficiente auctoritate in unitate productionis.[8]

NOTAE

[1] Leo XIII, Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* 15 maii 1891: *A.S.S.* 23 (1890-1891), p. 662: « Itaque duas velut notas habet in homine labor natura insitas, nimirum ut personalis sit, quia vis agens adhaeret personae, atque eius omnino est propria, a quo exercetur, et cuius est utilitati nata... »;

Pius XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* 15 maii 1931: *A.A.S.* 23 (1931), pp. 199-200: « ... operae, eius praecipue quae alteri locatur, praeter personalem seu individualem, socialem quoque rationem esse considerandam liquido deprehenditur: nisi enim corpus vere sociale et organicum constet, nisi socialis et iuridicus ordo operae exercitium tueatur, nisi variae artes, quarum aliae ab aliis dependent, inter se conspirent ac mutuo compleant, nisi, quod maius est, consocientur ac quasi in unum conveniant intellectus, res, opera, nequit fructus suos gignere efficientia hominum. Haec ergo nec iuste aestimari neque ad aequalitatem rependi poterit, eius natura sociali et individuali posthabita »;

Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 25 decembris 1942: *A.A.S.* 35 (1943), p. 20: « Chi vuole che la stella della pace spunti e resti sulla società, dia al lavoro il posto da Dio assegnatogli fin dal principio. Come mezzo indispensabile al domi-

nio del mondo, voluto da Dio per la sua gloria, ogni lavoro possiede una dignità inalienabile, e in pari tempo un intimo legame col perfezionamento della persona »;

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.* 53 (1961), p. 405: « ... hunc nullo modo posse pro merce quapiam duci, utpote qui ab humana persona proxime procedat »; *Ibid.,* pp. 413-414: « ... privatae singularium hominum industriae, qui quidem vel soli agant, vel cum aliis multiplici ratione consocientur, ad communia commoda sibi comparanda »; *Ibid.,* p. 424: « ... flagitat insuper ut omnes... operam, quam ponunt, non eo tantum consilio ponant, ut inde lucrum faciant, verum etiam ut munus sibi creditum exsequantur, et officium praestent, quod ad aliorum etiam utilitatem conducat »; *Ibid.,* p. 427: « Quod quidem plane congruit cum nativa laboris indole, qui, cum a persona humana proxime procedat, anteferendus est externorum bonorum copiae, quae suapte natura instrumentorum loco habenda sunt: idque progredientis humanitatis indicium profecto est ».

[2] Cf. etiam: *Gen.* 2, 15: « Posuit Dominus Deus hominem quem formaverat in paradisum voluptatis ut operaretur illum... »; *Gen* 3, 17: « Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitae tuae »; *Col.* 3, 17: « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per Ipsum »; *Col.* 3, 23-24: « Quodcumque facitis ex animo operamini sicut Domino et non hominibus, scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis. Domino Christo servite »; *Col.* 1, 10-14: « Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes; in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei; in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius in omni patientia et longanimitate cum gaudio; ... transtulit in regnum Filii Dilectionis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum »; *II Tim.* 2, 12: « Si sustinebimus, et conregnabimus »; *I Cor.* 10, 31: « Sive ergo manducatis sive bibitis sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite ».

[3] PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iunii 1943: *A.A.S.* 35 (1943), p. 213: « Attamen hoc quoque retinendum est... Christum nempe requirere membra sua... Ac praeterea Servator noster... a mystici vult sui Corporis membris adiuvari in exsequendo Redemptionis opere... ubi de eiusmodi thesauro distribuendo agitur, id efficiendae sanctitatis opus non modo cum intaminata sua Sponsa communicat, sed ex eius etiam opera vult quodammodo oriri... multorum nempe salutem a mystici Iesu Christi Corporis membrorum precibus voluntariisque afflictationibus, ab iisdem hac de causa susceptis, pendere, et ab adiutrice Pastorum ac fidelium, imprimisque patrum matrumque familias opera, quam iidem divino Servatori nostro quasi sociam praestare debeant »;

Ibid., p. 245: « Quamvis enim Servator noster per acerbos cruciatus acerbamque mortem infinitum prorsus gratiarum thesaurum Ecclesiae suae meruerit, ... maior vel minor ubertas haud parum a nostris quoque pendet recte factis, quibus eiusmodi caelestium donorum imber, sponte a Deo datus, super hominum attrahatur animos. Qui quidem caelestium gratiarum imber uberrimus profecto erit, si ... denique praesentis huius vitae labores doloresque veluti e Dei manibus demisso animo suscipiemus. Ita enim, secundum Apostolum " adimplebimus ea, quae desunt passionum Christi, in carne nostra, pro Corpore eius, quod est Ecclesia » (cf. *Col.* 1, 24) »;

Ibid., p. 246: « ... multum profecto multumque confert cotidiana sui ipsius Deo oblata devotio... »;

Pius XII, Alloc. in solemnitate S. Ioseph Opificis instituenda: *A.A.S.* 48 (1956), pp. 230-231: « Ab hoc enim exemplo (S. Ioseph), qui operosas exercent artes discere debent qua ratione et quo spiritu sua munia expleant, ut pariter primo Dei obsequendo praecepto, terram subiciant atque oeconomicae prosperitati consulant, ac simul aeternae vitae praemia consequantur »;

Litt. Encycl. *Mater et Magistra*: loc. cit., pp. 460-461: « Quam ad rem, ut iam diximus, Ecclesia praesertim laicorum hominum adiutricem operam poscit, qui hanc ob causam in humanis expediendis negotiis ita industriam suam insumere tenentur, ut dum in alios conferunt officia, id, cum Deo per Christum animo coniuncti, faciant, ipsiusque Dei gloriae augendae causa faciant... »; cf. *ibid.,* p. 462.

[4] Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* loc. cit., p. 662: « Itaque duas velut notas habet in homine labor natura insitas, nimirum ut personalis sit... deinde ut sit necessarius, ob hanc causam, quod fructus laborum est homini opus ad vitam tuendam »;

Pius XII, Nuntius Radiophonicus, 1 iunii 1941: *A.A.S.* 33 (1941), p. 201: « Al dovere personale del lavoro imposto dalla natura corrisponde e consegue il diritto naturale di ciascun individuo a fare del lavoro il mezzo per provvedere alla vita propria e dei figli: tanto altamente è ordinato per la conservazione dell'uomo l'impero della natura.

« Ma notate che tale dovere e il relativo diritto al lavoro viene imposto e concesso all'individuo in primo appello dalla natura, e non già dalla società, come se l'uomo altro non fosse che un semplice servo o funzionario della comunità. Dal che segue che il dovere e il diritto a organizzare il lavoro del popolo appartengono innanzi tutto agli immediati interessati; datori di lavoro e operai. Che se poi essi non adempiano il loro compito o ciò non possano fare per speciali straordinarie contingenze, allora rientra nell'ufficio dello Stato l'intervenire nel campo e nella divisione e nella distribuzione del lavoro, secondo la forma e la misura che richiede il bene comune rettamente inteso »;

Id., Nuntius Radiophonicus, 24 decembris 1942: *A.A.S.* 35 (1943), p. 19: « ... sostenga il rispetto e la pratica attuazione dei seguenti fondamentali diritti della persona: ... il diritto di lavorare come mezzo indispensabile al mantenimento della vita familiare »;

Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* loc. cit., p. 405: « Nam cum ex eo (labore), veluti ab unico capite, plerique hominum sumant suum victum cultumque... »; p. 411: « De labore autem, Pius XII ea iterans quae in Leonianis Litteris insunt, docet eum loco officii simul et iuris esse habendum, quoad singulos homines »; p. 415: « At semper illud maneat, publicarum auctoritatum providentiam de re oeconomica, etiamsi late pateat... eiusmodi tamen esse oportere, ut privatorum libertatem in agendo, non solum non coerceat, sed etiam augeat, modo praecipua cuiusvis humanae personae iura sarta tecta serventur. In quorum numero illud est ponendum, ut ad singulares homines ius et officium ex norma pertineat suam suorumque vitam sustentandi ».

[5] Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* loc. cit., p. 201: « ... sed aliud praetereundum non est vix minoris momenti, nostrisque temporibus apprime necessarium, ut iis nempe, qui laborare et valent et volunt, laborandi opportunitas praebeatur »;

Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* loc. cit., p. 414: « Sane, quod facile est pervidere, recentiora doctrinarum incrementa opumque augendarum provectiores rationes id efficiunt, ut, multo magis quam antea, in civitatis moderatorum potestate sit, tum... tum denique efficacia praebere remedia, ne contingat, ut hominum ingentes multitudines ab opere vacare cogantur. Quare a publicae rei moderatoribus, quorum est communi bono consulere, etiam atque etiam postulatur, ut multiplicem in rem oeconomicam impendant, operam »; p. 421: « Quarum rerum si altera spectetur, ad communem civitatis utilitatem haec pertinere putanda sunt: opifices quam plurimos in operas mittere ».

[6] Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* loc. cit., p. 649: « Non habendos mancipiorum loco opifices: vereri in eis aequum esse dignitatem personae, utique nobilitatam ab eo, character christianus qui dicitur. Quaestuosae artes, si naturae ratio, si christiana philosophiae audiatur, non pudori homini esse, sed decori, quia vitae sustentandae praebent honestam potestatem. Illud vere turpe et inhumanum, abuti hominibus pro rebus ad quaestum, nec facere eos pluris, quam quantum nervis polleant viribusque. Similiter praecipitur, religionis et bonorum animi haberi rationem in proletariis oportere. Quare dominorum partes esse, efficere ut idoneo temporis spatio pietati vacet opifex: non hominem dare obvium lenociniis corruptelarum illecebrisque peccandi: neque ullo pacto a cura domestica parsimoniaeque studio abducere. Item non plus imponere operis, quam vires ferre queant, nec id genus, quod cum aetate sexuque dissideat »;

Ibid., pp. 660-661: « Quod ad tutelam bonorum corporis et externorum, primum omnium eripere miseros opifices e saevitia oportet hominum cupidorum, personis pro rebus ad quaestum intemperanter abutentium. Scilicet tantum exigi operis, ut hebescat animus labore nimio, unaque corpus defatigationi succumbat, non iustitia, non humanitas patitur. In homine, sicut omnis natura sua, ita et vis efficiens certis est circumscripta finibus, extra quos egredi non potest. Acuitur illa quidem exercitatione atque usu, sed hac tamen lege ut agere intermittat identidem et acquiescat. De quotidiano igitur opere videndum ne in plures extrahatur horas, quam vires sinant... Denique quod facere enitique vir adulta aetate beneque validus potest, id a femina puerove non est aequum postulare. Immo de pueris valde cavendum, ne prius officia capiat, quam corpus, ingenium, animum satis firmaverit aetas... Sic certa quaedam artificia minus apte conveniunt in feminas ad opera domestica natas; quae quidem opera et tuentur magnopere in muliebri genere decus, et liberorum institutioni prosperitatique familiae natura respondent »;

Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* loc. cit., p. 404: « ... in iis plerumque rerum condicionibus proletarii operam cogebantur impendere, in quibus et valetudini suae, et integritati morum, et religiosae fidei insidiae parabantur; in quas autem condiciones pueri et mulieres opus facientes vocabantur, eae saepenumero inhumanae habendae »; p. 406: « ... ut simul, ubi impendantur operae, ibi ne labefactetur, neque quantum ad corpus, neque quantum ad animum, humanae personae dignitas ».

[7] Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* loc. cit., p. 657: « Sane sociale bonum cum debeat esse huiusmodi, ut homines eius fiant adeptione meliores, est profecto in virtute praecipue collocandum. Nihilominus ad bene constitutam civitatem suppeditatio quoque pertinet bonorum corporis atque externorum... Unde consequitur, favendum rebus omnibus esse quae conditioni opificum quoquo modo, videantur profuturae »;

PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 24 decembris 1942: *A.A.S.* 35 (1943), p. 20: « ... favorisca una formazione superiore per i figli delle classi operaie particolarmente dotati di intelligenza e di buon volere »;

Litt. Encycl. *Mater et Magistra, loc. cit.,* p. 427: « Contingit quoque nostris diebus, ut homines potius alicuius artis peritiam quam rerum possessionem excupiant; iidemque pluris faciant reditus, qui ex labore vel ex iuribus cum labore coniunctis oriantur, quam reditus, qui ex pecuniarum capite vel ex iuribus cum hoc coniunctis exsistant ».

[8] PIUS XII, Alloc. Adscriptis Sodalitati catholicae ex Operariis Italicis, 14 maii 1953: *A.A.S.* 45 (1953), p. 405: « Tuttavia nella *Rerum Novarum* non solamente la restaurazione dell'Ordine sociale nel mondo è intimamente congiunta col fine trascendente dell'uomo, ma anche la riforma delle reciproche relazioni fra le persone dedite all'attività economica, la cura dei rapporti umani quotidiani e concreti fra datori di lavoro ed operai, fra capi e dipendenti nelle imprese »;

ID., Ex Actis Pii Pp. XII in Solemnitate S. Ioseph instituenda: *A.A.S.* 48 (1956), p. 230: « ... ut opifices christiana doctrina rite imbuti... moralem ordinem a Deo praestitutum, quem Ecclesia pandit atque interpretatur, de opificum iuribus atque officiis, probe noscant, reique gerendae participes effecti, eiusdem procurationi efficaciter adlaborent »;

Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* loc. cit., pp. 421-422: « Sed ad iustitiae praecepta, non modo conformanda est ratio, qua bona labore quaesita partiuntur, verum etiam earum rerum condiciones, in quibus homines eadem efficiunt bona. Sita enim in ipsius hominis natura necessitas est, ut qui aliquid operando efficiat, eidem liceat et gerendarum rerum praestare rationem, et seipsum operam dando perficere »; p. 423: « Praeterea, haud secus atque Decessores Nostri, persuasum habemus, opifices merito expetere, ut in partem vocentur vitae societatis bonis procreandis, cui addicti sint et in qua suam ponant operam »; p. 423: « Quas partes, quales esse oporteat, decerni certis definitisque regulis non opinamur posse, cum id potius ex singularum societatum bonis gignendis statu sit constituendum; qui nempe tantum abest ut sit idem omnibus, ut saepe in una eademque societate penitus ac repente commutetur »; p. 424: « Commemorandum denique est, quae graviora usque munera in variis societatibus bonis gignendis hodie opificibus deferri optantur, ea non solum cum hominis natura apte componi, sed etiam cum oeconomicis, socialibus ac civilibus progredientis aetatis rationibus omnino congruere »; pp. 423-424: « Hoc vero flagitat, ut mutuae quae operarum conductoribus ac moderatoribus cum eiusdem societatis operariis intercedunt rationes, ad mutuum obsequium, ad existimationem et benevolentiam conformentur; flagitat insuper, ut omnes, tamquam ad commune opus, sincera praesentique virium concordia conspirent... »; p. 424: « Quo fit ut, ad negotia expedienda societatisque incrementum quod attinet, opportune admodum audiantur opificum optata eorumque socia advocetur opera. Haec namque praeclare Decessor Noster f. r. Pius XII monebat: " Partes, quas in rebus oeconomicis atque socialibus unusquisque appetit, vetant quominus singulorum industria alieno arbitrio prorsus regatur ". Nemo sane dubitat quin societas, quae hominis dignitati apprime consulat, tueri quidem debeat necessariam efficientemque sui regiminis unitatem; sed exinde nullo modo sequitur, ut qui in eam cotidie suam conferant operam, ii solummodo administrorum loco ducantur, ad iussa tacite exsequenda natorum, quibus optata sua rerumque usum interponere non liceat, sed inertes se gerere debeant, cum de ipsorum locanda moderandaque opera consilia sint capienda ».

Insuper documenta pontificia de sic dicto « contractu societatis » agunt. Ita v. g.: Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* loc. cit., p. 199; PIUS XII, Nuntius Radiophonicus, 1 septembris 1944: *A.A.S.* 36 (1944), p. 254; ID., Alloc., 7 maii 1949: *A.A.S.* 41 (1949), p. 285; ID., Alloc., 3 iunii 1950: *A.A.S.* 42 (1950), p. 487; Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* loc. cit., pp. 422, 423.

CAPUT 4

DE IUSTA LABORIS REMUNERATIONE

22. [*Criteria retributionis iustae*]. Sacrum Concilium proclamat fas non esse mercedis modum et mensuram liberae competitorum aemulationi prorsus relinquere, neque licere eadem statui ad arbitrium eorum qui maiori gaudent potestate oeconomica; sed hac in re iustitiae et aequitatis normas omnino esse servandas.[1]

In statuendo autem iusto salario veluti criteria prae oculis habeatur oportet tum quantum singulus quisque ad bona gignenda conferat, tum quae necessario requirantur ad vitam homine dignam degendam, tum qualis sit conditio oeconomica coeptus cui opifex suam locat operam. Haud aliter ratio habenda est tam boni communis civitatis, praesertim ad locandas universas operas quod attinet, quam boni communis cunctarum gentium.[2]

Huiusmodi normae omni tempore et ubique locorum valent, congrua ratione habita opum, quae praesto sunt; quae nimirum opes penes varios populos copia et natura differre possunt et reapse differunt, atque etiam in eadem saepe natione pro mutatis temporibus mutantur.[3]

23. [*De relatione inter oeconomicum incrementum et rei socialis progressum*]. Iustitia socialis postulat, ut ad rei oeconomicae incrementa semper rei socialis incrementa simul adiungantur simul accommodentur; ita quidem, ut ex aucta divitiarum copia in republica omnes prorsus civium ordines aequa percipiant emolumenta. Ad haec, vigilandum est atque omnibus viribus enitendum ut, quae discrepantiae inter civium classes ob rerum inaequalitatem intercedant, eae adeo non augeantur, ut, quantum fieri potest, imminuantur.[4]

24. [*De praevidentiae et securitatis institutis*]. Iustitia socialis pariter postulat ut, respectu habito ad responsabilitatem personalem et familiarem, praevidentiae et securitatis socialis instituta erigantur in quibus iura fundamentalia humanae personae tueantur.

25. [*De operistitio et iuridicis formis conciliationis*]. Ad controversias sive individuales sive collectivas laboris solvendas, et iustitiam obtinendam vel restaurandam, quaelibet media pacifica compositionis disponibilia sunt ante omnia adhibenda; quibus deficientibus, vel frustra tentatis, operistitium et cessatio laboris fiunt ultimus recursus possibilis, dummodo vindicanda iura tanti sint momenti ut tolerare oporteat damna, tum familiarum, tum inceptuum, tum etiam communitatis, necessario comitantia, salvo semper iure

laborandi in casu inderogabilis necessitatis sive personae individuae sive familiae. Quam maxime fieri poterit praecavendum erit, ne exinde impediatur progressus ad litigia instrumentis iuridicis solvenda.[5]

NOTAE

[1] Cf. *Lc.* 10, 7: « Dignus est enim operarius mercede sua » (cf. *I Tim.* 5, 18); *Iac.* 5, 4: « Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quae fraudata est a vobis, clamat, et clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit »;

LEO XIII, Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* 15 maii 1891: *A.S.S.* 23 (1890-1891), p. 662: « Esto igitur, ut opifex atque herus libere in idem placitum, ac nominatim in salarii modum consentiant: subest tamen semper aliquid ex iustitia naturali, idque libera paciscentium voluntate maius et antiquius, scilicet alendo opifici, frugi quidem et bene morato, haud imparem esse mercedem oportere. Quod si necessitate opifex coactus, aut mali peioris metu permotus duriorem conditionem accipiat, quae, etiamsi nolit, accipienda sit, quod a domino vel a redemptore operum imponitur, istud quidem est subire vim, cui iustitia reclamat »;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* 15 maii 1931: *A.A.S.* 23 (1931), p. 206: « At liberum certamen, quamquam dum certis finibus contineatur, aequum sit et sane utile, rem oeconomicam dirigere plane nequit; id quod eventus satis superque comprobavit, postquam pravi individualistici spiritus placita exsecutioni sunt mandata. Perquam necessarium igitur est rem oeconomicam vero atque efficaci principio directivo iterum subdi et subiici »;

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.* 53 (1961), pp. 405-406: « ... (laboris) idcirco modus, non ex mercatorum more pendendus est, sed verius ex iustitiae et aequitatis legibus; quod nisi fit, conficitur porro ut de locando opere pactionibus, quamvis libere initis utrimque, iustitia prorsus laedatur »; p. 406: « ... ut ... de locandis operis pactiones ad iustitiae aequitatisque normam conflentur »; p. 419: « Qua de re Nostrum esse officium putamus iterum admonere, mercedis modum, sicuti liberae competitorum aemulationi prorsus relinquere fas non esse, ita etiam ad arbitrium potentiorum decerni non licere; sed hac in re iustitiae et aequitatis normas esse omnino servandas ».

[2] Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* loc. cit., p. 662: « Mercedem si ferat opifex satis amplam ut ea se uxoremque et liberos tueri commodum queat, facile studebit parsimoniae »;

Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* loc. cit., p. 200: « Ac primum quidem merces operario suppeditanda est, quae ad illius eiusque familiae sustentationem par sit. Aequum sane est reliquam quoque familiam pro viribus suis ad communem omnium sustentationem conferre, ut videre est in agricolarum praesertim, sed etiam in multis artificum et minorum mercatorum familiis; ast nefas est infantili aetate feminaeque debilitate abuti. Domi potissimum vel in iis, quae domui adiacent, matresfamilias operam navent suam, in domesticas curas incumbendo. Pessimus vero est abusus et omni conatu auferendus, quod matresfamilias ob patris salarii tenuitatem extra domesticos parietes quaestuosam artem exercere coguntur, curis officiisque peculiaribus ac praesertim infantium institutione neglectis. Omni igitur ope enitendum est, ut mercedem patresfamilias percipiant sat amplam, quae communibus domesticis necessitatibus convenienter subveniat »;

Ibid., p. 201: « Officinae etiam eiusque susceptoris ratio habenda est in mer-

cedis magnitudine statuenda; iniuste enim immodica salaria exquirerentur, quae absque sui exitio atque ex eo consecutura operariorum calamitate, officina tolerare non potest. Quamquam si ob segnitiem vel ignaviam, aut technici et oeconomici progressus incuriam minus lucrum facit, non haec iusta reputanda est causa mercedis operariis minuendae. Quod si ipsi officinae non tanta vis pecuniae redit, quanta aequae mercedi operariis solvendae sit satis, quia aut oneribus iniustis opprimitur aut opus artificio partum minoris quam iustum est cogitur vendere, qui eam sic vexant, gravis piaculi rei sunt; iusta enim mercede hi privant operarios, qui necessitate adstricti, aequa minorem accipere compelluntur »;

Ibid.: « Denique publico bono oeconomico mercedis magnitudo attemperanda est. Quantopere ad hoc commune bonum conferat, operarios officialesque, mercedis aliqua parte, quae necessariis sumptibus supersit, seposita, ad modicum censum paulatim pervenire, superius iam exposuimus; sed aliud praetereundum non est vix minoris momenti, nostrisque temporibus apprime necessarium, ut iis nempe, qui laborare et valent et volunt, laborandi opportunitas praebeatur. Hoc autem a salarii determinatione haud parum pendet; quae, sicut iuvare, ubi rectis finibus contineatur, vicissim, si hos excedat, obsistere potest »;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Divini Redemptoris,* 19 martii 1937: *A.A.S.* 29 (1937), p. 92: « Neque satis sociali iustitiae factum erit, nisi opifices et sibimet ipsis et familiae cuiusque suae victum tuta ratione ex accepta, rei consentanea, mercede praebere poterunt; nisi iisdem facultas dabitur modicam quamdam fortunam sibi comparandi, ad illud communis paupertatis ulcus vitandum, quod tam late diffunditur; nisi denique opportune erunt in eorum commodum inita consilia, quibus iidem, per publica vel privata cautionis instituta, suae ipsorum senectuti, infirmitati operisque vacationi consulere queant »;

PIUS XII, Nuntius radiophonicus, 24 decembris 1942: *A.A.S.* 35 (1943), p. 20: « Chi conosce le grandi Encicliche dei Nostri Predecessori e i Nostri precedenti Messaggi non ignora che la Chiesa non esita a dedurre le conseguenze pratiche, derivanti dalla nobiltà morale del lavoro, e ad appoggiarle con tutto il nome della sua autorità. Queste esigenze comprendono, oltre ad un salario giusto, sufficiente alle necessità dell'operaio e della famiglia, la conservazione ed il perfezionamento di un ordine sociale, che renda possibile una sicura, se pur modesta proprietà privata a tutti i ceti del popolo, favorisca una formazione superiore per i figli delle classi operaie particolarmente dotati di intelligenza e di buon volere, promuova la cura e l'attività pratica dello spirito sociale nel vicinato, nel paese, nella provincia, nel popolo e nella nazione, che, mitigando i contrasti di interessi e di classe, toglie agli operai il sentimento della segregazione con l'esperienza confortante di una solidarietà genuinamente umana e cristianamente fraterna »;

Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* loc. cit., p. 419: « Quod sane postulat, ut opifici merces tanta solvatur, quanta ad vitam degendam homine dignam et ad familiae onera convenienter ferenda par sit. Sed in aequa laboris constituenda remuneratione haec etiam opus est perpendantur: quantum primum singuli ad bona oeconomica gignenda conferant; qui deinde sit fortunae status consociationum, quibus opifices operam suam tribuunt; quid tum poscant cuiusque civitatis utilitates, praesertim ad locandas universas operas quod attinet; quid postremo exigat commune cunctarumque gentium bonum, hoc est plurium civitatum inter se consociatarum, natura et latitudine dissimilium »; pp. 418-419: « ... non raro mediocris momenti aut incertae utilitatis officia mercede rependi ampla... ».

[3] Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* loc. cit., p. 419.

[4] Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* loc. cit., p. 195: « ... falsum prorsus est sive uni rei sive uni operae quidquid ex earundem collata efficientia obtentum est, adscribere; iniustumque omnino, alterutrum, alterius efficacitate negata, quidquid effectum est sibi arrogare »; p. 198: « Quare omni vi ac contentione enitendum est, ut saltem in posterum partae rerum copiae aequa proportione coacerventur apud eos, qui opibus valent, satisque ample profundantur in eos, qui operam conferunt... »; p. 199: « Hodiernis tamen humanae consortionis condicionibus consultius fore reputamus si, quoad eius fieri possit, contractus operae per societatis contractum aliquantum temperetur, quemadmodum diversis modis fieri iam coepit, haud exiguo operariorum et possessorum emolumento. Ita operarii officialesque consortes fiunt domini vel curationis, aut de lucris perceptis aliqua ratione participant »;

Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* loc. cit., p. 419: « ... mercede rependi nimis modica, vitae necessitatibus impari, vel utcumque iusto minore, si et beneficii in civitatem collati, et proventuum societatis in qua suam quisque operam ponit, et nationis redituum aequa ratio habeatur »; *ibid.*: « Dum nostra hac aetate oeconomicae civitatum res tam prompte procedunt, idque maxime post recens immane bellum, opportunum ducimus de gravissimo iustitiae socialis praecepto omnes admonere, quod nominatim poscit, ut ad rei oeconomicae incrementa semper rei socialis incrementa simul adiungantur simul accommodentur; ita quidem, ut ex aucta divitiarum copia in republica omnes prorsus civium ordines aequa percipiant emolumenta »; p. 420: « Cui quidem iustitiae officio non uno modo, ut rerum usus docet, satis fit. Ceteris missis, hodie magnopere optandum est, ut, rationibus quae magis consentaneae videantur, opifices in partem possessionis sensim veniant suae cuiusque societatis »; p. 421: « At animadvertendum quoque est, aequationem mercedis cum reditibus ita definiri oportere, ut communis boni ratio habeatur sive civitatis, sive consortionis hominum universae ».

[5] PIUS XII, Alloc., 29 iunii 1948: *A.A.S.* 40 (1948), pp. 336-337: « Qualora infatti essi (i Sindacati) mirassero alla esclusiva dominazione nello Stato e nella Società, se volessero esercitare un assoluto potere sull'operaio...

« Che cosa dovrebbe pensarsi della esclusione di un operaio dal lavoro, perchè non è persona gradita al Sindacato, della cessazione forzata del lavoro per il conseguimento di scopi politici, dello smarrirsi in non pochi altri errati sentieri, i quali conducono lungi dal vero bene e dalla invocata unità della classe lavoratrice? »;

ID., Nuntius Radiophonicus Christifidelibus operariis Hispaniae, 11 martii 1951: *A.A.S.* 43 (1951), p. 215: « Las discusiones entre patronos y obreros deben tener como fin principal la concordia y la colaboración ».

CAPUT 5

DE AGRICULTURA ET AGRICOLIS

26. [*Dignitas agriculturae*]. Ex verbis Apostoli, qui christifideles docet: « Agricultura Dei estis » (*I Cor.* 3, 9), et vel magis ex affato Domini, qui semetipsum vitem veram appellat, Patrem coelestem autem agricolam (*cf. Io.* 15, 1), clare elucet, quantopere Deus tam agriculturam quam agricolas

aestumet: in nullo enim labore materiali homo tam vicinus est Deo, tam intime cum Deo collaborat, et tantopere se a Creatore dependentem sentit, quam in agris excolendis eiusque praeparandis ad messem. Est enim qui incrementum dat Deus (cf. *I Cor.* 3, 6-7).

27. [*De ruris bono promovendo*]. Quare etsi conditiones oeconomicae exigere possunt aliquam maiorem ex agro ad urbes magnas emigrationem, tamen neque Ecclesiae, neque societati civili prodest si per veram quamdam fugam terrae agrariae depopulentur. Ad tantum malum impediendum operam dent Pastores, ut in re religiosa rus non postponatur urbibus, tum quod ad cultum, tum quod ad culturam religiosam attinet; ii vero qui in potestate civili sunt positi, serio cordi sit, ut etiam ruricolae gaudeant bonis culturae hodiernae, imprimis in ordine hygienico et educativo; et insuper ut maius sit aequilibrium inter agriculturam et industriam, sive in dandis sive in accipiendis bonis mutuis. Ante omnia autem memores sint verbi Sancti Pauli: « Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere » (*II Tim.* 2, 6). Quod si haec verba apostolica meditari non recusent, dabit eis coelestis Agricola hac in re debitum intellectum (cf. *II Tim.* 2, 7).[1]

NOTA

[1] Cf. Pius XII, Alloc. ad agrorum cultores, 15 nov. 1946: *A.A.S.* 38 (1946), pp. 432 ss.; Epist. ad XXI hebd. soc. Ital., 15 sept. 1947: *L'Osserv. Rom.*, 22 sept. 1947; Alloc. ad particip. Congr. Intern. de vita rurali, 2 iul. 1951: *A.A.S.* 43 (1951), pp. 554 ss.; Nuntius Radiophonicus, 11 apr. 1953: *A.A.S.* 45 (1953), pp. 293 ss.; Alloc. ad delegatos F.A.O., 10 nov. 1955: *Disc. e Radiomess.* 17, pp. 379 ss.; Alloc. ad agrorum cultores, 11 apr. 1956: *Disc. e Radiomess.* 18, pp. 79 ss.; Epist. de vita rurali ad E.mum Card. Rodriguez, 16 mart. 1957: *L'Osserv. Rom.,* 9 apr. 1957; Epist. ad XXX hebd. soc. Ital., 18 sept. 1957: *A.A.S.* 49 (1957), pp. 830 ss.; Alloc. ad particip. Congr. F.A.O.: *A.A.S.* 49 (1957), pp. 1023 ss.;

Ioannes XXIII, Alloc. ad particip. Congr. F.A.O., 27 apr. 1960: *L'Osserv. Rom.*, 29 apr. 1960; Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.* 53 (1961), pp. 401-464.

Plura apud G. D'Ascenzi, *I documenti pontifici sulla vita agricola,* Romae, 1961.

Caput 6

DE PACE SOCIALI TUENDA

28. [*Defendenda iura opificum*]. In permultis regionibus, immensum iacere discrimen inter praedivites et ingentes multitudines quae frustra ex angustiis in quibus versantur excedere contendunt,[1] Ecclesia dolet et lamentatur; immanem accumulari potentiam et despoticum potentatum oeconomicum penes paucos accusat;[2] ad earum multitudinum quae omni securitate

privantur iura ita propugnanda, ut ad stabilem humanam conditionem ascendere valeant, se a Christi lege teneri fatetur.[3]

29. [*Laborantium consociationes*]. Pugnam classium, quam ad revolutionem praeparandam marxistae necessariam conclamant, Ecclesia reprobat.[4] Inire autem consociationes, ad collaborationem et ad pacem socialem instaurandam, et iura laborantium defendenda, ius esse hominibus a natura concessum, declarat.[5]

30. [*Audiantur opificum optata*]. Opportunum erit ut, salva libertate et propria responsabilitate auctoritatis publicae, omnes qui rei oeconomicae dant operam, eorumque coetus, praesentes sint apud instituta quae in variis rerum oeconomicarum provinciis operantur, ope personarum quae eorum iura, necessitates, optata tuentur. Etenim, cum communis sit conductorum et opificum utilitas et actio in vita oeconomica populi, aequalisque eorum dignitas, proinde conveniens particpatio eis est agnoscenda in ordinanda vita oeconomica et sociali totius populi.[6]

31. [*De classe media tuenda*]. Meminerint societatis politicae moderatores, eo magis fore compaginem societatis aeque libratam, eoque efficacius conservari pacem intra cives, quo minus habeantur partes extremae, ideoque quo magis classis media, sive sint operarii dependentes, sive negotiatores, sive variis professionibus officiisque publicis addicti, bene valeant, gaudeant possessione propria et oeconomica securitate.

32. [*De sociali actione et doctrina*]. Quia res economicae et sociales habent etiam adspectum moralem ideoque subsunt legi naturali et Legi evangelicae, a Magisterio Ecclesiae explicatis, Christifideles ne nomen dent associationibus in quibus istae leges morales non servantur, vel, quod peius est, oppugnantur.[7]

33. [*De proponenda doctrina*]. Curandum est ut simul cum huiusmodi consociationibus, semper adsint sodalitia, quae doctrina christiana sociali socios imbuere satagant, eosque formare, ut deinde consortiones eo spiritu permeare valeant, quo in tota sua agendi ratione dirigi debent.[8]

NOTAE

[1] LEO XIII, Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* 15 maii 1891: *A.S.S.* 23 (1890-1891), p. 663: « Vis (enim) commutationum civilium in duas civium classes divisit urbes, immenso inter utramque discrimine interiecto. Ex una parte factio praepotens, quia praedives: quae cum operum et mercaturae universum genus sola potiatur, facultatem omnem copiarum effectricem ad sua commoda ac rationes trahit, atque in ipsa administratione reipublicae non parum potest. Ex altera inops atque infirma mutitudo, exulcerato animo et ad turbas semper parato »;

PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* 15 maii 1931: *A.A.S.* 23 (1931), p. 178: « Nam saeculo undevicesimo ad exitum properante, novum rei oeconomicae obortum genus novaque industriae incrementa in plerisque nationibus eo devenerant, ut hominum communitas magis magisque in duas classes dispertita appareret; quarum altera quidem numero exigua, vix non omnibus fruebatur

commodis a modernis inventis tam copiose allatis: altera vero, ingentem complectens opificum multitudinem, calamitosa egestate pressa, frustra ex angustiis, in quibus versabatur, excedere contendebat »;

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.* 53 (1961), p. 418: « Vehementi sane aegrimonia animus afficitur Noster, cum veluti ante oculos Nostros versantur — pro miserrimum spectaculum — ingentes opificum multitudines, qui in nationibus non paucis atque in latis etiam terrarum continentibus tam parvam laboris mercedem accipiunt, ut ipsis eorumque familiis vitae condicionibus utendum sit, ab hominis dignitate omni ex parte alienis. (...) Fit tamen apud aliquot ex his nationibus ut, adversus extremam plurimorum inopiam, paucorum conspiciantur opulentia profusique sumptus, aperte insolenterque cum egenorum sorte pugnantes ».

[2] Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* loc. cit., pp. 210-211: « ... omnium oculos percellit, nostris temporibus non modo coacervari opes, sed immanem accumulari potentiam et despoticum potentatum oeconomicum penes paucos, qui plerumque non domini, sed depositae rei custodes tantum et administratores sunt eamque nutu suo arbitrioque regunt ».

[3] PIUS XII, Alloc., 15 augusti 1945: *A.A.S.* 37 (1945), p. 215: « Chi, dacchè esiste un proletariato dell'industria, ha come la Chiesa combattuto in lotta leale per la difesa dei diritti umani dei lavoratori? (...) In lotta leale: non per eccitare l'odio di classe, ma per garantire al ceto degli operai una condizione sicura e stabile, di cui altri ordini del popolo già godevano, e affinchè la classe dei lavoratori entrasse a far parte della comunanza sociale con eguali diritti degli altri suoi membri ».

[4] Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* loc. cit., pp. 648-649: « Est illud... capitale malum, opinione fingere alterum ordinem sua sponte infensum alteri, quasi locupletes et proletarios ad digladiandum inter se pertinaci duello natura comparaverit. (...) Omnino altera alterius indiget: non res sine opera, nec opera sine re potest consistere »;

Litt. Encycl. *Quadragesimo anno*: loc. cit., p. 204: « Id autem imprimis spectare, in id intendere et res publica et optimus quisque civis debent, ut " classium " oppositarum disceptatione superata, concors " ordinum " conspiratio excitetur et provehatur.

« In reficiendos igitur " ordines " ars politica socialis incumbat necesse est. Reapse violenta adhuc perseverat et hac de causa instabilis ac nutans humanae societatis condicio, quippe quae " classibus " innitatur diversa appetentibus et ideo oppositis, propterea que ad inimicitias dimicationesque pronis ».

[5] Litt. Encycl. *Rerum Novarum,* loc. cit., p. 664: « Sed principem locum obtinent sodalitia artificum, quorum complexu fere cetera continentur... Eruditiore nunc aetate, moribus novis, auctis etiam rebus quas vita quotidiana desiderat, profecto sodalitia opificum flecti ad praesentem usum necesse est. Vulgo coiri eius generis societates, sive totas ex opificibus conflatas, sive ex utroque ordine mixtas, gratum est: optandum vero ut numero, et actuosa virtute crescant »;

LEO XIII, Epist. *Longinqua oceani,* 6 ianuarii 1895: *A.S.S.* 27 (1894-1895), p. 396: « De ineundis quoque societatibus diligentissime videndum ne quis errore fallatur. Atque hoc intelligi nominatim de opificibus volumus: quibus profecto coire in sodalitia utilitatum sibi comparandarum gratia, ius est, libente Ecclesia, nec repugnante natura: sed vehementer interest, quibuscum se coniungant: ne

ubi rerum meliorum adiumenta requirunt, ibi in discrimen vocentur bonorum multo maximorum. (...)

Immo vero, quod est valde ad fidei incolumitatem conducibile, malle catholici debent cum catholicis congregari, nisi fieri secus coegerit necessitas »;

Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* loc. cit., p. 205: « Cum liberae hae consociationes a cl. mem. Decessore Nostro distincte ac dilucide explanentur, satis habemus, id unum inculcare: liberam esse homini facultatem, non solum has consociationes condendi, quae iuris et ordinis sunt privati, sed etiam eam in iis " libere optandi disciplinam, easque leges, quae maxime conducere possunt ad id, quod propositum est, iudicentur " (cf. PIUS X, Litt. Encycl. *Singulari Quadam,* 24 sept. 1912: *A.A.S.* 4 [1912], p. 659) »;

PIUS XII, Litt. Encycl. *Sertum laetitiae,* 1 novembris 1939: *A.A.S.* 31 (1939), p. 643: « Praeterea cum homines natura sint congregabiles et fas sit coniunctis viribus honestas utilitates provehere, sicut heris ita et operariis et agricolis non potest sine iniuria denegari aut minui libera facultas societates ineundi, quarum ope ipsi sua tueantur iura et maiorem in modum emolumenta, quae ad bona animi et corporis et ad innoxias quoque suavitates vitae spectant acquirant. Huiusmodi collegiis (...) non potest una ubique locorum disciplina et temperatio imponi, quae quidem pro ingenio populorum et adiunctis temporum et rerum alibi alia esse quit: ea tamen semper et sanae libertatis principiis vitalem motum sumant, celsis iustitiae et honestatis normis informentur harumque sub ductu et auspicio ita agant, ut in suae classis provehendis commodis neminem laedant, concordiae studia servent, civilis societatis commune bonum vereantur ».

[6] Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* loc. cit., p. 423: « Non dubitamus (tamen) quin opificibus actuosae partes sint tribuendae in negotiis societatis, cui navent operam, sive haec privatorum sive reipublicae sit; quod nimirum eo spectare utcumque debet, ut societates bonis gignendis perfectam induant humanae consortionis speciem, cuius afflatu singulorum necessitudines, munerum officiorumque varietates penitus afficiantur »; p. 425: « At ea decernere, quae generalem (illum) rei oeconomicae statum magis adiuvent negotium non est singulae cuiusque societatis bonis gignendis, sed ad reipublicae moderatores spectat, et ad illa instituta quae (...) in variis rerum oeconomicarum provinciis operantur. Ex quo patet opportunum vel necessarium esse, apud civitatis auctoritates et apud eadem instituta, praeter dominos aut eos qui dominorum partes agunt, veluti praesentes etiam opifices haberi aut eos qui pro suo munere opificum iura, necessitates, optata tuentur »;

PIUS XII, Alloc., 7 maii 1949: *A.A.S.* 41 (1949), pp. 283-284: « Chefs d'entreprise et ouvriers ne sont pas antagonistes inconciliables. Ils sont coopérateurs dans une œuvre commune. Ils mangent, pour ainsi dire, à la même table, puisqu'ils vivent, en fin de compte, du bénéfice net et global de l'économie nationale. (...)

« Mais dès lors que l'intérêt est commun, pourquoi ne pourrait-il pas se traduire dans une expression commune? pourquoi ne serait-il pas légitime d'attribuer aux ouvriers une juste part de responsabilité dans la constitution et le développement de l'économie nationale? (...)

« Cette communauté d'intérêt et de responsabilité dans l'œuvre de l'économie nationale, Notre inoubliable Prédécesseur Pie XI en avait suggéré la formule concrète et opportune lorsque, dans son Encyclique *Quadragesimo anno,* il recommandait " l'organisation professionnelle " dans les diverses branches de production ».

[7] Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* loc. cit., pp. 425-426: « Consentaneum igitur est, ut in primis cogitatio Nostra paternaeque caritatis affectus ad consociationes feratur varias artes complectentes, itemque ad opificum collegia, quae, christianae doctrinae principii conformata, in pluribus terrarum continentibus operam navant suam. (...) At praeterea horum filiorum Nostrorum operam merita honestare laude cupimus, quae non omnis in proximo atque perspicuo rerum exitu sita est; sed ad universum etiam, qua late patet, humani laboris campum permanat, rectis agendi cogitandique normis almoque christianae religionis afflatu quaquaversus propagatis.

« Qua quidem Nostra paterna laude eos etiam ornare carissimos filios volumus, qui christianis praeceptis imbuti eximiam tribuunt operam aliis artificum consociationibus iisque opificum collegiis, quae naturae legibus ducuntur et singulorum de re religiosa ac morali libertatem verentur » (cf. *Rerum Novarum,* loc. cit., p. 666; *Singulari quadam,* loc. cit., pp. 659 ssq.; *Responsio S. Congreg. Concilii* ad R. P. D. Liénart, Episcopum Insulens., 5 iulii 1929: *A.A.S.* 21, 1929, pp. 200 ssq.);

Litt. Encycl. *Quadragesimo anno,* loc. cit., pp. 187-188: « Quae Leonis XIII consilia ac monita alii aliter secundum varias locorum rationes ad effectum adduxerunt. Etenim, in quibusdam regionibus una eademque consociatio omnes a Pontifice praestitutos fines persequendos suscepit; in aliis vero, rerum adiunctis id suadentibus vel postulantibus, ad quandam operae divisionem deventum est, distinctaeque conditae sunt consociationes, quarum aliae ad sodalium iura atque legitima commoda in operae mercatu defendenda incumberent, aliae mutuum in rebus oeconomicis adiutorium praestandum curarent, aliae denique religiosis ac moralibus officiis aliisque id genus muneribus adimplendis omnem operam conferrent suam.

« Altera haec via ibi potissimum inita est, ubi sive patriae leges, sive certa quaedam oeconomica instituta, sive lugenda illa in hodierna societate tam late patens animorum et cordium dissensio atque urgens contra conferta novarum rerum molitorum agmina studiis viribusque coniunctis resistendi necessitas, impedimento erat, quominus catholici syndicatus condere possent. In ea enim rerum condicione vix non cogi syndicatibus neutris se adscribere, qui tamen semper iustitiam et aequitatem profiteantur et sociis catholicis plenam suae conscientiae providendi atque Ecclesiae mandatis obtemperandi libertatem faciant »;

Decretum Supremae S. Congreg. Sancti Officii, 1 iulii 1949: *A.A.S.* 41 (1949), p. 334.

Caput 7

DE RELATIONE INTER REM PUBLICAM ET OECONOMIAM

34. [*Statuuntur principia*].[1] Ut sana relatio rem publicam inter et oeconomicam habeatur, imprimis in oeconomicis partes priores tribuantur privatae industriae singulorum, sive quod soli agant, sive cum aliis, ad bona communia commode sibi comparanda, multiplici modo consocientur. Homines autem, in rebus oeconomicis operam dando, secundum collaborationis principium agere tenentur, propriam suam utilitatem communi bono subordinantes. In re dein oeconomica, praesens accedat civilis potestatis opera, ut recte bonorum externorum incrementum provehat, idque conducat ad vitae

socialis progressum atque ideo, debito ordine tam in corporis quam in animi bonis servato, conferat ad singulorum coetuumque omnium utilitatem. Prae oculis tandem habeatur, etiam in re oeconomica, subsidiarii officii principium diligentem postulare applicationem.

35. [*Mutua societatum civilium operositas*]. Cum Deus bona universi destinaverit ad totam familiam humanam sustinendam, atque insuper res oeconomicae singularum nationum, maxime ob progressum scientiae rerumque technicarum, in dies magis inter se cohaereant et ab invicem dependeant, S. Synodus declarat, omnino requiri, ut inter populos in rebus oeconomicis foveantur relationes tam iuridico-politicae quam practicae multiformis collaborationis. Quare omni vi contendendum est, ut promoveatur socius labor internationalis: dein ut inventa nova scientifica facile ad communem cognitionem perveniant; tandem ut energiae reales et personales meliore circulatione expeditius ubique terrarum omnibus inservire queant. Quod etiam conferet ad pacem, mundo universo tam necessariam, in tuto ponendam, utque populi sedeant in eius pulchritudine (cf. *Is.* 32, 18).[2]

NOTAE

[1] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra,* 15 maii 1961: *A.A.S.* 53 (1961), pp. 413-414.

[2] Alia de ordine internationali exponuntur in Constitutione separata de « Communitate Gentium ».

COMMISSIO DE EPISCOPIS
ET DE DIOECESEON REGIMINE

I

DE DIOECESEON PARTITIONE *

In regimine Ecclesiae universalis recta et bene ordinata dioecesium gubernatio maximum habet momentum in bonum cleri populique christiani.

Porro cum Episcopus sit ordinarius et immediatus Pastor animarum, qui magisterii ministerii et regiminis potestate gregem sibi commissum ad normam sacrorum canonum pascere et gubernare debeat, necesse omnino est ut talis sit Dioecesis status et conditio ut Episcopus officium sibi concreditum apte, fructuose et efficaciter adimplere valeat.

Iamvero ut id convenienter obtineri possit, duplex inconveniens est vitandum.

Si dioecesis forte sit nimis magna et ampla vix poterit Episcopus personaliter, ut opus esset, sacerdotes omnes sibi subditos, singulas paroecias earumque rectores cognoscere ac moderari.

Ex alia parte si dioecesis sit nimis parva, restricta, exigua quoad bona et redditus, Episcopus apte consulere non valebit innumeris sacerdotum et fidelium necessitatibus nec habere et sustentare poterit omnia officia et instituta quae sunt necessaria ad rectum dioeceseos regimen.

Quapropter opportunum et necessarium apparet ut ad congruam Dioeceseon partitionem deveniatur, omnibus circumstantiis sive temporum sive locorum sive personarum accurate perpensis.

Quod multorum Episcoporum magnopere est in votis.

Huiusmodi autem Dioecesium divisio plures suapte natura secumfert quaestiones opportune resolvendas, de quibus in singulis, quae sequuntur, propositionibus agitur.

1. Dioeceses sunt Ecclesiae peculiares, quae Episcopis ex divina institutione Apostolorum successoribus regendae committuntur, sub Romani Pontificis auctoritate.

2. Ut convenienter Dioeceses gubernari queant, nec magnae nimis sint, nec parvae nimis, ratione territorii et incolarum numeri, variis locorum et

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in prima congregatione sessionis quartae, die 20 febr. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando*, Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 496-518.

personarum aliarumque rerum circumstantiis mature consideratis, animarum bono potissimum spectato.

3. § 1. Dioeceses nimis parvae, in singulis casibus, decernatur, omnibus adiunctis accurate perpensis, an supprimendae sint, an alii Dioecesi uniendae an ex pluribus parvis nova Dioecesis constituenda.

§ 2. Item decernatur an Dioeceses nimis magnae dividendae sint, circumstantiis omnibus diligenter consideratis.

4. Abbatiae *nullius* vel supprimendae vel, si ratione territorii et incolarum numeri sat magnae sint, in Dioeceses erigantur.

Praelaturae *nullius*, nisi speciales occurrant circumstantiae, supprimantur.

5. Quoad Dioeceses Suburbicarias decernat S. Sedes an supprimendae vel conservandae sint.

6. § 1. Confinia Dioeceseon congruenter mutentur, si opportunum videatur: hac super re Commissio Episcopalis (de qua infra), pro locorum distantia, viarum commoditate aliisque circumstantiis, quid opportunum videatur Sanctae Sedi proponat.

§ 2. Immutatio confinium ita fiat, ut uniuscuiusque Dioecesis territorium continuum pateat, nec amplius intra territorium unius Dioecesis exsistant loca vel paroeciae, quae ad aliam Dioecesim pertineant.

7. Sedes Episcopalis seu residentia Episcopi eiusque Curia, quantum fieri potest, in loco aptiore et commodiore sit, quo facilius clero et fidelibus pateat accessus.

8. § 1. Si duae aut plures Dioeceses uniantur unione exstinctiva et una constituatur nova Dioecesis, una tantum sit Curia Episcopalis.

§ 2. Si unio sit aeque principalis et uni Episcopo duae vel plures Dioeceses regendae committantur, item una sit Curia Dioecesana et Sedes Episcopalis, nisi Sedes Apostolica aliter decreverit.

9. Provinciae Ecclesiasticae alicubi minuendae sunt, alicubi numero augendae et circumscribendae in regiones conciliares iuxta necessitates apostolatus, attentis conditionibus geographicis, historicis traditionibus aliisque circumstantiis, habito quoque respectu, si opportunum videatur, ad numerum et confinia provinciarum civilium.

10. Dioeceses immediate subiectae Sanctae Sedi illi Provinciae Ecclesiasticae aggregentur, quae vicinior seu opportunior sit.

11. § 1. Erectio, suppressio, unio, dismembratio, divisio Dioeceseon ac translatio Sedis Episcopalis et Curiae ita fiant, ut Episcopus per se ipse ac facile cognoscere valeat clerum et singulas paroecias.

§ 2. In hisce negotiis peragendis, respectus habeatur non solum ad incolarum numerum et locorum distantiam, verum etiam ad ritum ac nationalitatis diversitatem, ad peculiaria adiuncta geographica, socialia, oeconomica, ad historicas traditiones, ad civiles quoque circumscriptiones atque ad pacta forte inita inter Sanctam Sedem et Status.

12. In unaquaque Natione peculiaris ac permanens Commissio Episcoporum constituatur, vel constitui poterit, quae, auditis Episcopis quorum

interest, videat an et quaenam immutationes circa Dioeceses sint inducendae easque Sedis Apostolicae iudicio subiiciat, salvis iuribus Ecclesiae Orientalis.

13. § 1. Dioeceses *personales* ratione idiomatis vel nationalitatis erigendae non sunt.

§ 2. Pro diversitate rituum erigi poterunt, cum plures sunt fideles diversi ritus, quibus sufficienter consuli nequit per sacerdotem aut paroeciam eiusdem ritus.

§ 3. Item, an pro certis personarum coetibus, Dioeceses *personales* vel Ordinariatus sint constituendi, Conferentia Episcopalis Nationalis, in singulis casibus, proponat et Sancta Sedes decernat.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 25 septembris 7 octobris 1961.

II

DE EPISCOPORUM COETU SEU CONFERENTIA *

« Ad officium pastorale fructuosum et efficax gerendum multum confert frequens ac mutua inter Episcopos communicatio.

Ita in assequenda experientia inque usu rerum alius alium perficit; redditur maior regiminis similitudo, vitatur christifidelium admiratio qui saepe non intelligunt cur in alia dioecesi res hoc modo se habeant, in alia autem, quae fortasse proxima ei adiacet, dissimili modo, quin etiam interdum contrario. Ad haec autem consequenda plurimum possunt communes Coetus, qui fere ubique iam in usu sunt, et augustiore celebranda ritu Concilia provincialia et plenaria, quae in Codice iuris canonici constituta certisque legibus circumscripta sunt ».[1]

Universae nationis Praesulum Conventus seu Conferentiae ad rem catholicam provehendam elapso saeculo in nonnullis dicionibus celebrari coeperunt, cum Concilia plenaria rariora facta fuerint et Concilia provincialia nimio temporis intervallo coadunarentur.

Asperrimis enim illis temporibus, mutatis longe lateque rebus politicis, religiosis, oeconomicis et socialibus atque ingravescentibus in dies erroribus, necessarium visum est ut non modo singularum dioecesium Pastores in dominici gregis incrementum omni qua possent alacritate incumberent, sed etiam universae nationis Episcopi, in Coetum convenientes, collatis consiliis, singulari quadam animi conspiratione et concordia ea potissimum persequerentur, quae aptius ad gloriam Dei, ad Ecclesiae utilitatem et animarum salutem in tota natione conducere reputaverint.

Romani Pontifices huiusmodi nationales Episcoporum Coetus non solum adprobaverunt sed etiam amplissimis verbis laudaverunt, eorum annuam celebrationem commendantes.[2]

Novissime vero, cum naturalis rerum evolutio et praesertim sive primum sive alterum immane bellum permulta in nationibus peperissent problemata, Episcopales Conventus frequentiores habiti sunt, ut ingruentibus quotidie periculis novisque communibus dioecesium necessitatibus Sacri Pastores aptiore modo occurrerent, collatis sententiis conspiratisque viribus.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in prima congregatione sessionis quartae, die 20 febr. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando*, Series II (Praeparatoria) Vol. II, Pars II, pp. 518-541.

Propria earum Conferentiarum Statuta Praesules ipsi confecerunt, quae ab Apostolica Sede fuerunt opportune recognita ac deinde vel ad tempus vel in perpetuum adprobata.

Attamen Nationales Episcoporum Coetus praeter leges canonicas constituti sunt eorumque decisiones et instructiones vim iuridicam non obtinent nec ullo modo impedire possunt quominus Concilia plenaria et provincialia, ad normam iuris, coadunentur; praeterea indolem pastoralem potissimum habent. Quod in multis Romanorum Pontificum documentis videre est, siquidem in ipsis enumerantur passim quaestiones et negotia quae in episcoporum conventibus pertractantur.[3]

Omnibus denique compertum est quantum utilitatis et fructus ex illis Coetibus accesserit sive ad ecclesiasticam disciplinam tuendam sive ad rem catholicam provehendam quantamque in praesens consecuti sint auctoritatem, vel apud ipsa Civilia Gubernia et acatholicos viros.

Quapropter permulti Sacrorum Antistites summopere exoptant ut Nationales Episcoporum Coetus seu Conferentiae in Codice iuris canonici constituantur certisque legibus circumscribantur ita ut qui hucusque praeter leges canonicas habiti sunt Conventus, in posterum ex sacrorum canonum praescripto celebrari possint.

Cum autem Episcoporum Coetus in diversis nationibus diversas induerint formas, experimento probatas, cumque, ex indole sua pastorali, rationem habere debeant variarum conditionum singularum nationum, schema proponitur, quod generalia tantum principia continet dum particularia ipsis Episcoporum Conferentiis, in propriis Statutis ordinanda, remittuntur.

I – De constitutione et natura

1. In unaquaque natione constituatur Episcoporum Coetus seu Conferentia ut collatis consiliis viribusque unitis perpendatur quid in universa natione agendum sit ad bonum religionis promovendum, ad salutaria apostolatus studia et opera excitanda, ad apta et tempestiva remedia paranda serpentibus erroribus et abusibus vel instantibus periculis contra fidem, mores et ecclesiasticam disciplinam.

2. Coetus Episcoporum characterem pastoralem habet.

3. Si ob nimium Episcoporum numerum vel plures ritus vel aliam gravem causam, in particularibus statutis recognoscendam, impossibile vel inopportunum evadat ut omnes Episcopi personaliter Coetui seu Conferentiae Nationali intersint, tunc una cum Metropolitis vel Praesidibus Conferentiarum Episcoporum Regionalium aut ritualium interesse possunt, tamen et ipsi cum suffragio deliberativo, etiam aliqui Episcopi pro unaquaque provincia seu regione ecclesiastica a suae provinciae coëpiscopis vel a sua Conferentia Regionali aut rituali eligendi.

Hoc autem in casu quaestiones omnes, antequam in Conferentia nationali pertractentur, Metropolitis vel Praesidibus Conferentiarum regionalium

aut ritualium opportuno tempore communicari debent mediis idoneis, ita ut consilia et vota omnium Episcoporum exquirantur.

II – De moderamine

1. Episcoporum Coetus seu Conferentia regitur peculiaribus Statutis a Sancta Sede probatis.

2. E gremio eiusdem Coetus Constituantur:

§ 1. Consilium permanens, ex aliquibus Praesulibus constans, quod ipsam Conferentiam repraesentet in omnibus causis et negotiis eidem concreditis;

§ 2. Commissiones Episcopales, quae peculiaribus negotiis praeficiantur et res in Conventu plenario tractandas parent.

3. Constituatur insuper Secretariatus generalis in servitium Coetus Episcoporum et tanquam centrum informationis et activitatis.

III – De vi decisionum

1. Decisiones, a Coetu seu Conferentia Episcoporum prolatae, iuridice non obligant sed moraliter: ideoque ratione unitatis maxima reverentia accipiendae sunt ac religiose servandae.

2. Episcopus in sua dioecesi in casu aliquo particulari praeter decisiones Conferentiae agere intendens, antea scripto certiorem faciat Praesidem Conferentiae de suis agendi rationibus.

3. In rebus pro quarum solutione oporteat normas iuridicas ferre, adeatur Sancta Sedes eiusque iudicio standum erit.

4. Unusquisque Episcopus pro sua prudentia et discretione normas in Coetu Episcoporum latas, vi iuridica in propria dioecesi fulcire potest.

IV – De relationibus inter Episcopos diversarum nationum

1. Foveantur relationes inter Episcopos diversarum nationum ad maximum commune bonum tuendum, ad communia gravissima damna avertenda.

2. Illos potissimum Sacrorum Antistites, qui propter nomen Christi calumniis et angustiis divexantur vel in carceribus detinentur, Episcopi fraterno amplectantur animo eosque germana actuosa cura prosequantur, ut eorum dolores ardore precationis operisque Confratrum leniantur et mulceantur.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 25 septembris - 7 octobris 1961.

NOTAE

[1] Pius XII, in Allocutione ad Em.mos Patres Cardinales atque Exc.mos DD. Sacrorum Antistites die 2 novembris 1954 habita: AAS, XXXXVI (1954), p. 675.

[2] Pius IX, Ep. *Maximae quidem,* ad Episcopos Bavariae, 19 aug. 1864: Acta Pii IX: pars I, vol. III, p. 674.

LEO XIII, Ep. *In ipso supremi* ad Episcopos Austriae, 3 mart. 1891: Acta Leonis XIII, vol. XI, p. 35; Ep. *Pastoralis vigilantiae,* ad Episcopos Lusitaniae, 25 iun. 1891: ib., vol. XI, p. 207; Ep. *Delectati summopere,* ad Episcopos Peruviae, 22 aug. 1902: ib., vol. XXII, p. 177; Ep. *Litteras a Vobis,* ad Episcopos Brasiliae, 2 iul. 1894: ib., vol. XIV, p. 228; Ep. *Inter graves,* ad Episcopos Peruviae, 1 maii 1894: ib., vol. XIV, p. 133 etc.

PIUS X, Ep. *Sollicite vehementer,* ad Episcopos Lusitaniae, 5 maii 1905: Acta Pii X, vol. II, p. 42; Ep. *Magnopere Nos,* ad Episcopos Peruviae et Americae Latinae, 24 sept. 1905: ib., vol. II, p. 172; Ep. *Diligentia ipsa,* ad Episcopos Bavariae, 30 apr. 1911: AAS, vol. III (1911), p. 264 etc.

BENEDICTUS XV, Ep. *Communes Litteras,* ad Episcopos Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum, 10 apr. 1919: AAS, XI (1919), p. 171.

PIUS XI, Ep. *Communes accepimus,* ad Episcopos Australiae, 12 febr. 1923: AAS, XV (1923), p. 108; Ep. *Perlibenti,* ad Episcopos Lusitaniae, 14 maii 1923: AAS, XV (1923), p. 239; et passim in Epistulis ad Episcopos diversarum nationum in unum convenientes missis.

[3] In Instructione *Quo constet firmius*: De conventibus Sacrorum Antistitum in Ditionibus Austriaci Imperii, 22 iul. 1898, haec leguntur: « Res ad deliberandum hae maxime congressuris proponantur: – christiana populi eruditio, atque institutio iuventutis; – fidelium gregis suis pastoribus coniunctio arctior et adhaesio; – Seminariorum cultus et incrementa; – catholicae studiorum universitatis erectio; – catechismus ab episcopis nove conficiendus et coniunctim edendus (*Breve Pii Pp. IX,* 5 octobris 1855); – Ecclesiae iurium et bonorum tuitio; – Summi Pontificis strenua auctoritatis et libertatis vindicatio; – ephemeridum aliarumque vulgatarum curatio scriptionum; – matrimonii christiani religio et sanctitudo; – monialium et cleri utriusque disciplina provehenda; – laicorum sodalitia ad pietatem et caritatem fovenda utiliora; – inviolata festorum custodia; – romanae liturgiae urgenda aequalitas; – lustrationis dioecesanae, synodorumque, iuxta Tridentinas leges, instauratio; – conditionis opificum, agricolarum, emigrantium sollicitudo; – socialis, quam nominant, et popularis causae studium; – militum cultura religiosa; – petriana stipes; – sacris item missionibus, servitudinis extinctioni, conferenda subsidia; – communia scripta vel acta, ad utilitates rei cum sacrae tum civilis, unanimi pastorum consilio edenda; – alia demum id generis negotia, quibus rite expediendis, non modo proficuam, verum etiam necessariam esse agendi et sentiendi concordiam omnino compertum est omnibus » (Acta Leonis XIII, vol. XVIII, p. 98).

III

DE RATIONIBUS INTER EPISCOPOS ET SS. CURIAE ROMANAE CONGREGATIONES *

Officium Episcoporum, praeter primatum Romani Pontificis, ipsum Christum Dominum, etsi dispari ratione, immediatum habet auctorem.[1]

Iurisdictio particularis, quam singuli Episcopi vi officii pastoralis in suas dioeceses exercent, a Romano Pontifice, tanquam ex causa proxima est derivanda.[2]

Romanus autem Pontifex, iure primatus, iurisdictionem Episcopalem plus minusve amplificare vel restringere potest, sibique reservare causas quae dicuntur maiores, quas per SS. Curiae Romanae Dicasteria expedire solet.

Iamvero huiusmodi maior vel minor amplificatio vel restrictio semper respondet Ecclesiae universalis bono atque utilitati, siquidem (quod attinet ad restrictionem) causae maiores « vel ipsa natura sua sunt maioris momenti atque Romano Pontifici propriae, aut sunt dubiae et arduae quoad exsecutionem aut pertinent ad personas in sublimitate constitutas ideoque saltem ex positiva ordinatione Romano Pontifici reservantur ».[3]

Sed in Ecclesia Dei, in qua cum absoluta immutabilitate doctrinae varietas disciplinae coniungitur, non raro evenit ut quae olim apta erant et idonea ea labens aetas faciat vel inepta vel inutilia vel etiam contraria.

Quapropter quae salubriter veterum canonum vel Romanorum Pontificum auctoritate constituta, ordinata vel reservata sunt sic retineri solent ut si tempus rerumque mutatio quidpiam esse temperandum vel immutandum vel supprimendum suadeat, Romanus Pontifex congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat, praesertim si in evidentem christifidelium utilitatem feliciusque eorumdem regimen redundare existimaverit.

Nostris igitur temporibus graves adsunt rationes, quae postulare videntur ut causae maiores, saltem aliquae, minuantur.

Imprimis coram omnibus fidelibus clare deduci debet Episcopos vere esse pastores in propria dioecesi atque vera membra Collegii Apostolici eisque pertinere, cum Romano Pontifice, sollicitudinem universae Ecclesiae Christi.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in congregatione altera sessionis quartae, die 21 febr. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 541-576.

Ergo illis facultatibus polleant necesse est sine quibus forte censeri possent tanquam capite deminuti.

Insuper aliqua sunt, quae iam obsoleta dici debent et alia non pauca quae extraordinaria appellari non possunt: inde reservationes decursu temporum suppressae et facultates concessae in ipso Codice iuris canonici et etiam post eius promulgationem.

Iam in Concilio Vaticano I nonnullos Episcopos maiores facultates petiisse constat. Scribebant enim: « Hanc obligationem obtinendi per indulta indesinenter renovanda, facultates ad bonam muneris publici exsecutionem necessarias, nullibi videre est nisi in regimine ecclesiastico quod tamen deberet esse omnium regiminum simplicissimum et in quo praeterea Episcopi locum praestantiorem tenent quam, in regimine politico, praefecti et officiales ».[4]

Eamdem petitionem plurimi Sacri Pastores renovant, enixe postulantes ut quaedam leges reformentur, quaedam vero mutatis rerum temporumque condicionibus accommodentur; ut plures nunc vigentes reservationes tollantur et facultates ampliores Episcopis tribuantur, iis exceptis casibus quos Romanus Pontifex sibi reservaverit et explicite declaraverit ac recensuerit.

Principia igitur sive theoretica sive practica in primis affirmanda videntur: quaedam vero ad modum exempli enumerantur iura et facultates Episcopis stabiliter tribuenda.

I – Principium fundamentale

1. § 1. Cum Episcopi iure divino sint Apostolorum Successores atque peculiaribus Ecclesiis praeficiantur, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis (can. 329 CIC), qui ex positiva voluntate Christi est centrum visibile et necessarium unitatis fidei, cultus et regiminis Ecclesiae Catholicae;

§ 2. Cumque Episcopi sint ordinarii et immediati pastores in dioecesibus sibi commissis (can. 334, § 1 CIC), quibus proinde ius et officium est gubernandi dioecesim tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa, iudiciaria et coactiva, ad normam sacrorum canonum exercenda (can. 335, § 1 CIC), convenit ut ipso iure habeant facultates quas aptius et expeditius exercitium ordinariae potestatis, sub primatu iurisdictionali universali Romani Pontificis, expostulat;

§ 3. Quapropter Episcopis facultates ampliores tribuantur, salvis iuribus et privilegiis Ecclesiae Orientalis.

II – Principia practica quoad facultates

Ut convenienter iura et facultates Episcoporum augeantur ac melius determinentur:

1. SS. Curiae Romanae Dicasteria, iuxta propriam competentiam, recognoscant indicem Facultatum Quinquennalium ita ut plures ex praedictis facultatibus stabiliter concedantur Episcopis, paucis gravioribus exceptis,

quae Nuntiis vel Delegatis Apostolicis tribuendae sint vel ipsis Episcopis peculiarium nationum vel dioecesium ad tempus concedendae videantur;

2. Videant ipsa SS. Dicasteria ut stabiliter Episcopis concedatur facultas per se consulendi casibus:

a) in quibus facultas vel gratia semper conceditur;

b) in quibus S. Dicasterium competens, ex natura rei, aliud fundamentum habere non potest ad iudicium ferendum de merito petitionis nisi commendationem Episcopi.

III – Facultates quibus stabiliter frui Episcopi desiderant

1. Concedendi licentiam per se vel per alium legendi ac retinendi, sub custodia tamen, ne ad aliorum manus perveniant, libros prohibitos et ephemerides, eos etiam qui haeresim et schisma ex professo propugnant, vel etiam ipsa Religionis fundamenta evertere nitantur, sub condicionibus iam in Indice Facultatum Quinquennalium statutis.

2. Concedendi omnibus sacerdotibus, parocho impedito aut absente, facultatem Confirmationis Sacramentum administrandi in periculo mortis, servata S. Congregationis de Disciplina Sacramentorum instructione pro simplici sacerdote ex Sedis Apostolicae delegatione Sacramentum Confirmationis administrante.

3. Concedendi omnibus sacerdotibus facultatem substituendi, iusta et gravi de causa, loco altaris portatilis seu petrae sacrae, aliquod linteum ex lino vel cannabe confectum et ab Episcopo benedictum, in quo conditae sint Sanctorum reliquiae ab eodem Episcopo recognitae. Servatis de coetero servandis iuxta rubricas praesertim quoad tobaleas et corporales.

4. Concedendi sacerdotibus infirmis aut aetate provectis indultum oratorii privati aut domi celebrandi; itemque indultum sedendi dum Missam celebrant, si ob infirmitatem stare non possunt, servatis de iure servandis.

5. Concedendi sacerdotibus visivae potentiae debilitate laborantibus facultatem Missam votivam Deiparae Virginis aut Missam Defunctorum celebrandi, adhibita, quoties ea indigeant, alterius sacerdotis adsistentia.

Eamdem facultatem concedendi sacerdotibus omnino caecis, praescripta semper adsistentia sacerdotis vel diaconi.

6. Commutandi, ob visus debilitatem vel ob aliam causam, eaque perdurante, obligationem recitandi divinum officium cum quotidiana recitatione Rosarii B. M. V. vel aliarum precum.

7. Concedendi facultatem binandi propter penuriam sacerdotum, iusta de causa, diebus etiam ferialibus, et etiam trinandi, ubi vera necessitas adest, diebus dominicis et festis de praecepto.

8. Dispensandi ab irregularitate ex defectu (can. 984 CIC) et ab irregularitate quae conversis ex haeresi vel schismate incumbit (can. 985, 1° CIC) necnon ab impedimentis (can. 987, 1° CIC) quibus filii acatholicorum adstringuntur.

9. Dispensandi super impedimentis matrimonialibus: facultates amplificentur et determinentur a SS. Congregationibus iuxta competentiam.

10. Sanandi in radice matrimonia invalida ex impedimento disparitatis cultus et ex defectu formae.

11. Permittendi usum memorialis rituum Benedicti Pp. XIII in ecclesiis minoribus pro benedictione candelarum in festo Purificationis B. M. V. et cinerum die prima Quadragesimae.

12. *a*) Libere ingrediendi et permittendi, iusta et gravi de causa, ingressum in clausuram papalem aut egressum ab eadem;

b) dispensandi, iusta de causa, a dote religiosarum;

c) dimittendi aut transferendi sodales religiosos, urgente gravissima necessitate, si Superior non providerit, re iudicio Sanctae Sedis sine mora delata.

13. Concedendi sororibus facultatem corporalia, purificatoria et pallas prima etiam ablutione purificandi.

14. Concedendi sacerdotibus facultatem erigendi, ritibus ab Ecclesia praescriptis, stationes Viae Crucis, cum omnibus indulgentiis quae huiusmodi pium exercitium peragentibus, a Summis Pontificibus impertitae sunt.

IV – Privilegia et indulta Episcopis personaliter tribuenda

1. Audiendi ubique terrarum confessiones;
2. Absolvendi ab omnibus censuris, exceptis tantum censuris Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatis et illis, quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii;
3. Verbum Dei ubique praedicandi, loci Ordinario non renuente;
4. Conservandi in proprio sacello Ss.mam Eucharistiam;
5. Discedendi ab Ecclesia Cathedrali tempore Adventus et Quadragesimae, abrogata dispositione can. 338, § 3 CIC.

V – Leges Codicis quarum mutatio exoptatur

1. Abrogentur quae in can. 1006, §§ 2-5 CIC praescribuntur ita ut Episcopi Ordines extra tempora conferre valeant, cum valde iuvet ad vocationes fovendas Ordinationes peragere in pluribus ecclesiis paroecialibus.

2. Non sint amplius Sedi Apostolicae reservata, ita ut ab Ordinariis libere conferri valeant — salva tamen lege concursus, ubi viget — beneficia quae vacaverint per beneficiarii obitum in Urbe, et beneficia curata quae vacaverint per obitum, promotionem, renunciationem vel translationem familiarium, etiam honoris tantum, Summi Pontificis.

3. In alienatione bonorum ecclesiasticorum et in aere alieno contrahendo, Coetus Episcoporum uniuscuiusque nationis proponat summam ad quam pertingere possit potestas Ordinariorum, inde a Sede Apostolica approbandam.

4. Revisio fiat systematis iudiciorum ecclesiasticorum, praesertim celerius definiantur causae matrimoniales, ita ut, inter alia, sententiae citius edantur et patefiant Ordinariis.

5. Recognoscatur liber V CIC de delictis et poenis.

VI – Exoptanda circa praxim SS. Congregationum

1. Taxae in casibus in quibus aes alienum contrahitur ad providendum necessitatibus dioecesis vel piarum causarum aboleantur.

2. Relationes ad Sanctam Sedem mittendae, minuantur, simplificentur, unificentur, coordinentur.

3. Antequam promulgentur acta vel decreta SS. Congregationum in diariis vel ephemeridibus, Ordinariis locorum, quantum fieri potest, nota fiant.

4. Episcopi diversarum nationum, designati a Conferentia Episcopali Nationali, nominentur Consultores SS. Romanae Curiae Congregationum a quibus convocentur, statutis temporibus, ad maximum commune bonum tuendum, ad communia damna avertenda.

5. Adnitantur SS. Curiae Romanae Congregationes ut Episcopos valide adiuvent in regimine dioeceseos, eis mentem Apostolicae Sedis pandendo, eorum quaesitis plene respondendo, rationes tradendo quibus aliquando eorum petitionibus satisfieri nequit, et omnino praetermissis quondam usitatis formulis.

6. Episcopi, vero, consilia ipsasque decisiones SS. Congregationum reverenter accipiant, scientes eadem fulciri rationibus boni communis, ampliori rerum totius Ecclesiae usu, ipsius Romani Pontificis approbatione quoad graviores, necnon, aliquando, necessario tutamine iuris alterius personae.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 27 septembris - 7 octobris 1961.

NOTAE

[1] Concilium Vaticanum, sess. IV, Const. *Pastor aeternus,* prooem.

[2] Wernz-Vidal, *Ius Can.,* vol. II, *De Personis,* n. 579.

[3] Ibid., n. 429.

[4] Mansi, t. 53, p. 339.

IV

DE RATIONIBUS INTER EPISCOPOS ET PAROCHOS *

Episcopi sunt pastores et patres gregis sibi commissi, immo tam patres « *ut inter cetera Episcoporum lineamenta et dotes illud emineat, ut iidem paternam in se referant imaginem* ».[1] Quod potissimum in eos ostendant oportet qui gregis praecellentem efformant partem, parochos videlicet, quibus et cooperationis contulerunt onus [2] per sacri presbyteratus ordinem, et quandam corresponsabilitatis subministrationem [3] in Christi corpore mystico aedificando per curae animarum officium participarunt.

Parochi autem, « *auctoritate ecclesiastica instituti* », quorum « *officium ex iure divino, quod mediatum et hypotheticum vocant, proficiscitur* »,[4] sunt et ipsi, sub Episcopo, veri nominis et pastores animarum et patres, eius filii eiusque adiutores. Paroecia est dioeceseos « *pars ac vivens veluti membrum* »,[5] dioeceseos « *veluti cardo, circa quem omnis pastoralis navitas, in eius finibus praestanda, vertitur, instimulatur atque ordinatur* ».[6] Ex quibus liquido patet parochorum ad Episcopos necessitudines super vincula non solum iuridicae disciplinae sed potissimum supernaturalis caritatis esse fundandas, ita ut consociatio eorum voluntatum cum Episcoporum voluntate profundiorem perficere suam ipsorum cum Christo per Ecclesiam spiritualem unionem, et uberiorem suam pastoralem actuositatem reddere valeat.

Hinc magnum speratur bonum paroeciis eventurum et per paroecias dioecesi « *quae maior est animarum consociatio* », atque universae denique Ecclesiae, cui per dioecesim paroeciae conglutinantur.[7]

Quoniam igitur dare paroeciis bonos pastores, qui supernaturali spiritu ducti animarum curae se devoveant, est res maximi momenti pro populi christiani aeterna salute, opus omnino est ut Episcopis, quibus et onus pastorale totius incumbit dioeceseos et plenior prae ceteris sive gregis necessitatum sive uniuscuiusque clerici virium inesse cognitio praesumitur, amplior quoque a iure tribuatur agendi facultas in parochorum nominatione et amotione.

Proinde in expolitiore notione paroecialis officii — quod nempe non in iure beneficiario utendo essentialiter consistit sed in munere pastorali curae animarum gerendae — fundandum videtur *stabilitatis* institutum ab eaque clarius dimetiendum, ita ut parochi in eadem paroecia stabilitas eousque

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in congregatione altera sessionis quartae, die 21 febr. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 577-597.

recognoscatur quousque revera illam animarum bonum exigat. Consequenter etiam negotium *amotionis* administrativae parochorum nova indiget iuridica formula quae, servata naturali aequitate et data amovendis sufficienti suae defensionis facultate, permittat Episcopis, ob praevalens animarum bonum, simpliciorem, expeditiorem definitivumque modum agendi.

I – De pastoralibus rationibus inter Episcopos et parochos

1. § 1. Parochus est sacerdos vel persona moralis cui, tamquam pastori proprio, officium curae animarum in paroecia sub Ordinarii loci auctoritate exercendae, est collatum.

§ 2. Proinde parochus singulari et strictiore prae ceteris Clericis nexu cum Episcopo se vinctum sentiat oportet quatenus non solum « cooperator ordinis »[8] episcopalis per sacerdotium ab eo receptum est constitutus, sed insuper per paroeciale officium ab eo collatum praecipuus comparticeps illius pastoralis sollicitudinis ac responsabilitatis, et quasi quidam cum eo pro tota dioecesi sponsor est effectus.

2. § 1. Studeat igitur parochus Episcopum, uti patrem sui sacerdotii immo et « typum Patris » D. N. Iesu Christi,[9] revereri et in caritate non ficta diligere.

§ 2. Cum Episcopus iure divino sit ordinarius et immediatus pastor in dioecesi sua (can. 334 CIC), habeatque ius et officium gubernandi dioecesim tum in spiritualibus tum in temporalibus cum potestate legislativa, iudiciaria et coactiva ad normam sacrorum canonum exercenda, unusquisque parochus tenetur oboedientiam, reverentiam et fidelitatem Episcopo praestare et eius mandatis, decretis et consiliis prompte et sincere parere.

3. Parochus gaudeat Episcopum videre, ei tamquam filius animum et proposita aperire, patris consilia libenter excepturus. Pro inviolabili denique regula habeat « nihil sine Episcopo », nedum contra Episcopum, ipsum cum suis ovibus moliri.

4. Etsi Episcopus plena et immediata polleat in singulos dioeceseos christifideles potestate, tamen parochus est obvium hos inter et Illum unionis vinculum. Propterea parochus verbo et exemplo, forma factus gregis ex animo, amorem et oboedientiam paroecianorum in Episcopum excitet ac foveat; publicas saepe preces pro Eo promoveat (v. g. in die anniversaria electionis seu consecrationis, etc.); Episcopum in suam paroeciam secundum opportunas occasiones invitet; documenta episcopalia christifidelibus innotescere faciat.

5. Episcopus vicissim suos parochos magni faciat ac diligat, intuitu quoque gravium difficultatum quae hisce nostris temporibus paroeciali officio occurrunt; eos non tamquam servos sed tamquam amicos, immo filios carissimos habeat et praecipuos in pastorali munere adiutores, e quorum vita et labore maxima pendet ex parte gregis sibi commissi aeterna salus.

6. Proinde eos bene cognoscere satagat, praesertim per crebras congregationes dioecesanas vel intervicariales; paternis colloquiis et prudenti vigi-

lantia de eorum indole, ingenio, vita spirituali et zelo, valetudine physica, statu oeconomico, familia etc. certior fiat; nonnisi rationabiliter et sine eorum animae periculis eis munia concredat; sobrie, numquam coram aliis, redarguet, immo, ad populum verba faciens, prudenter laudet; eorum iustis inceptis faveat; contra iniustos oppressores strenue defendat; eos aegrotos consoletur praesens vel saltem scripto; defunctos ipse, per se vel per alium, quantum fieri potest, funeret.

7. Parochorum existimationem Episcopus publice patefaciat suam in eos fiduciam ostendens, aures minime faciles dicteriis contra eos praebens, optimos ex eis vocans ad munia dioecesana quae cum paroeciali officio componi possint, in gravioribus dioeceseos negotiis, etsi non obligatus, eos sententiam rogans.

8. Ita denique Episcopus in suos parochos et parochi vicissim in suum Episcopum se gerant ut omnes facile animadvertant necessitudines iuridicas et administrativas, quas profecto nemini detrectare licet, esse logicam et ultro amplectendam sequelam illius supernaturalis vinculi quod, ex divina Christi institutione, inter Episcopum eiusque clerum et fideles intercedere debet, quodque ordinem in primis dicit ad communem fidem, ad supernaturalem caritatem et ad unam eandemque vitam divinam.

II – De parochorum stabilitate [10]

1. Cum salus animarum suprema in Ecclesia lex sit, etiam officium paroeciale censendum est institutum non in commodum sacerdotis cui confertur, sed in spiritualem fidelium utilitatem qui eius curae committuntur.

2. Proinde parochi omnes stabiles in sua quisque sunt paroecia, prout officium expostulat pastorale. Tamen, id exigente animarum bono, possunt ab ea amoveri secundum quae sequuntur normas.

3. § 1. Abrogatis iis quae in can. 454, §§ 2-4 CIC et in can 494, §§ 2-4 CICO [11] habentur de parochorum vel paroeciarum inamovibilitate et amovibilitate, firmo tamen praescripto can. 454, § 5 CIC et can. 494, § 5 CICO quoad parochos ad religiosam familiam pertinentes, Episcopo ius est parochum quemcumque a paroecia amovere quando aliqua ex causis, quae in can. 2147, § 2 CIC demonstrative recensentur, vel alia, iudicio Episcopi, similis (v. g. ineptitudo evidens ad munus implendum quod attinet ad verbi Dei praedicationem, catecheticam institutionem, actionem catholicam, opera socialia, uno verbo ad graves et actuales vitae paroecialis necessitates), ipsius parochi ministerium, etiam citra gravem suam culpam, noxium aut saltem inefficax reddit.

§ 2. Nonnisi in casibus extraordinariis vicarius adiutor, praetermissa amotione, detur parocho, qui ob causam aliquam permanentem suis muniis rite obeundis impar evaserit.

4. § 1. Ad amotionem valide decernendam Episcopus, auditis tribus parochis consultoribus et veritate gravitateque causae cum eis discussa, pa-

rochum amovendum, nisi agatur de parocho vitio mentis laborante, scripto vel oretenus ad paroeciae renuntiationem faciendam paterne invitet, ei significans causam quae Ordinarium movet et argumenta quibus ipsa innititur, simulque indicans quibus subsidiis, ad normam can. 2154 CIC, renuntianti consulere intendat.

§ 2. In dioecesibus e pluribus nationibus compositis saltem unus e parochis consultoribus audiendis, sit eiusdem nationis ac parochus amovendus.

5. Parochi consensus in renuntiationem ipso iure praesumitur si intra 7 dies ab accepta renuntiationis invitatione oppositionem scripto ad Episcopum non significaverit.

6. Parochus renuens, intra 10 dies ab oppositione interposita, rationes seu probationes Episcopo in scriptis exhibere potest.

7. Episcopus, auditis iisdem tribus parochis consultoribus super oppositione et rationibus ab amovendo forte allatis, eas aut approbat aut definitive reiicit. Quo ultimo in casu applicantur cc. 2154-56 CIC.[12]

8. Episcopus ius quoque habet, ob animarum bonum vel Ecclesiae necessitatem seu utilitatem, parochum ad quodlibet aliud officium ecclesiasticum, etsi diversi ordinis transferendi, servata ad validitatem in omnibus eadem procedendi ratione quae pro parochi amotione statuta est.

9. § 1. Ordinarius loci, auditis ad validitatem duobus examinatoribus, decernat utrum, inspecta necessitate ministerii, parochi qui septuagesimum aetatis annum expleverint, vel alium terminum aetatis, in Conferentiis Nationalibus Episcoporum pro diversis locorum adiunctis praefinitum attigerint, in officio servari possint, aut ab eodem amoveri debeant.

§ 2. Parochi qui ita amoventur, ius habent ad congruam sustentationem ab Ordinario providendam, itemque privilegia honorifica servant quibus ratione officii legitime gaudebant.

10. Ad loci Ordinarium, audito parocho si Ordinario libuerit, competit ius nominandi vicarios cooperatores e clero saeculari.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 25 septembris - 7 octobris 1961.

NOTAE

[1] IOANNES XXIII in *Epist. Apost.* ad Archiep. Pechinen., 29 iunii 1961: AAS, LIII (1961), p. 466.

[2] Cf. *Pontif. Rom.* in Ordin. Presbyt.

[3] Cf. *Summ. Theol.* 2, 2^{ae}, q. 184, a. 6 ad 2 et 3.

[4] LEO XIII, Litt. Ap. *In superna rei christianae,* 10 iunii 1882: cf. Acta Leonis XIII, vol. III, p. 91.

[5] *Syn. Rom. Const.* 101, d.

[6] *Syn. Rom. Const.* 100.

[7] *Syn. Rom. Const.* 101, d.

[8] Cf. *Pontif. Rom.* in Ordin Presbyt.

[9] S. IGNATIUS, *Ad Trall.* III, 1.

[10] Textus huius schematis partis concordatus est inter Commissionem de Episcopis et de Dioeceseon Regimine et Commissionem de Disciplina Cleri et populi christiani.

[11] Motu Proprio *Cleri Sanctitati,* 2 iunii 1957: AAS, XXXXIX (1957), p. 433 sqq.

[12] Commissio de Episcopis et de Dioeceseon Regimine praeterea proponit addenda haec verba: « et paroecia vacans, abrogato recursu de quo in can. 2146 CIC, potest stabiliter de novo pastore ab Episcopo provideri ».

V

DE EPISCOPORUM COADIUTORIBUS ET AUXILIARIBUS DEQUE EPISCOPORUM CESSATIONE A MUNERE PASTORALI *

Animarum salus lex semper in Ecclesia fuit eritque suprema, nam Christus Dominus « *ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculi continerentur* ».[1]

Haec igitur suprema lex numquam non est prae oculis habenda cum de pastorali ministerio fit sermo, atque adeo cum de officio agitur episcopali, quo « *nihil esse in hac vita, et maxime hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius* »[2] nemo est qui non videat. Episcopi enim ex divina institutione peculiaribus praeficiuntur ecclesiis tamquam Pastores, omnes sibi commissas oves salvaturi deque iis « *quasi rationem reddituri* ».[3] Unde tales ipsi in suo munere gerendo sint oportet, qui finem illum divinum efficientissima qua possit ratione consequi valeant.

Duas vero, inter alias, in hac re difficultates easque graves nonnumquam oriri neminem latet. Quarum altera est quod Episcopus, infirmitate vel provecta aetate gravatus, suo officio, sicut oportet, explendo impar evadat; altera quod Episcopus, viribus licet validus ac potens, nequeat, ob nimiam dioecesis amplitudinem vel nimium incolarum numerum vel peculiaria apostolatus adiuncta, ipse solus episcopalia munia, sicut animarum exigit bonum, adimplere.

Prior difficultas ordinarie non aliter superanda censetur quam per generosam valdeque meritoriam renuntiationem ex parte Episcopi, et per consequentem novi Pastoris constitutionem. At casus omnino peculiares excludi non debent in quibus, Sanctae Sedis iudicio, veluti exceptionaliter per Coadiutoris vel Auxiliaris concessionem provideri expediat.

Alteri vero difficultati ordinarie est subveniendum per dioecesis divisionem aut dismembrationem; quod tamen ubi, Sanctae Sedis iudicio, fieri nequeat, non restat nisi ut Episcopo in subsidium unus pluresve Auxiliares vel unus constituatur Coadiutor.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in prima congregatione sessionis sextae, die 3 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 643-675.

Profecto cessatio a munere episcopali, cum res sit gravis pro Ecclesia momenti, non uni cuiusque Episcopi voluntati relinquenda videtur — quod in recti regiminis detrimentum interdum vergeret fideliumque admirationem — sed, nulla id vetante theologica ratione, iuridicis normis quodammodo moderanda. Quae tamen normae bono quidem animarum potissimum prospiciant oportet, at simul, ut aequum est Piaeque Matris sensibus consentaneum, Episcoporum bene de Ecclesia meritorum honori ac dignitati.

Item opportunum videtur ut Coadiutoris et Auxiliaris officium ac potestas enucleatius et aequabilius ipso iure definiantur. Ille enimvero personae, hic sedis intuitu praecipue constituitur; sed, claritatis et uniformitatis gratia, proponitur ut, transmissa nunc in Ecclesia latina vigente inter « sedi datum » et « personae datum » distinctione, cum novissimo Orientalium Codice *Coadiutor* ille sit ac vocetur qui Episcopo cum iure successionis, *Auxiliaris* vero qui sine iure successionis Episcopo datur.

Cum denique diversus sit utriusque finis munusque, diversae sint oportet et utriusque facultates. Hae tamen facultates, licet in casibus particularibus multifariam possint a Sancta Sede et ab Episcopo adiuto augeri, ipso iure definiri ac conferri debent talesque esse quae, salva dioecesani regiminis unitate, Coadiutoris et Auxiliaris actuositatem reapse efficientem reddant atque in tuto ponant dignitatem characteri episcopali inhaerentem.

Ad quae omnia rite disponenda sequens proponitur Schema.

I - De Episcoporum Coadiutoribus et Auxiliaribus

1. Unius Romani Pontificis est Episcopo Coadiutorem aut Auxiliarem constituere, salvo, pro Orientalibus, praescripto can. 248 § 1 n. 4 et can. 327 § 1 *C.I.C.O.*[4]

2. Coadiutor datur Episcopo cum iure successionis; Auxiliaris vero datur Episcopo sine iure successionis.

3. § 1. Coadiutori, vi officii, ea in universa dioecesi potestas iurisdictionis in spiritualibus et temporalibus, cum iisdem facultatibus, competit quae iure communi ad vicarium generalem spectat, haud exceptis iis quae speciale seu peculiare requirunt mandatum, et nulla facta Episcopo coadiuto facultate sibi aliquid reservandi.

§ 2. Ampliores facultates in casibus particularibus possunt Coadiutori a Sede Apostolica, vel a Patriarcha pro Orientalibus, concedi seu ab Episcopo coadiuto committi.

§ 3. Coadiutor, ut canonicam sui officii possessionem capiat, necesse est Litteras Apostolicas seu Patriarchales ostendat Episcopo simulque Capitulo Ecclesiae Cathedralis ad normam can. 334 *C.I.C.* si de Latinis agitur, vel coetui consultorum eparchialium ad normam can. 397 § 3 *C.I.C.O.* si de Orientalibus agitur.[5]

4. Coadiutor Episcopo coadiuto semper sensus obsequii ac reverentiae exhibeat; in omnibus negotiis maioris momenti eum consulat; curet denique

ita in munere suo se gerere ut unitas regiminis, quantum fieri possit, sarta tecta habeatur.

Vicissim autem Episcopus Coadiutorem suum paterne diligat, existimatione prosequatur eique in munere obeundo faveat.

5. § 1. Si ob peculiarem dioecesis conditionem bonum animarum id exigat, ne renuat Episcopus Auxiliarem a Sede Apostolica expostulare.

§ 2. In casu nimiae territorii amplitudinis vel nimii incolarum numeri, Episcopus satagat ut Sedes Apostolica dioecesium dividat vel dismembret, aut saltem unum pluresve Auxiliares concedat.

6. § 1. Auxiliaris obtinet ipso iure potestatem et facultates vicarii generalis.

§ 2. Ampliores facultates in casibus particularibus possunt Auxiliarii a Sede Apostolica, seu a Patriarcha pro Orientalibus, concedi vel ab Episcopo committi. Episcopus autem habitualiter alii ne deleget quae Auxiliaris potest et vult ipse exercere.

§ 3. Auxiliaris ut canonicam sui officii possessionem capiat, necesse est Litteras Apostolicas seu Patriarchales Episcopo residentiali ostendat.

7. Si plures in dioecesi constituti fuerint Auxiliares, curetur ut singuli ad distinctas dioecesis portiones deputentur vel distinctis officiis dioecesanis praeficiantur, firma tamen manente eorumdem iurisdictione in solidum.

8. Munus suum Auxiliaris exerceat sub omnimoda dependentia ab Episcopo residentiali, nihilque magni momenti agat nisi eo consulto et probante.

9. Nisi aliud a Sede Apostolica, seu a Patriarcha pro Orientalibus, in casibus particularibus provisum fuerit:

1) cum Episcopi residentialis munere non exspirant potestas et facultates quas Auxiliaris obtinet a iure vel a Litteris constitutionis, ea tamen lege ut, sede vacante, nihil innovetur;

2) sede per mortem aut renuntiationem vacante, Auxiliaris fit ipso iure Administrator Apostolicus; quod si plures sint Auxiliares, ille fit Administrator Apostolicus qui antiquior est ratione muneris Auxiliaris in dioecesi, ceteris suas facultates ut supra retinentibus.

II – De Episcoporum cessatione a munere pastorali

1. Episcopi residentiales, Vicarii et Praefecti Apostolici, Abbates et Praelati nullius qui, ob permanentem valetudinis defectum, implendo pastorali muneri minus apti evaserint, enixe in Domino rogantur ut, secum rationes recogitantes de suscepto officio Deo reddendas, sua ipsi sponte renuntiationem a munere Summo Pontifici exhibeant, eius placitis generose obsecundare parati.

2. Etiam ingravescente iam aetate iidem de quibus in art. 1°, pro Dei atque animarum amore enixe rogantur ut suo officio sponte renuntient.

Hanc vero renuntiationem omnino fecisse censentur cum 75^{mum} aetatis suae annum iam expleverint.

3. In casibus de quibus in artt. 1° et 2°, Summi Pontificis erit, pro sua qua pollet suprema plenaque potestate et fraterna in Episcopos caritate, decernere, peculiaribus sive personarum sive locorum attentis circumstantiis, utrum renuntiationis acceptatio sit concedenda aut neganda aut differenda, an expediat renuntianti subvenire per Coadiutoris vel Auxiliaris constitutionem.

4. A munere episcopali ob infirmitatem vel aetatem cessantibus congrua providebitur sustentatio etiam, si casus ferat et ipsis placuerit, per alicuius consentanei officii collationem; honores et privilegia dimissi muneris servabuntur; in loco denique quem maluerint commorari et sepeliri licebit, non exclusa dioecesi cuius gubernationem antea gesserint, nisi Sedi Apostolicae aliud expedire visum fuerit.

5. § 1. Normae huius capitis vim legis obtinebunt pro Episcopis residentialibus, Vicariis et Praefectis Apostolicis, Abbatibus et Praelatis nullius qui tales prima vice post promulgatum Concilium Oecumenicum constituentur; pro ceteris vero habeantur tantum ut Sedis Apostolicae vota.

§ 2. Eaedem huius capitis normae nullum afferunt praeiudicium iuribus Patriarcharum Orientalium.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 5-13 februarii 1962.

NOTAE

[1] Conc. Vat. I, Const. Dogm. I *de Eccl. Christi,* DB 1821.
[2] S. AUGUSTINUS, *Ep. ad Valerium 21, ML* 33, 88.
[3] *Hebr.* 13, 17.
[4] Motu Proprio PII PP. XII *Cleri Sanctitati,* diei 11 iunii 1957.
[5] Ibidem.

VI

PRAECIPUAE DE ANIMARUM CURA QUAESTIONES *

PARS PRIOR

DE ANIMARUM CURA IN GENERE

NOTA EXPLICATIVA SCHEMATIS

Schema de animarum cura in duas dividitur partes, quarum prior de cura animarum in genere agit, altera vero de cura animarum in particulari.

Prima schematis pars duo capita comprehendit, quorum prius principia doctrinalia enunciat, alterum vero normas practicas proponit.

Huiusmodi normae practicae praecipua Episcopi officia respiciunt, quae nondum hucusque satis a iure canonico enucleata fuerunt et ideo quodammodo immutanda vel perficienda videntur. Itaque:

In Art. I, *De delectione et institutione Cooperatorum Episcopi,* nova habentur praecipue:

a) obligatio nullam reiiciendi vocationem sacerdotalem idoneam, ut dioeceses egentes adiuvari possint;

b) obligatio rationem studiorum litterarum humanarum et scientiarum in Seminariis ordinandi ad amussim studiorum civilium eiusdem gradus;

c) obligatio providendi spirituali vitae, spirituali ac sociali solitudini, necnon periodicae spirituali, doctrinali ac pastorali renovationi sacerdotum, quia si sal evanuerit, mundus saliri non poterit. Tempora quae praefiniuntur sunt tempora « critica », seu maioribus periculis obnoxia;

d) obligatio curandi institutionem religiosarum adaequatam apostolatui ab ipsis exercendo.

Ratio generalis horum omnium est quia cum Episcopus cooperatoribus egeat, eos seligere, accurate instituere, renovare et a periculis avertere tenetur. Quae de sacerdotum spirituali et pastorali cura proponuntur ex experientia deprompta sunt. Sacerdotes, enim, sunt « primae oves » gregis episcopalis.

In Art. II, *De Episcopo magistro et doctore Fidei,* pleraque nova sunt ex toto vel ex parte. Recolere sufficiat:

a) obligationem Episcopi doctrinam catholicam ore et scripto tradendi, quia magister praeprimis est;

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in prima et secunda congregatione sessionis sextae, diebus 3-4 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 676-790.

b) obligationem scholas cuiuscumque gradus (non exclusis Universitatibus) condendi et visitandi, necnon providendi institutioni catholicae alumnorum scholarum publicarum;

c) obligationem ordinandi in tota dioecesi praedicationem per commune programma;

d) obligationem evulgandi doctrinam socialem catholicam.

Quia necessitas urget populum christianum solide instituendi, urgentur nova et efficaciora media instructionis et diffusionis: scholae, Universitates, catechistarum efformatio, scholae catechisticae in domibus religiosis, praedicatio systematice ubique ordinata saltem intra dioecesim quia multi e domo et civitate exeunt diebus dominicis; radiophonia, televisio, etc. Magisterium Episcopi orale et scriptum quodammodo urgetur quia libentius et docilius a christifidelibus accipitur.

Totus Art. III, *De Episcopo pontifice,* eo ordinatur ut Sacrificium Missae et Sacramenta melius intelligantur; ut christifideles actuosam participationem in eis habeant iuxta Litteras Encyclicas *Mystici Corporis* et *Mediator Dei;* ut praecaveantur quaedam irrepentia pericula; necnon ut omnis auferatur species lucri et negotiationis.

Praecipuae quae proponuntur innovationes, ut abolitio taxarum et suppressio differentiarum in sollemnitate externa, consideranda erunt ut necessaria accommodatio hodiernae mentalitati, necnon ut modus ad Ecclesiam revocandi opifices et universam proletariam gentem.

Art. IV, *De Episcopo patre, pastore et servo,* condit novam disciplinam pro visitatione pastorali, pro Episcopis coadiutoribus et auxiliaribus et pro Vicariis generalibus; facit Capitulum canonicorum, qui iam est senatus Episcopi, eiusdem sedulus cooperator in regimine, in actione pastorali et liturgica et in catholica mentium institutione; commendat Consilium Pastorale Dioecesanum, Instituta Studiorum Pastoralium et Secretariatum Pastoralem; quaedam statuit de apostolatu exercendo in favorem sive operariorum, sive hominum scientificorum et studio vacantium; nova quaedam profert de archipresbyteratu (haec vox videtur exactior voce « vicariatus foraneus »), et praesertim de paroeciis in quibus, praeter alia, commendatur constitutio Consilii Paroecialis.

Visitatio pastoralis, in iis quae ad personas, apostolatum et actionem pastoralem spectant, reservatur Episcopo, quia Episcopi est pascere gregem. Nova disciplina de Episcopis coadiutoribus, de Vicariis generalibus, de Capitulis, de canonicis, necnon commendationes propositae circa Consilium Pastorale, Instituta Studiorum Paroecialium, archipresbyteratus, paroecias, etc., quaerere intendunt ampliorem et actuosiorem cooperationem cum Episcopo in actione pastorali, quae in dies difficilior et complexior evadit.

Quae de operariis et viris scientiae peritis, de migrantibus et de religionis neglegentibus statuuntur, obviam veniunt necessitatibus hodie ubique positis.

Quintus, denique, Articulus, *De Episcopo sponsore Ecclesiae universalis,* integram ordinat disciplinam de collaboratione dioeceseon cum Apostolica Sede in evangelizandis infidelibus, in adiuvandis dioecesibus egentibus et in apparandis necessariis instrumentis apostolatus nationalis et inter nationes pro communitatibus humanis determinatis, pro operariis, etc,.

Multa, ne dicam omnia, nova apparent in hoc Articulo quinto. Quae tamen non excerpta fuere ex Litteris Encyclicis *Fidei Donum,* hic et illic iam in Ecclesia Dei fiunt, atque necessaria videntur ut spiritualia bona aequitative distribuantur,

necnon ut Apostolica Sedes opportunum adiumentum undequaque recipiat nec sola derelinquatur in tot inter nationes necessitatibus.

Altera schematis pars normas practicas statuit pro spirituali cura quorumdam christifidelium coetuum, qui in difficilioribus adiunctis versantur ac proinde stabilem et ordinatam curationem plerumque habere non possunt: i. e. de emigrantibus (haec autem quaestio explicite a Pontificia Commissione Centrali posita fuit nostrae Commissioni); de maritimis, de aëronavigantibus, de nomadibus, de peregrinatoribus seu *turistis,* de christifidelibus communismo infectis.

Caput I

PRINCIPIA DOCTRINALIA

Art. I - *Una Redemptio pro omnibus hominibus*

Miserentissimus Deus aliud pepigit foedus per Moysen cum populo Israël; aliud per Christum cum populis gentium simul ac cum populo Israël; hac tamen differentia: quod « Moyses quidem fidelis erat in tota domo Dei tamquam famulus, in testimonium eorum quae dicenda erant: Christus vero tamquam Filius in domo sua: quae domus sumus nos »[1] nam Deus et Pater Domini Nostri Iesu Christi « praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum ».[2]

Hominum, vero, redemptio semel pro semper et semel pro omnibus hominibus a Christo facta est in cruce. Ipse, enim, « semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis »;[3] « in Christo, ergo, habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius ».[4]

Antequam redemptionem consummaret, Christus « dedit hominibus sermonem » Patris sui,[5] ut « cognoscerent solum verum Deum et quem misit Iesum Christum »,[6] quod est principium vitae aeternae; dedit et « aquam salientem in vitam aeternam »,[7] ex qua et Spiritu Sancto omnes homines nascituri erant;[8] dedit panem corporis sui manducandum et vinum sanguinis sui bibendum [9] ut homines vitam aeternam haberent;[10] dedit novam legem perfectiorem, mandatum scil. caritatis ut ad vitam homines ingredi possint.[11] Post consummatam, vero, redemptionem, sicut Christus « missus erat in mundum (a Patre), ita (ipse) misit Apostolos in mundum »[12] qui hominibus darent « Patris sermonem qui veritas est »;[13] qui « gentes baptizarent in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti et servare docerent quaecumque mandavit eis ».[14] Apostolis dedit Pater « alium Paraclitum »... « qui cum eis maneret in aeternum »[15] quia Redemptio communicanda erat omnibus hominibus ubique terrarum et usque ad consummationem saeculi. Ideo, Ecclesiam suam aedificavit super Petrum Principem Apostolorum, cui soli dedit claves totius regni Patris sui ut pasceret agnos et oves et confirmaret ceteros Apostolos fratres suos; omnes, tamen, fideles, iam « cives sanctorum et domesticos Dei » factos, « superaedificavit super fundamentum Apostolorum »[16] « in habitaculum Dei in Spiritu ».[17]

Art. II *Redemptio communicanda per Apostolos in Ecclesia*

Omnes, quidem, homines, quia redempti, possunt « adoptionem filiorum recipere »[18] sed non per se ipsos solos, sed per Ecclesiam quae est « columna et firmamentum veritatis »,[19] et « quam Christus adquisivit sanguine suo ».[20]

Ecclesia, per Apostolos qui ab initio cum Christo fuerunt,[21] testis Christi facta est « in Ierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae »,[22] nempe « testis Christi passionum »[23] et « testis resurrectionis eius ».[24] Inde, Apostoli « profecti praedicaverunt ubique »;[25] et « qui receperunt sermonem (Apostolorum), baptizati sunt ».[26] Si et quando iudaei, « positi in lucem gentium »[27] repellebant verbum Dei, Apostoli convertebantur ad gentes quae, si verbum Dei recipiebant, baptizabantur et novae hominum communitati quae est Ecclesia apponebantur.

Art. III - *Actio pastoralis in Ecclesia*

Hinc bene intelligitur quid Episcopi, pastores in Ecclesia Dei, agere debeant ut Christi mandatum Apostolis iniunctum adimplere dicantur, seu quam actionem evolvant oportet ut Redemptio ad omnes homines perveniat et rite illi applicetur.

Actio pastoralis esse debet, *praeprimis,* « testimonium de lumine »[28] quod Christus est; et dupliciter fieri debet: verbo vitae et vita Verbi, sicut dupliciter fecerunt et Ioannes Baptista et discipuli omnes; quia si unum testimonium de Christo tantummodo perhibetur, impar et incompletum est. Ideo Timotheo dictum est ab Apostolo: « ... exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate ».[29] Sed quia « voluntarie genuit nos (Pater) verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius »,[30] et quia « fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi »:[31] annuntiatio sermonum Domini qui sunt « verba vitae aeternae »,[32] est, in ordine logico et chronologico, primum et necessarium stadium actionis pastoralis.

Secundo, autem, actio pastoralis eo ordinatur ut homines « fidem ex auditu concipientes, libere moveantur in Deum credentes... illud, imprimis, a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem quae est in Christo Iesu;[33] ... ac, dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata ».[34] « Nam fides, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit ».[35]

Tertium, denique, stadium actionis pastoralis in eo consistit quod fideles, post auditum et corde receptum verbum salutis, post baptismalem regenerationem et eucharisticum nutrimentum caritatis et gratiae, tuta via perducantur in regnum Patris aeternum. Communicatio, enim, sive applicatio Redemptionis non unicuique hominum redemptorum relicta et commendata est, sed Apostolis quos Christus misit in universum mundum, sicut ipse mis-

sus fuerat a Patre. In Ecclesia tantum oeconomia salutis ordinaria a Christo posita est. « Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum »,[36] ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur ».[37] Ecclesia Christi, utpote societas hominum supernaturalis et visibilis, hierarchice instructa, penes quam sunt sermones Christi, sacrificium et sacramenta Christi, et mandatum novum caritatis, regi ac pasci debet ab eo (Romano Pontifice, Successore Petri) et ab illis (Episcopis, successoribus Apostolorum) quibus regendi ac pascendi potestas a Christo data est.

Inde est quod illa quam dicimus actionem pastoralem Apostolorum eorumque successorum sit testimonium verbis et vita ab eis dandum de incarnatione, passione et resurrectione Christi, ut homines fidei nati, per baptismum ad adoptionem filiorum et per fractionem panis ad caritatem perfectam veniant, qua ad Patrem, ad Christum et ad fratres uniti et Ecclesiae membra facti, « novam terram et novum coelum »[38] possidere possint in die iudicii.

Art. IV - *Actio pastoralis Episcoporum ad redemptionem communicandam hominibus*

Quia, vero, Redemptio universalis quoad homines et perpetua quoad tempus fuit, universalis et perpetua est Ecclesia; perennis quoque et universalis debet esse actio pastorum Ecclesiae.

Romanus Pontifex, qua successor Petri, habens ex institutione divina « sollicitudinem omnium Ecclesiarum »,[39] « super omnes alias (ecclesias) ordinariae potestatis obtinet principatum »[40] ac potestatem vere episcopalem et immediatam.[41] Romani Pontificis primatus est numquam rupta continuatio primatus Petri.

In communione fidei, sacramentorum et oboedientiae cum Petri successore sunt in Ecclesia Dei Episcopi « qui positi a Spiritu Sancto »,[42] in Apostolorum locum successerunt tamquam veri pastores, et « assignatos sibi greges singuli singulos pascunt ».[43] Episcopi, ergo, quia locum Apostolorum tenent, omnibus gentibus verbo et vita sua testimonium perhibere debent de incarnatione, passione et resurrectione Iesu Christi Salvatoris, « bonum depositum (fidei) custodiendo per Spiritum Sanctum »,[44] ne baptizati « circa fidem excidant »[45] utque infideles « convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate Satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum et sortes inter sanctos per fidem ».[46]

« Christifideles omnes unum arctissimumque efficere corpus »,[47] quod est Ecclesia, perspicuum est. Ecclesia, vero « sacerdotale Iesu Christi munus imprimis pergit..., primario loco, ad altaria, ubi Crucis sacrificium perpetuum repraesentatur et, sola offerendi ratione diversa, renovatur; deinde, vero, per sacramenta, quae peculiaria instrumenta sunt, quibus superna vita ab homi-

nibus participatur; postremo, autem, per laudis praeconium quod Deo Optimo Maximo offertur »,[48] et quia « non omnis qui dicit Domine, Domine, introibit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem Patris »,[49] Episcopi homines facere debent Christi discipulos qui caritatis legem et beatitudinis viam sequantur.

Hoc fit, imprimis, ab Episcopis qui praeficiuntur propriae Ecclesiae dioecesanae in qua « pascunt qui in eis est gregem Dei »,[50] tamquam successores Apostolorum ex iure divino. Huic suo gregi debitores Episcopi sunt ministerii verbi,[51] ministerii gratiae et cultus,[52] et ministerii servitii.[53] Simul ac globatim hoc ministerium fit in tota dioecesi christifideles docendo « tamquam auctoritatem habentes », pro eis redemptionis sacrificium offerendo et sacramenta ministrando, ac eos membra viva faciendo Corporis Christi mystici. Singillatim, quasi tangentes unumquemque hominum redemptorum, fit per paroeciam, ubi sacerdos « secundi ordinis », missus ab Episcopo, docet, baptizat et pascit, id est, gignit per fidem, iustificat per missam et sacramenta, et conducit per caritatem oves gregis episcopalis.

Episcopi sunt, ante omnia, successores Apostolorum. Quia successores eorum sunt, docent et pascunt; et quia successores eorum sunt, a Spiritu Sancto positi fuerunt « regere Ecclesiam Dei »,[54] et ideo attendere debent sibi et universo gregi.[55] Unde liquet quod « unusquisque Episcopus, qua legitimus Apostolorum successor, ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris, Ecclesiae, una cum caeteris Episcopis, sponsor fit, secundum illa verba quae Christus ad Apostolos fecit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*. Haec quae *omnes gentes... usque ad consummationem saeculi* amplectitur missio, cum Apostoli de mortali vita decesserunt, minime decidit; immo in Episcopis communionem cum Christi Iesu Vicario habentibus, adhuc perseverat ».[56]

Ex iis pater Episcopos, qua successores Apostolorum, semper sub primatu Petri, esse praeprimis « magistros gentium »[57] qui eas « per Evangelium gignere »[58] debent; esse, insuper pontifices « ad offerendum munera et hostias »[59] constitutos; esse, tertio, pastores qui « providere debent non coacte, sed spontanee »[60] animarum saluti quas ambulare curabunt « in omni bonitate, et iustitia, et veritate »;[61] esse, demum, sponsores Ecclesiae Novi Testamenti in qua sunt « unum ovile et unus pastor »[62] et est « princeps pastorum », qui « cum apparuerit, homines redemptos percipere faciet immarcescibilem gloriae coronam ».[63] Patet etiam, Episcopos in Christo Iesu generare per Evangelium christifideles ad vitam fidei in mysterium Christi totalis, hoc est, in mysterium unius, sanctae, catholicae et apostolicae Ecclesiae; ac consequenter, a sacerdotibus et populo Dei habendos esse, quia revera sunt, tamquam gregis sibi commissi spirituales patres.

Cum vero ad tantum opus impares sint soli Episcopi, sibi in adiutorium deligere et instituere debent, tamquam « cooperatores ordinis »,[64] sacerdotes et diaconos qui in vinea Domini adlaborent; nam « ... sacerdotalis apo-

stolatus fastigium est... circa sacrum altare populum congregare, fidei vinculis coniunctum, sacro baptismate regeneratum, culpis emundatum... ».[65]

Eadem ratione, « aedificationem et incrementum Mystici Corporis Christi », cooperatores quaerere debent Episcopi eos viros ac mulieres « qui Deo mancipati religiosae vitae se dederunt ».[66]

Denique debent Episcopi eos quotquot possint collaboratores eligere et instituere laicos viros et mulieres qui « renati sunt non ex semine corruptibili sed incorruptibili, per verbum Dei »,[67] quo obsignati sunt charactere supernaturali eos sacerdotio Christi indelebiliter configurante.

NOTAE

[1] *Hebr.* 3, 5-6.
[2] *Eph.* 1, 5.
[3] *I Petr.* 3, 18.
[4] *Eph.* 1, 7.
[5] *Io.* 17, 14.
[6] *Io.* 17, 3.
[7] *Io.* 4, 14.
[8] *Io.* 3, 5.
[9] *Io.* 6.
[10] *Io.* 6, 54.
[11] *Mt.* 19, 17; *Io.* 14, 15; 13, 34.
[12] *Io.* 17, 18.
[13] *Io.* 17, 17.
[14] *Mt.* 28, 19-20.
[15] *Io.* 14, 16.
[16] *Eph.* 2, 19.
[17] *Eph.* 2, 22.
[18] *Gal.* 4, 5.
[19] *I Tim.* 3, 15.
[20] *Act.* 20, 28.
[21] *Io.* 15, 27.
[22] *Act.* 1, 8.
[23] *I Petr.* 5, 1.
[24] *Act.* 1, 22.
[25] *Mc.* 16, 20.
[26] *Act.* 2, 41.
[27] *Is.* 49, 6; *Act.* 13, 47.
[28] *Io.* 1, 7.
[29] *I Tim.* 4, 12.
[30] *Iac.* 1, 18.
[31] *Rom.* 10, 17.
[32] *Io.* 6, 69.
[33] *Rom.* 3, 24.
[34] *Trid.* s. VI, c. 6.
[35] *Trid.* s. VI, c. 7.

[36] *I Petr.* 2, 25.
[37] *Vat. I,* s. IV, c. 1.
[38] *Apoc.* 21, 1.
[39] *II Cor.* 11, 28.
[40] *Vat. I,* s. IV, c. 3.
[41] *Ibid.*
[42] *Act.* 20, 28.
[43] *Vat. I,* s. IV, c. 3.
[44] *II Tim.* 1, 14.
[45] *I Tim.* 6, 21.
[46] *Act.* 26, 18.
[47] PIUS XII, *Mediator Dei, A.A.S.,* XXXIX (1947), p. 523.
[48] *Ibid.,* p. 522.
[49] *Mt.* 7, 21.
[50] *I Petr.* 5, 2.
[51] *Act.* 6, 4 et 20, 24.
[52] *II Cor.* 9, 1; *II Cor.* 5, 18.
[53] *Lc.* 22, 26; *Col.* 1, 24-25.
[54] *Act.* 20, 28.
[55] *Ibid.*
[56] PIUS XII, *Fidei Donum, A.A.S.,* XLIX (1957), p. 237; cf. etiam BENED. XV, *Maximum Illud, A.A.S.,* XI (1919), p. 440 et PIUM XI, *Rerum Ecclesiae, A.A.S.,* XVIII (1926), p. 68.
[57] *II Tim.* 1, 11.
[58] *I Cor.* 4, 15.
[59] *Hebr.* 8, 3.
[60] *I Petr.* 5, 2.
[61] *Eph.* 5, 9.
[62] *Io.* 10, 16.
[63] *I Petr.* 5, 4.
[64] *Pontificale Romanum.* In ordinatione presbyterorum.
[65] IOANNES XXIII, *Sacerdotii Nostri Primordia, A.A.S.,* LI (1961), p 563.
[66] PIUS XII, *Mystici Corporis, A.A.S.,* XXXV (1943), p. 241.
[67] *I Petr.* 1, 23.

CAPUT II

NORMAE PRACTICAE

Art. I - *De delectione et institutione cooperatorum Episcopi*

1. Vocationes omnes, et sacerdotales et religiosas, magni faciat Episcopus; ac consequenter:

Adspirantes ad sacerdotium diligentissime seligat;

nec ullos, si idonei sint, reiiciat, quia, si non in propria, in aliis Ecclesiae dicionibus necessarii vel utiles erunt.

Eos in Seminario instituat et perficiat in caritate, paupertate, castitate, oboedientia, laboriositate, et praesertim in personali et apostolica responsabilitate coram Deo et Ecclesia; sed antequam ad Seminarium et ad sacros Ordines eos admittat, accuratam habeat rationem physicae sanitatis, et moralis ac religiosae indolis familiarum e quibus alumni exorti sunt.

Theologiae alumnos in progressivo pastorali tyrocinio exerceat ratione habita indolis, aptitudinis et specialis vocationis uniuscuiusque alumni, necnon necessitatum pastoralium.

Philosophiae, Theologiae, Sacrae Scripturae ceterisque disciplinis sacris in Seminario aciem praecipuam tempusque sufficiens alumnos semper impendere faciat; at in scientiis et litteris non minus instituere curet quam mos et usus propriae Nationis a studiosa iuventute exigunt.

Seminarium Minus ita instruat ut alumnorum institutio numquam inferior sit ea quae ab adulescentibus in scholis et lycaeis publicis recipitur.

2. Provideat Episcopus vigori spiritualis vitae sacerdotum in dioecesi degentium per annua exercitia spiritualia, per menstruam recollectionem, atque per sacerdotalis spiritualitatis cursus.

Provideat etiam spirituali et sociali solitudini suorum sacerdotum per seipsum vel per alios qui, ut amici, eos in situ visitent et cum eis de re interiore agant, necnon per opportunam translationem a loco aut ab officio quando id opus fuerit; immo et per communem commorationem semper laudandam et suadendam ubi possibilis sit.

3. Curet Episcopus ut suorum sacerdotum spiritualis, doctrinalis et pastoralis renovatio ter saltem in eorum vita fiat per unius vel duorum mensium spatium; nempe, intra primum post ordinationem quinquennium, non longe post decennium ab ordinatione et circa quadragesimum quintum aetatis annum. Renovatio illa fiat per cursum qui constet exercitiis spiritualibus per tempus ab Episcopo determinandum, collatione spirituali et oratione quotidianis, lectionibus de actuali stadio studiorum Sacrae Scripturae, Theologiae, Pastoralis, Liberalium Artium et Scientifici progressus, atque revisione vitae sacerdotalis et pastoralium methodorum.

4. Curet Episcopus ut religiosarum institutio convenienter aptetur, iuxta leges ecclesiasticas et civiles, exigentiis apostolatus cui operam dabunt; proinde, si casus ferat, instet superiorissis institutorum ut approbationi S. Sedis proponant opportunam constitutionum, horarii, consuetudinum et rationis studiorum adaptationem exigentiis apostolatus cui se addicunt.

5. Episcopus curet ut religiosae cooperationem suam praestent in promovendis Actione Catholica feminea et aliis operibus apostolatus feminei; quodsi talis muneris impares inveniantur, adaequatam formationem eis tribuere provideat.

6. Provideat Episcopus ut membra Institutorum Saecularium Actioni Catholicae et ceteris apostolatus dioecesanis operibus opem praestent, atque curet ut adaequate ad hoc instituantur.

7. Provideat Episcopus ut institutio laicorum, qui in Actione Catholica

vel in aliis apostolatus operibus partem habituri sint, accuratissime fiat tum in doctrina fidei et morum et in christiana spiritualitate, cum in doctrina sociali et in methodis apostolatus; ac praecipue laicos illos diligenter quaerat qui in scholis ac Institutis ab auctoritate ecclesiastica dependentibus solida doctrina et pietate informati fuerunt.

Art. II - *De Episcopo magistro et doctore fidei*

1. Per seipsum tenetur Episcopus, nisi legitimo detineatur impedimento, opportune praedicare atque catholicam doctrinam scripto tradere per litteras pastorales, declarationes et breviora monita; atque, data occasione, ne omittat verbum Dei ore transmittere in aulis publicis. Calleat oportet praecipuas linguas fidelium qui iamdiu in dioecesi versantur.

2. Graviter onerata conscientia tenetur Episcopus professores Seminarii et, si casus ferat, Facultatum Superiorum Ecclesiasticarum eligere qui, maxime periti cum sint, non minus eluceant vitae sanctitate, bona doctrina ac paedagogica sollertia. Eos, etiamsi religiosi sint, diligenter invigilet; de secura eorum doctrina certior semper sit; ac eos qui quoquo modo deficiant, a cathedra evertere ne dubitet.

3. Curet Episcopus scholas catholicas condere, tum elementares, tum medias, necnon scholas formationis professionalis pro adulescentibus, ac scholas cuiuscumque gradus praesertim ubi aliae desint quae educationi catholicae satisfaciant; necnon visitet, per se vel per alios, omnes scholas catholicas, etiam religiosorum omnium, et ipsas scholas publicas ubi lex civilis id facere concedat.

4. Faciat etiam Episcopus aperire, in singulis paroeciis, scholas catechisticas; et curet ut in omnibus domibus religiosorum et religiosarum, consultis superioribus, scholae catechisticae pro pueris et, quando fieri possit, pro adultis instruantur; nec omittat scholas catechistarum condere.

Si quae sint scholae altioris gradus, in quibus religiosa institutio ad normam c. 1373 § 1 non admittatur, curet Episcopus ut parochi, aliique sacerdotes idonei, curam specialem discipulorum extra scholam exerceant.

5. In unaquaque natione curet Conferentia Episcoporum unam saltem vel, si opportunum duxerit, plures Universitates catholicas condere ac iam conditas tueri, ubi alumni scientias ac litteras spiritu christiano informatas addiscant. Necnon omnes et singuli uniuscuiusque nationis Episcopi opem suam Universitatibus catholicis omnimode praestent.

6. Sedulo curet Episcopus ut in publicis scholis mediis et Universitatibus sacerdotes undequaque idonei sint qui alumnorum catholicae institutioni et spirituali vitae promovendae sese accurate impendant. Curet insuper ut in catholicis scholis mediis et Universitatibus sacerdotes sint qui de spirituali, liturgica et apostolica vita alumnorum sedulam curam agant.

7. Per parochos, sacerdotes et religiosos, tenetur Episcopus praedicationem systematice ordinare, mediante communi dioecesano vel nationali pro-

grammate seu summario, ad hoc ut, in omnibus omnino missis uniuscuiusque diei dominicae et festi de praecepto celebrandis in ecclesiis et oratoriis publicis et semipublicis, populus christianus ordinatim et constanter erudiatur. Nec praetermittat opportune tradere evulgandam doctrinam documentorum pontificalium.

8. Sedulo vigilet Episcopus ut adulti ad Baptismum, pueri et adulti ad primam Confessionem, ad primam Communionem et ad Confirmationem accedentes, adaequatis et distinctis lectionibus praeparentur. De idonea eorum praeparatione iudicium esto parocho eiusve delegato; sed si de adultis baptizandis agatur extra periculum mortis, iudicium esto Ordinario loci eiusve delegato.

9. Satagat Episcopus providere speciali nupturientibus pro contrahendo Matrimonio praeparationi catecheticae, morali et familiari, quae laudabiliter, ubi possibile sit, praesertim in magnis civitatibus, fiet per Instituta Praematrimonialia.

10. Diligenter provideat Episcopus ut Ecclesiae doctrina socialis in Seminariis, in Universitatibus et in scholis cuiuscumque gradus, in Actione Catholica, in omnibus paroeciis, in ephemeridibus etc. exponatur et apto modo evulgetur.

11. Sedulo curet Episcopus catholicam veritatem in caritate propagare per ephemerides, radiophoniam et televisionem, per bibliothecas populares, per lectiones sacras et per editiones et diffusionem Sacrarum Scripturarum.

12. Speciales culturae religiosae cursus, iuxta diversitatem auditorum, pro universitariis, pro technicis, pro artium cultoribus, pro operariis industriae, pro agricolis etc., opportune convocet Episcopus ita ut omnes christianam doctrinam audire possint.

13. Curet Episcopus ut per aptiora media in tota dioecesi advigilentur prelum, radiophonia, televisio ac spectacula in iis quae ad orthodoxiam doctrinae et christianam moralitatem spectant.

Art. III - *De Episcopo pontifice*

1. Curet Episcopus ut vita ovium sibi commissarum ita cum Missae sacrificio et Sacramentis devinciatur, ut hostiam viventem, sanctam ac Deo placentem sese continuo exhibeant. Idcirco, faciat Episcopus ut sacrosanctum Missae sacrificium fidelibus explicetur in sua intima connexione cum redimente sacrificio Crucis atque cum Christi resurrectione et glorificatione. Pari zelo curet ut sacrorum alumni populusque Christianus discant Redemptionem sibi praecipue applicari per Missae sacrificium et Sacramenta Novae Legis, eaque vinculum esse unionis cum Christo et cum membris Christi; necnon Missam pontificalem ab Episcopo statis diebus celebrandam altius exprimere unitatem, sanctitatem et catholicitatem Ecclesiae dioecesanae intra unitatem Ecclesiae universalis.

2. Curet etiam Episcopus ut praecipue in missis pontificalibus, necnon in missis dierum dominicarum et festorum de praecepto, christifideles sobrie

manu ducantur in participationem Missae per propriam oblationem, per communionem Corporis Christi, per responsiones, lectiones, caeremonias et cantum liturgicum.

3. Ad pietatis incrementum, foveat et ordinet Episcopus varias formas cultus Eucharistici Sacramenti aliaque pia exercitia in honorem mysteriorum Christi Domini necnon vigilet et ordinet publicam et privatam venerationem imprimis Beatae Virginis ac deinde Sanctorum.

4. Contendat Episcopus ut parochi, praedicatores et confessarii frequenter hortentur fideles ut saltem quotidie breves preces persolvant ac suum laborem Deo offerant, ut Missae diebus dominicis et festis adsint et verbum Dei audiant, ac demum ut Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta crebro recipiant.

5. Ut melius introducatur populus christianus in pleniorem Sacramentorum participationem et intelligentiam, exoptandum est ut quaedam saltem in iis administrandis, lingua vernacula dicantur. Insuper, curet Episcopus ut in administrandis Baptismo, Confirmatione, Matrimonio et quibusdam sacramentalibus, catechetica et liturgica brevis explanatio fiat.

6. Opportune edoceat Episcopus tum clerum tum christianum populum crebrae confessionis usum alacriorem per virtutis iter progressionem facere, morum pravitatem eradicare et gratiam augere; ac, consequenter, rem esse Spiritui Christi consonam et mystico Servatoris Corpori salutarem sacramentalis confessionis frequentiorem usum magni habere.[1]

7. Faciat Episcopus ut normae liturgicae rite ac digne ubique serventur in Missa, in officio chorali et in quocumque actu catholici cultus; et curet ut in Cathedrali ecclesia, in paroeciis et in ceteris principalioribus ecclesiis schola cantorum habeatur.

8. Constituat Episcopus Consilium Dioecesanum Apostolatus Liturgici, Musicae et Artis Sacrae quod vitam et apostolatum liturgicum foveat, quodque curet de liturgica et musicali educatione populi christiani, ac de exstructione et ornatu templorum iuxta leges artis sacrae, etiam in hodiernis formis architecturae, picturae et sculpturae.

9. Curent Episcopi, in Conferentia nationali vel provinciali coadunati, si ita pro tota natione vel provincia oporteat, ut edatur populoque tradatur liber precum qui praecipuos saltem textus Ordinarii et Proprii Missae ac Sacramentorum contineat, necnon preces communes aliaque pia exercitia, atque plures cantus gregorianos et populares, quorum usus in communibus sollemnitatibus communis fiat et externam unitatem roboret.

10. In administratione Sacramentorum et sacramentalium nullum fiat discrimen quoad sollemnitatem externam ratione habita ad differentias oeconomicas familiarum.

11. Ubi mos sit occasione Sacramentorum vel sacramentalium taxas persolvendi, hae laudabiliter substitui poterunt liberis oblationibus fidelium, si ita iudicio Episcopi, vel Coetus Episcoporum, vel Concilii Provincialis opportunum censeatur.[2]

Art. IV - *De Episcopo patre, pastore et servo*

1. Quia Episcopus tenetur praeprimis suos sacerdotes bene nosse et paterno amore diligere, eos semper in spiritualibus et pastoralibus assidua cura prosequatur, ac diligenter consulat congruae eorum sustentationi. Religiosos ac religiosas similiter paterna benevolentia suscipiat, et, quantum fieri possit, monialibus egenis auxilium praestet.

2. Satagat etiam Episcopus oves suas cognoscere et diligere, quod praecipue per Visitationem Pastoralem, per cooperatores suos ac per officium dioecesanum socio-religiosum obtinebit; nec obliviscatur alienas oves ad ovile Christi adducere teneri.

3. Visitatio pastoralis diligenter perficienda est:

§ 1. Ab ipso Episcopo, vel ab ipsius delegato in dignitate constituto, in iis omnibus quae, iuxta sacros canones, loca sacra et sacram supellectilem respiciunt, ut excessus defectusque inquirantur et opportunis remediis corrigantur ac praecaveantur ne in posterum reviviscant.

§ 2. Ab ipso Episcopo, dummodo non sit impeditus, in iis quae ad personas et ad apostolatum et actionis pastoralis directionem et impulsionem magis directe attinet. Haec, proinde, Visitatio complectatur oportet:

1) Praedicationem, si fieri potest, ex ore ipsius Episcopi.

2) Singulorum puerorum examen catechisticum, adiuvantibus si necesse sit, examinatoribus.

3) Actionis Catholicae, institutorum ecclesiasticorum, scholarum, confraternitatum, associationum fidelium ac scholarum accuratam cognitionem.

4) Secretariatuum dioecesanorum, operum dioecesanorum apostolatus, caritatis et aliorum id genus recognitionem et directionem.

5) De re spirituali et pastorali collationem cum sacerdotibus et religiosis utriusque sexus, necnon, si oportere videatur, cum christifidelibus in directione apostolatus laicalis collaborantibus.

4. Cum suis Episcopis coadiutoribus et auxiliaribus et Episcopis dioeceseon personalium, si qui forte sint, frequenter conferat Episcopus residentialis ut totius laboris apta distributio inter Episcopos, sive per territorii partes, sive per personarum coetus, sive per activitatum genera, sive per rituum diversitatem fiat.

5. Vicarii Generales in magnis dioecesibus constitui possunt quotquot, iudicio Episcopi, necessarii sint; et praeponantur diversi generis negotiis quae ad dioeceseos regimen pertinent.[3]

6. Capitulum Cathedrale canonicorum est clericorum collegium ideo institutum ut sollemniorem cultum Deo in Ecclesia dioecesana exhibeat, ac ut, sede vacante vel impedita, Episcopi vices suppleat: necnon ut Episcopum, ad normam sacrorum canonum, tamquam eiusdem senatus et consilium in dioeceseos regimine et in actione pastorali ac liturgica atque in mentium catholica institutione valide adiuvet.

Capitulum Collegiale eosdem habet fines ac Cathedrale, exceptis consilio

vel consensu dando Episcopo et Episcopi substitutione sede vacante vel impedita.

7. Capitulum canonicorum, sive cathedrale sive collegiale, diligentissime contendat ut populus christianus, ab ipso Capitulo edoctus, activam participationem habeat in Missa conventuali et in officiis dierum dominicarum et festorum de praecepto. Tenetur, insuper, ad populum christianum in singulis Missis eorumdem dierum brevem et simplicem concionem habere; et singulis annis, in civitate episcopali vel in alia ab Episcopo designanda, unum vel plures, iudicio Episcopi, cursus Theologiae vel Sacrae Scripturae vel alius ecclesiasticae disciplinae explicare, si fieri possit.

8. § 1. Praeter officium chorale, nomine et vice Ecclesiae dioecesanae semper praeprimis a capitularibus persolvendum, unicuique canonico, ratione praebendae, committatur ab Episcopo, quantum fieri oporteat, munus docendi in Seminario vel in Universitate vel in aliis scholis, aut collaborandi in Curia dioecesana vel in quodam secretariatu aut officio pastorali dioecesano.

§ 2. Episcopus a choro dispensare potest capitulares et beneficiarios qui cuidam muneri ab eodem ipsis commisso incumbunt. Sic ab Episcopo dispensati percipient fructus praebendae et distributiones quotidianas si nullam retributionem in munere obeundo accipiant, si secus, praebendae fructus dumtaxat, non autem distributiones.

9. Praebenda fruentes ab Apostolica tantum Sede impetrare possunt indultum emeriti seu, ut aiunt, iubilationis post septuagesimum aetatis suae completum annum una cum continuo et laudabili quadraginta annorum in eadem vel distinctis ecclesiis chori servitio; sed si hoc servitio chorali caruerint, nonnisi post septuagesimum quintum completum aetatis annum.

10. Nulla paroecia habeatur tamquam Capitulo unita pleno iure; semperque in ecclesia cathedrali aut collegiali, quae simul sit paroecialis, parochus sive sit capitularis sive non, dummodo non impediatur chorale servitium, habet omnes facultates quae ex iure parochis competunt.

11. Valde exoptandum est ut constituat et frequenter conveniat Episcopus Consilium Pastorale Dioecesanum, cui ipse semper praeerit Episcopus. In dioecesibus, autem, ubi Consultores dioecesani dentur ad normam iuris, vel idem Consilium Pastorale constitui potest vel eius munera Consultorum coetui committantur.

12. Iamvero, Consilii Pastoralis officium sit:

a) Episcopum edocere de dioeceseos et de singularum dioeceseos partium statu et spiritualibus necessitatibus, eumque consiliis adiuvare in iis tantum quae ad apostolatum spectant.

b) Studium et opus distribuere inter commissiones quae curant de promovendis et alendis activitatibus pastoralibus in universa dioecesi, et praesertim de evangelizandis viris scientificis et technicis et operariis industrialibus, fossoribus et agricolis.

c) Curare et invigilare ut efficacem et assiduum laborem evolvant in

dioecesi officia seu Secretariatus dioecesani ad apostolatum generalem vel peculiarem promovendum instructi.

13. In Consilium Pastorale Dioecesanum cooptentur ab Episcopo sacerdotes et religiosi qui apostolatui praecipue se dedunt. Religiosae et laici, sive viri sive mulieres, ab Episcopo convocari poterunt ad specialia negotia disceptanda.

14. Enixe commendatur unicuique nationi ut condantur Instituta quae studiis pastoralibus et socialibus operam navent ope sua collata cum provinciis ecclesiasticis.

15. Enixe commendatur Episcopis ut in sua quisque Dioecesi instruat Secretariatum Pastoralem qui apostolatum in universa dioecesi coordinare et exsecutioni mandare valeat.

16. Secretariatus, qui unus vel multiplex esse potest, eas complectatur oportet activitates quae in dioecesi vel magnam obtinuerunt vel obtinere debent acceptationem et stabilitatem, ut paroeciales, catechisticas, scholares, sociales, missionales et alias.

17. Faciat Episcopus ut plures sacerdotes virtute et scientia ornati apostolatui sociali praecipue incumbant.

18. Contendat Episcopus ut non solum parochi, sed etiam religiosi, religiosae, Actio Catholica, ceteraque opera apostolatus et caritatis confluant in suburbium civitatis ubi operariae familiae congeruntur.

19. Aperiat Episcopus aedes seu domos ubi commode et christiane diversentur iuvenes operarii qui extra propriam familiam exierunt laboris quaerendi causa.

20. Quia atheismus hodie potiri conatur viris peritis in philosophia, iure, liberalibus artibus, scientiis et technica, diligenter curent Episcopi nonnullos selectissimos sacerdotes et laicos ad Universitates Ecclesiasticas et civiles, necnon ad technica Athenaea mittere qui intellectuales et technicas activitates et homines iis deditos christiano spiritu imbuant. Ac diligenter provideant Episcopi conservationi et incremento spiritus et zeli apostolici horum sacerdotum et laicorum.

21. Curent Episcopi in sua quisque dioecesi et in Conferentia Nationali coadunati eos deligere sacerdotes et laicos qui circa homines arti et scientiae deditos apostolatum exercere valeant.

22. Per se vel per alios curent Episcopi ut vox christiana unius vel plurium catholicorum numquam absit a conventibus philosophicis, iuridicis, litterariis, scientificis et technicis; ac provideant ut, saltem semel in anno, scientiarum et artium cultores invitentur ad studendum verbum Dei in forma eis accommodata tamquam solum et exclusivum argumentum vel tamquam in aliis insertum scientificis argumentis.

23. Speciali cura tueatur Episcopus sacerdotes et alumnos Universitatum et Scholarum Superiorum.

24. Archipresbyteratus seu vicariatus foraneus * constet aliquot paroeciis quae, proximitate, viis communicationis et affinitate culturali, oeconomica et sociali, pari methodo coli possint. Ubi Episcopo necessarium videatur, definiantur ampliores circumscriptiones territoriales, nonnullos vicariatus seu archipresbyteratus eiusdem humanae regionis complectentes, praesertim in magnis civitatibus ubi plures constituere archipresbyteratus seu vicariatus necessarium et obligatorium erit.

25. Ad munus archipresbyteri seu vicarii foranei eligat Episcopus, pro tribus vel quinque annis, sacerdotem quem doctrina, pietate, zelo et oboedientia praestantiorem iudicaverit, qui pastoralem actionem communem in archipresbyteratu ducere, ac vitam spiritualem et culturalem sacerdotum promovere valeat.

26. Saltem semel in anno conveniat Episcopus cum suis archipresbyteris seu vicariis foraneis ut commune pastorale programma cum eis conficiat.

27. Divisio aut dismembratio cuiuscumque paroeciae fieri potest quoties id pro bono animarum necessarium vel utile Episcopo videatur, qui quidem providere debet ut paroeciae non minus magnae sint nec incolarum numero nec territoriali extensione, nec tam sero iam erigantur postquam novae aut immigrantes familiae a vita christiana abscesserint.

28. 1) Diligenter curet Episcopus ut paroeciae magnarum urbium, quantum fieri possit, generatim non superent numerum decem millium incolarum et obviam veniant familiis immigrantibus et recens constitutis.

2) Si fluxus emigrantium copiosus fuerit, et paroeciam erigere difficile sit, instruat Episcopus « missiones cum cura animarum » vel centra pastoralia in ipsis praegrandibus novis aedificiis habitationi hominum destinatis vel alibi.

3) Ubi Officium Dioecesanum Paroeciarum non habeatur, instruat Episcopus Commissionem Dioecesanam quae de novarum paroeciarum erectione ac de templorum paroecialium constructione constanter ac diligenter agat.

29. Provideat Episcopus ut saltem viciniores paroeciae debilioribus adiutorium pastorale et oeconomicum praestent; utque a Secretariatibus dioecesanis illustrentur et adiuventur saltem in iis quae universae dioecesi communia proponantur.

30. Ut accessus ad parochum semper liber sit et a nemine impediri possit, tenetur Episcopus parochos obligare ut in domo paroeciali commorentur, non apud consanguineos aut apud alios; et commendet ut sacerdotes praeser-

---

* *N. B.*: Nomen hoc « Vicariatus foraneus », impar et inexactum videtur quia nec in multis nec in magnis vices gerit dioeceseos, nec semper est extra civitatem episcopalem, in qua, si magna sit, hos districtus constituere opportunum et necessarium est. Exactius et proprius videtur, et ita proponitur, has circumscriptiones vocare « archipresbyteratus » vel « archiparoecias », et vicarios foraneos vocare « archipresbyteros » vel « archiparochos ».

tim parochi cum suis vicariis, si possibile sit, commorationem communem agant.

31. Curet Episcopus ut super universam dioecesim et peculiares huius regiones globaliter fiat apostolatus generalis per diaria folia, per radiophoniam et televisionem, per lectionum cursus quae ad opifices, ad magistros, ad technicos, ad scriptores, ad familias christianam deferant doctrinam, doctrinae defensionem, doctrinae applicationem, ac persuasionem necessitatis sese christiane instruendi et praemuniendi.

32. Curet Episcopus ut parochus cum suis vicariis studio socio-religioso paroeciae incumbat, familias systematice, et quantum fieri potest etiam fabriles officinas, visitet, et statum animarum diligenter cognoscat.

33. Commendet Episcopus suis parochis ut hi cum suis vicariis consilium ineant de praeparanda, oratione et studio, praedicatione, christifidelibus tradenda.

34. Provideat Episcopus ut parochi per se vel per alios praebeant paroecianis suis, in paroecia vel alibi, exercitia spiritualia, menstruas recollectiones, methodos orationis, spiritualem moderationem et alia huiusmodi, ad interiorem vitam fovendam.

35. Faciat Episcopus ut parochus cum suis vicariis cooperatoribus et sacerdotibus quoquo modo paroeciae adscriptis, frequenter, de regimine, institutione et sanctificatione fidelium conferat, et laborem, onera et emolumenta aequitative distribuat, iuxta normas ab Episcopo statuendas.

36. Parochis suis commendet Episcopus ut ad unitatem, sensum et amorem Ecclesiae paroeciaeque fovendum, constituant cum vicariis cooperatoribus, superioribus religiosorum operam in paroecia navantium et praesidibus Actionis Catholicae et praecipuorum operum laicalium Consilium Paroeciale, cuius erit parochum voto tantum consultivo adiuvare in iis quae ad opera complementaria paroeciae, ad res oeconomicas, atque ad apostolicam et oeconomicam coperationem fidelium excitandum et ordinandum praestent.

37. Pari modo curet Episcopus ut, statis temporibus, parochus conveniat superiores et superiorissas domorum religiosarum in paroeciali territorio sitarum, et cum illis consilium agat de collaboratione paroeciae praestanda et de labore apostolico coordinando.

38. Urgeat Episcopus parochos suos ut zelantissimo et constanti animo de Actione Catholica et operibus apostolatus laicalis curent, et bene delectas et coordinatas associationes et confraternitates actuosas conservent; et, si opportunum fuerit, eas spiritu renovet.

39. Per parochos provideat Episcopus ut territorium paroeciae populo frequentioris distribuatur in partes, et unicuique parti praeficiatur, si possibile evadat, sacerdos cum laicis adiuvantibus qui necessitatibus spiritualibus illorum paroecianorum speciali cura provideant.

40. Curet Episcopus ut parochus suis paroecianis, praecipue si operarii sint, templum apertum habeat et accommodet horarium et locum sacrificii

Missae, administrationis Sacramentorum, concionum et sessionum apostolatus et formationis; atque contendat conciones tradere et pastoralia instruere instrumenta paroecianis convenienter adaptata.

41. Pro indifferentibus et pro acatholicis et aliis instet Episcopus ut in paroecia instruantur, sub moderamine unius sacerdotis et unius ex officiis dioecesanis, quot sint necessarii coetus laicorum doctrina et integritate vitae christianae praestantium, qui, prudentibus et opportunis mediis, quavis alia agendi consuetudine non obstante, animas illorum Christo lucrari studeant.

42. Advigilent Ordinarii ut, saltem decimo quoque anno, sacram quam vocant missionem ad gregem sibi commissum habendam parochi curent (c. 1349 § 1), et in unaquaque paroecia missionalis praedicatio convenienter aptetur fidelium menti, indoli ac conditionibus. Studeant, insuper, Episcopi cuiusvis nationis ut semper praesto sit sufficiens numerus sacerdotum et religiosorum qui, zelo praestantes et praehabita necessaria praeparatione, idonei inveniantur missionarii ut congruenti modo distribui possint.

43. Ut partem habeat paroecia in propagatione Evangelii et in cura animarum spiritualiter vel materialiter egentium, faciat Episcopus ut per Consilium Paroeciale vel per Actionem Catholicam aut aliud opus, Missiones, emigrantes et egeni efficaciter adiuventur.

Art. V - *De Episcopo, sponsore Ecclesiae universalis*

1. Tenentur etiam Episcopi collaborare cum Apostolica Sede in allevianda Ecclesia persecutione afflicta; in operibus et associationibus internationalibus; et in colligendis et instituendis vocationibus sacerdotalibus et religiosis pro adiuvandis missionibus et dioecesibus quibus vocationes desunt.

2. Episcopi Apostolicam Sedem adiuvent in evangelizatione infidelium, animos cleri inde a Seminario suadendo, et operarios, nempe sacerdotes et optimos laicos mittendo, atque, quantum fieri possit, religiosos et religiosas pariter suadendo. Quod dupliciter exsequi poterunt: vel territorium suae dioecesi a S. Sede concreditum evangelizando per missos, a quibus competat, sacerdotes, religiosos, religiosas et laicos in perpetuum vel ad tempus, ac per scholas, Universitates, Seminaria, nosocomia, Actionem Catholicam, associationes et apta diffusionis instrumenta technica; vel operam suam aliis Ordinariis missionum navando cum delectis sacerdotibus et laicis qui, per quoddam annorum spatium, mittantur ut in scholis doceant, in Actione Catholica et sociali adlaborent, atque operosas apostolatus et caritatis consociationes promoveant.

3. Episcopi non solum dioeceses extrema necessitate laborantes, sed ceteras quoque quae egestate quadam afficiuntur, modo et mediis aptioribus, fraterna caritate adiuvent.

4. Episcopi, ut caritatem interdioecesanam foveant, constituant, in Con-

ferentia Nationali, Commissionem Episcopalem quae curet, sub directione S. Sedis, sacerdotes, et apostolos laicos et, collatis consiliis cum superioribus, religiosos et religiosas mittere, in perpetuum vel ad tempus, ad egentes dioeceses tum in Patria cum in exteris Nationibus donec hae sibi per seipsas sufficere possint.

5. Cum approbatione et sub ductu S. Sedis, Conferentiae Nationales Episcoporum, collatis inter se consiliis, instituant Commissiones Episcopales internationales quae communitatum humanarum specialium bono spirituali, internationalium necessitatum remedio, et apostolatus internationalis operibus consulant.

6. Multorum operariorum apostasia ab Ecclesia, quae evangelizare pauperibus missa est, exigit ex parte Ecclesiae ut Commissio Internationalis vel plures Commissiones Continentales Episcoporum constituantur quae, annuente S. Sede et adiuvantibus viris peritis, apostolatum continuum et efficacem doctrina et inceptis circa multitudinem operariorum et circa ipsos individuos indesinenter promoveant.

7. In unaquaque item Natione Commissio Episcopalis constituatur quae curet, una cum Commissione de Emigrantibus et aliis, de operibus socialiter et oeconomice necessariis organizandis ac de instruendis operibus necessariis pro operariorum spirituali, culturali ac materiali elevatione.

8. Conferentia Nationalis Episcoporum:

§ 1. Instituat pro tota Natione coetum virorum peritorum qui et doctrinam socialem Ecclesiae evolvant et evulgent et eam statim et opportune quaestionibus hodiernis applicent.

§ 2. Aperiatur saltem in unaquaque Natione ac, si fieri potest, in magnis dioecesibus Institutum Studiorum Socialium ubi opifices, domini, rectores negotiorum fabrilium et agricolarum, ac speciatim moderatores collegiorum opificum, in doctrina sociali Ecclesiae et in eius applicatione ad erumpentia problemata edoceantur; ac similiter curent Episcopi unum vel plures instruere coetus opificum (ACO, JOC, Confraternitates Laboris, ACLI, Instituta Saecularia, etc.) qui verbo, opere et exemplo vitae christianae ceteros operarios Christo lucrifaciant.

9. Quo melius Episcopi cum Apostolica Sede in his et aliis cooperare possint, firmis praescriptis canonum 111-117 de incardinatione et excardinatione clericorum, curent Episcopi sic sacrorum alumnos et sacerdotes suos instituere, ut sponte parati sint e propria dioecesi exire et alienam, etiam longinquam, dicionem adire perpetuo vel ad tempus, si Ecclesiae necessitas aut utilitas, iudicio Ordinarii et approbatione generali Sanctae Sedis, id postulet.

10. In Curia Romana instruatur Secretariatus pastoralis qui laudanda omnium dioeceseon incepta pastoralia et horum fructus colligat, perpendat, seligat et exponat; instruatur etiam Pontificia Commissio quae, collatis consiliis cum Commissionibus Nationalibus, de clero distribuendo et de vocationibus sacerdotalibus ubique tutandis sollicite agat ac pastorales actiones internationales promoveat et apte coordinet.

11. Apostolica Sedes, caput visibile et centrum totius Ecclesiae, ut apte possit occurrere sollicitudini omnium Ecclesiarum, etiam oeconomice adiuvanda est ab universa Ecclesia, id est, a Pastoribus et christifidelibus.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 5-13 februarii 1962.

NOTAE

[1] PIUS XII, *Mystici Corporis, A.A.S.*, XXV (1943), p. 235.
[2] Corrigitur can. 1507.
[3] Cf. can. 366, § 1 *C.I.C.*

PARS ALTERA

DE ANIMARUM CURA IN PARTICULARI

CAPUT I

DE EMIGRANTIUM CURA

Ob auctas in dies migrationes tam liberas quam coactas, summa necessitas urget, ut bono spirituali, morali et sociali emigrantium diligentissime provideatur, ne ipsi, asperitate conditionum vitae aut inopia spiritualis curae confracti, fidei donum amittant.

Cum enim exsul ad emigrationem neque in spiritualibus neque in socialibus rebus sit sufficienter paratus, factiosis vel atheis hominibus circumveniri potest, praesertim si desint sacerdotes eiusdem stirpis vel saltem eiusdem linguae.

Propter inopiam paternae curae spiritualis permulti emigrati a communistis aliisque catholici nominis osoribus decipiuntur. Quod periculum ad ipsam illorum patriam non raro extenditur cum nempe exsul, domum forte iterum petens et ab erroribus iam corruptus, falsae doctrinae fit propagator et administer inter suos concives.

Magnum quoque periculum provenit ex matrimoniis mixtis, quae non pauci demigrati contrahunt, quando sacerdotibus suae gentis expertes, ad arbitrium suum inter acatholicos vivunt.

Familiarum dissipatio ac dispersio ob iniustas aut ineptas leges civiles, quae alterius coniugis translationem concedere nequeunt vel communitatum migrationem collectivam impediunt, multam, proh dolor, ansam dare possunt adulteriorum, divortiorum ac bigamiarum.

Catholica filiorum educatio in nonnullis regionibus periclitatur ex neglectis idoneis aptisque institutionibus.

Accedit exaggerata nationalismi opinio de sic dicta praepropera « assimilatione » qua non pauci emigrati ob varia plerumque praeiudicia ab Ecclesia abstinent. Unde sapientibus ac paternis verbis Benedictus Pp. XV Episcopos

Brasilianos admonuit: « Ne advenae operarii... mutatione patrii soli patrios exuerent mores »,[1] cum eorumdem morum custodiam optimum reputaverit munimentum adversus perniciosos inimicorum fidei conatus.

Cum conditiones modernae vitae socialis et oeconomicae liberam ac mutuam humanarum spiritualium virium operam requirant, quae convenientibus diversorum populorum coetibus exoritur et ex qua melior perficitur humanitas, fovenda est pro bono eorumdem emigratorum tranquilla et sana integratio, quae mutuam tollens advenarum et indigenarum diffidentiam, vicissitudine beneficiorum communem salutem promovebit et utrique parti plurima afferet commoda magnamque utilitatem.

Attamen necesse est, ut emigrati sint fideles cives novae patriae, et eodem tempore diuturnam patriae originis memoriam servent iuxta illud S. Thomae: « Post Deum est homo maxime debitor parentibus et patriae, unde sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita secundario gradu ad pietatem pertinet cultum parentibus et patriae ».[2]

Ideoque emigrati studere debent arctam coniunctionem fovere cum antiqua patria eiusdemque Episcopis quos sedulo iuvare curabunt.

Nec praetereundum est singulare problema proveniens ex aucta multorum eruditorum hominum in praesens migratione, quae non solum numero sed etiam scientia, haud raro academica, veteres migrationes superavit. Si huiusmodi eruditi viri infima religionis cognitione acquiescant, magna orietur in ipsis dissensio inter exilem culturae religiosae gradum et elevatam eorumdem humanae scientiae cognitionem. Exinde fiet, ut alii Deum negligant, alii in pravum cynici agendi modum prolapsi, fidem pro sua quisque opportunitate deserant et abiiciant.

Ad instaurandam eruditorum hominum consensionem in scientificis et religiosis rebus multum proderit cooperatio cum sacerdotibus excultis, quorum studia ad maximam perfectionem pervenerunt.

* * *

Antiquo iam tempore Ecclesia Catholica *spirituali* advenarum et peregrinorum saluti prospicere studuit, quod optime probant scholae, hospitia, ecclesiae in eorum commodum, praesertim in Urbe constituta.[3]

De diversis etiam advenarum ritibus et linguis maximam curam habuit, ut ex decretis Concilii Lateranensis IV clarissime patet.[4]

De bono quoque *sociali* sollicita, Ecclesia damnavit principia « totalitarismi » et « imperialismi » Status necnon immoderati « nationalismi ».[5]

Quinimmo principia iustitiae et aequitatis pro operariis emigrantibus sollemni suo magisterio statuit atque firmavit.

Ipsius iuris naturalis assidua custos et magistra Apostolica Sedes ius familiarum ad spatium vitale haud semel proclamavit.[6]

Hisce saluberrimis contentionibus eadem Sancta Sedes clarissimum diadema imposuit anno 1952, Constitutionem Apostolicam *Exsul Familia* de

spirituali Emigrantium cura promulgans, quae universis afflictis gentibus emigratis magnum solatium contulit, et ordinandae spirituali eorum curae princeps instrumentum praebuit.

Omnibus profecto compertum est quantum studium quantamque operam Sacra Congregatio Consistorialis iam dudum impenderit et in praesens impendat in spirituale emigrantium bonum et salutem.

* * *

Cum illius salutiferae Constitutionis leges et praecepta nondum sufficienter in praxim deducta fuerint cumque elapso decennio in peius mutatae sint rerum hominumque necessitudines — plurimi namque fideles patriam suam aut domicilium ad victum quaerendum dereliquerunt et innumeri tranquilli cives, innocentibus pueris haud exceptis, patrio solo, securitate, libertate privati, coacti sunt in dissitis oris nova domicilia quaerere, quin immo nequissime deportati sunt — necessarium esse videtur summa principia et praecepta in memoriam revocare ut rite exsecutioni mandentur, quo spirituali et sociali emigrantium bono diligentius et aptius provideatur et praesertim Ordinariis locorum, sive emigrationis sive immigrationis, efficax ministerii sui adiumentum praebeatur.

Art. I - *Principia generalia*

Omnia quae in documentis magisterii ecclesiastici ac in sequentibus articulis resumuntur de iuribus emigrantium necnon de officiis quae Pastoribus erga eosdem incumbunt accurate servanda sunt riteque adimplenda.

1. Apostolica Sede praeeunte,[7] tenentur Episcopi sollertem curam habere de emigrantibus.[8]

2. Damnantur principia totalitarismi et imperialismi Status necnon immoderati nationalismi placita... quippe quae dum ex una parte naturale hominum ius ad emigrandum ad arbitrium coërceant, ex altera vero populos aliunde migrare compellant, incolas invitos deportent civesque e familia, e domo, e patria abstrahere nequissime audeant ».[9]

3. Proclamatur ius familiarum ad spatium vitale quod per emigrationem seu meliorem distributionem in superficie terrae exercetur.[10] Laudantur nisus et consilia quae ad haec iura tuenda incepta sunt.[11]

4. Sollemniter a pastoribus requiritur ut ius antiquitus fidelibus recognitum ad proprium ritum in divinis celebrandis, propriumque sermonem in ministrandis sacramentis et in verbo Dei audiendo, sancte servetur.[12]

5. Speciali modo laudandi sunt hi sacerdotes optimi, qui « utpote voluntarii exsules » spirituali ac sociali bono emigrantium prospiciunt.[13]

Art. II - *Normae practicae*

1) *De migratione externa.*

1. Ordinarii locorum in sua quisque dioecesi spiritum atque praecepta et monita Constitutionis Apostolicae *Exsul Familia* diligenter curare tenentur.

2. Curent Episcopi, ut in Synodis dioecesanis et frequenter etiam in conferentiis sacerdotum (can. 131 *C.I.C.*) sermo fiat de emigratione.

In Seminariis, ad roborandum « sensum catholicitatis » praeparentur alumni, qui postea, in paroecias immissi, immigrantes recipiant ut sacerdotem catholicum decet.

3. Firmo manente praescripto art. 39 Constitutionis Apostolicae *Exsul Familia* de « facultate adeundi, sacramentorum causa, matrimonio non excepto, cappellanum seu missionarium sui sermonis aut parochum loci », privilegium de quo in art. 40, n. 2° eiusdem Constitutionis Apostolicae extenditur ad secundum gradum lineae rectae inclusive.[14]

4. Instituatur in unaquaque natione, ubi viget emigratio vel immigratio sive interna sive externa sive temporaria sive perpetua, Commissio Episcopalis cui emigrantium cura committatur.

Impetretur a S. Congregatione Consistoriali nominatio Directorum Missionariorum pro diversis communitatibus ethnicis ac Directoris Operis de Emigratione pro tota natione et omnibus communitatibus.

5. Huic Commissioni ius et officium competit quaerendi et seligendi Missionarios et eos eorumque Directores moderandi.

Missionarii et praesertim eorum Directores bene noscant leges civiles quae emigrationem spectant ut consilio et opere praesto esse possint advenis.

6. Episcopalis Commissio, salvo cuiusque Ordinarii loci et Superioris Religiosi iure, speciali gaudet potestate, sed in sacerdotes et clericos dumtaxat.

7. Haec potestas, a Praesule, qui Commissioni praeest, vel ab eius Delegato exercetur.

8. *a*) Munere Delegati fungitur qui a S. Congregatione Consistoriali titulo Directoris Operum de Emigratione insignitur.

b) Pro singulis nationibus ubi propter persecutionem vigentem Commissio Episcopalis non datur, a Sacra Congregatione Consistorialis Director operum de Emigratione nominetur qui, in Urbe residens, potestate de qua in art. 6 munitus, sacerdotes eiusdem nationis tum profugos tum ceteros in exteris degentes ad servitium animarum eligere possit.

9. Ecclesiasticae Auctoritates et consociationes catholicae locorum immigrationis curent ut a potestate civili pro viribus facilius admittatur communitatum migratio, ad salvandam praesertim familiarum unitatem et integritatem.

10. *a*) Episcopi dioeceseon unde frequenter habetur profectio emigrantium, curent ut sacerdotes offerant dioecesibus ubi emigrantes sese constituant.

b) Normas Constitutionis Apostolicae *Exsul Familia* sedulo applicent, quae Comitatus vel Subcomitatus de Emigratione in Curia dioecesana et in paroeciis, unde multi emigrant, constituendos praecipit.

c) His autem Comitatibus, qui Episcopos et parochos de emigratione certiores faciunt et immediatam migrantium praeparationem curant, consociationes catholicae adiutricem operam navare tenentur.

11. Meminerint Episcopi, iuxta monita S. Congregationis Consistorialis, sacerdotes qui munere Missionarii pro emigrantibus multos annos in exteris nationibus perfuncti sint, magnum sibi meritum comparavisse; ideoque redeuntes in propriam dioecesim, si bene officium suum impleverint, benevole excipiantur vel adiuventur.

12. *a*) Quilibet loci Ordinarius tenetur curam spiritualem alienigenarum seu immigrantium committere sacerdotibus qui sint eiusdem sermonis seu nationis vel saltem linguas emigrantium bene calleant.

b) Missionariis illarum nationum, in quibus viget persecutio, tenetur insuper Ordinarius loci ubi commorantur, honestam sustentationem et media necessaria ad apostolatum procurare, ratione habita peculiarium eorum necessitatum.

c) Ubi autem Ordinarii loci media necessaria non habent, suppleat alio modo S. Congregatio Consistorialis.

13. *a*) Ubi numerus emigrantium eiusdem sermonis vel nationis conspicuus habeatur, optatur ut paroecia personalis vel mixta constituatur.

b) Nomine paroeciae mixtae ea paroecia venit, quae territorialis simul et personalis est, i. e. in qua Missionarii emigrantium territorium quoddam administrant simul ac iurisdictione personali apud concives fruuntur.

c) In paroeciis territorialibus magnarum urbium deputentur, si necessitas ferat, aliqui sacerdotes eiusdem emigrantium linguae et nationis.

14. Si labentibus annis, propter exiguum numerum emigrantium qui vere tales sint, paroecia nationalis vel personalis inepta atque inutilis videatur, tunc Ordinarius loci, Commissione Episcopali ac Directoribus sive Operum de Emigratione sive Missionariorum auditis, ad S. Congregationem Consistorialem recurrat ut paroecia utiliter supprimi possit.

15. Omnes Christifideles cuiusvis ritus Orientalis vel Occidentalis sive sint in migrationis territoriis, sive in eorum originis territoriis, eadem iura habent in Ecclesia Christi, quae est catholica seu universalis.

16. Dioecesis ritus Orientalis pro emigrantibus in Occidente eodem modo ac dioeceses personales ritus Latini in Oriente, erigantur, ubi necesse est, ad fovendum bonum animarum et Ecclesiae.

17. Si in aliqua dioecesi Latini ritus, numerus migrantium Orientalis ritus notabilis sit sed insufficiens adhuc ad dioecesim personalem et propriam erigendam, constituatur Vicarius Generalis qui de iis curam suscipiat; qui,

si fieri potest, sit et ipse eiusdem ritus, secus, sacerdos idoneus ac bene doctus rerum ritus horum immigrantium assumatur.[15]

18. Ad confessiones audiendas, sequentia sunt animadvertenda:

a) Ut sacerdotes indigenae munus sacramentalis magistri, medici et iudicis rite adimplere valeant et ad evitandos abusus, caveant ne confessiones in lingua sibi ignota excipiant.

b) Absolutio generalis immigrantium, extra periculum mortis, omnino prohibetur.

c) Ubi vero desit Missionarius eiusdem sermonis ac immigratorum, sacerdos sermonis ignarus, formulas secundum poenitentium sermonem exaratas sibi paret.

19. Parochus loci, antequam matrimonio adsistat, si nupturientes qui recentius advenerunt proprium Missionarium adire omiserint, consulere tenetur eorumdem Missionarium vel potius examen nupturientium eidem committat.

20. Immigrantes iure gaudent instituendi suas scholas, quotiescumque id necessarium vel utile evadat et ubi leges civiles id permittant.

Gaudent insuper iure ad propria opera et consociationes, quae adlaborare debent cum Actione Catholica locali.

21. Meminerint immigrantes Ecclesiae suae originis, eamque operibus misericordiae corporalis et spiritualis pro viribus adiuvent, ipsius iura vindicent, persecutiones condemnent.

22. *a*) Si migratio coacta coetuum aut gentium fit, opportunum videtur ut Sancta Sedes Praelatum, iurisdictione personali pro istis migrantibus praeditum, nominet dummodo sociatis agminibus migrent.

b) Quodsi iurisdictio personalis exspiraverit vel suppressa fuerit, acta et testimonia ecclesiastica deponantur apud Directorem Missionariorum eiusdem nationis. Si missio ipsa defuerit, acta deponantur apud Nuntium vel Delegatum Apostolicum.

23. Supremi moderatores Congregationum pro emigrantibus, qui in regionibus persecutione oppressis commorantur, Vicarios suos in Urbe constituere tenentur.

24. Collegia ad noviter informandos iuvenes in atheismo educatos maxime fovenda ac sustentanda sunt.

2) *De migratione interna.*

1. In unaquaque natione Coetus Episcoporum omni studio prosequatur migrationem quam dicunt internam.

2. Plurimi faciant Episcopi quaestiones de migratione interna omnemque curam adhibeant ut spiritualibus ac moralibus auxiliis praesto sint fidelibus qui varias ob causas in alium eiusdem nationis locum se conferunt.

3. Meminerint Ordinarii non tantum individuos, sed et coetus migrantium ius habere ad curam pastoralem quae eis incumbit.

Quin etiam migrantium fluxum moderari possunt auxiliantibus etiam membris unius vel alterius sodalitatis apostolatus laicorum.

His adiuvantibus loca determinare poterunt quae apta sunt ad migrantes accipiendos et eos ad novam vitam in mutata sede praeparare.

4. Directori dioecesano pro emigratione Episcopi peculiare migrationis internae negotium committant ut fidelibus advenis vel alio migrantibus facilius et aptius consulere possint.

5. Curet parochus loci « a quo » fideles discedunt, ut eos spiritualibus reficiat auxiliis, eorumdem fidem religiosa institutione corroboret et per peculiares « cursus » ad novas vitae conditiones, quo par est modo, diligenter praeparet ne quid spiritualis detrimenti ipsi capiant.

6. Curet parochus « a quo », ut fideles qui migrare volunt in alias partes eiusdem nationis, praesertim in urbes permagnas, per Officium dioecesanum emigrationis, antequam a proprio domicilio discedant, praevie certiores fiant, quatenus fieri potest, de securitate laborem obtinendi ac de iis omnibus quae ad bonum familiae procurandum necessaria sunt.

7. Parochus « a quo » ut religiosae ac morali migrantium curae efficacius prospicere valeat, schedulam personalem et familiarem conficiat cum omnibus notitiis, quae sive personas sive familias migrantium sive loca discessus respiciant eamque ad Parochum vel ad Ordinarium loci quo migrantes pergunt mittat.

8. Parochus « a quo », fideles emigratos paterna sollicitudine semper prosequatur, hortatorias litteras et folia paroecialia illis remittenda curet eosque in novo domicilio, quantum fieri potest, visitet, servatis de iure servandis.

9. Episcopus et parochus « ad quem » prae oculis profecto habeant diversitatem educationis, indolis ac traditionis advenarum eorumque mores excolant ut eorumdem mentes animumque alliciant ac facilius Christo lucrifaciant.

10. Parochus « ad quem » fideles suos cohortetur ut advenientes aliunde viros ac mulieres fraterna caritate excipiant.

Idemque statim ac migrantium adventum cognoverit, sive per se sive per sodales Actionis Catholicae quam primum advenas visitandos curet, de vita et operibus loci certiores illos faciat eosdemque doceat quae necessaria videantur ut in novam communitatem pedetentim inseri possint; de gravibus insuper locorum commorationis periculis paterne praemoneat ut illa sedulo vitent ac praesertim ne imperiti nomen dent sectis vel associationibus Ecclesiae adversis.

11. In omnibus dioecesibus in quibus magna habetur hominum migratio, quantum fieri potest, instituantur *Stationes Missionales,* committendae sacerdotibus ex eorumdem migratorum regionibus oriundis, qui inter concives suos pastoralem actionem gerant. Haec autem pastoralis actio magna fidelium charitate est adiuvanda atque socialibus catholicarum consociationum operibus quam maxime est fovenda.

Peculiaris igitur adhibeatur cura ut qui in propria civitate Actioni Catho-

licae aliisve apostolatus associationibus adscribebantur, libenter nomen dare ne recusent sodalitiis et consociationibus in nova paroecia exstantibus.

3) *De migratione temporaria.*

1. Sollicitudini Sacrorum Pastorum enixe commendantur opifices, qui ex aliis regionibus vel nationibus in dioecesim adveniunt ut in agris, in officinis vel fabricis vel in quacumque industriae arte operam temporariam praestent.

2. Ipsi locorum Ordinarii curent ut fidelibus advenientibus praesto sint sacerdotes qui illorum ritus, linguas et mores cognoscant, eos visitent, Verbo Dei et Sacramentis enutriant et, si fieri potest, apud eos deversentur.

3. Sodales consociationum catholicarum sedulo invigilent ut, iuxta doctrinam socialem Ecclesiae, opificum iura, laborem, mercedem et habitationem spectantia, sancte serventur atque illorum dignitas, fides ac mores nullum detrimentum patiantur.

4. Ordinarii locorum unde opifices discedunt, actuose provideant ut electi Actionis Catholicae sodales illis assideant eosque in locum commorationis, quantum fieri potest, sacerdos etiam comitetur.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 25 septembris - 7 octobris 1961.

NOTAE

[1] BEN. PP. XV, Ep. ad R. P. D. Leopoldum Duarte Silva, Archiep. S. Pauli, *Tristia, laeta,* 24-III-1919, *A.A.S.,* XI, pp. 272-273.

[2] *Summ. Theol. II-II,* q. CI, art. 1.

[3] PIUS XII, Const. Ap. *Exsul Familia, A.A.S.,* XLIV, 1952, p. 652.

[4] Conc. Later. IV, c. IX, MANSI, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio,* XXII, p. 998, Venetiis 1778.

[5] PIUS XII, *Exsul Familia, A.A.S.,* 1952, p. 684.

[6] PIUS XII, *ibid.,* p. 685.

[7] Litt. Encycl. IOANNIS XXIII *Ad Petri Cathedram, A.A.S.,* 1959, v. LI, pp. 527, 528.

[8] Motu proprio S. PII X *Iam pridem, A.A.S.,* 1914, v. VI, p. 174.

[9] PIUS XII, Const. Ap. *Exsul Familia,* Tit. I; Id., *Nuntius radiophonicus* in pervigilio Nativitatis anni 1952: *A.A.S.,* 1953, v. XXXXV, p. 33 sqq.

[10] PIUS XII, *Nuntius Radiophonicus* de Encyclica *Rerum Novarum* anno 1941 habitus ac verba Leonis Pp. XIII resumens: *A.A.S.,* 1941, v. XXXIII, p. 195; IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et Magistra, A.A.S.,* 1961, v. LIII, pp. 411-412.

[11] Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram* IOANNIS XXIII, *A.A.S.,* 1959, v. LI, pp. 527, 528.

[12] Conc. Lat. IV, l. c.

[13] Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram* IOANNIS XXIII, *A.A.S.,* 1959, v. LI, pp. 527, 528.

[14] Const. Ap. *Exsul Familia, A.A.S.,* XLIV (1952), p. 701.

[15] Cf. can. 432, *C.I.C.O.,* Motu proprio PII XII *Cleri sanctitati.*

CAPUT II

DE MARITIMORUM CURA SEU DE OPERE APOSTOLATUS MARIS

Magna sollicitudine afficitur Sancta Mater Ecclesia propter illorum sortem qui ob laboris necessitatem stabile domicilium habere non possunt et huc illucque perpetuo peregrinantes constituere videntur veluti « Ecclesiam vagantem seu errabundam ».

Inter quos profecto recensentur maritimi, « ii omnes, scilicet, qui nauticam vel piscatoriam artem exercentes sive gubernandi sive inserviendi causa in navibus vitam iugiter ducere coguntur ac proinde nonnisi raro et difficilius communi parochi cura frui valent, vel portibus addicuntur maritima itinera adparaturi ».[1]

Hi omnes propter instabilem suae vitae conditionem non solum ordinariis curationis spiritualis mediis et auxiliis carent, sed saepenumero procul a patria, a domo, a familia vitam agere debent christianis moribus tam alienam atque interdum haud parum christianae virtuti noxiam atque infensam. Quapropter Apostolica Sedes nullam praetermisit occasionem ad eorum curam Episcopis commendandam. « Opus Apostolatus Maris » quod dicitur, cuius est potissimum sive spirituale sive morale maritimorum commodum fovere, iterum iterumque adprobavit; [2] Secretariatum Generalem Internationalem constituit ad huiusmodi Opus moderandum.[3] Novissime vero peculiares « Leges » condidit, ut normas, multifariam et variis in adiunctis a sodalibus et a promotoribus Operis propositas, firmiter statueret atque composite disponeret.[4]

Firmis igitur praedictis legibus, praecipuae normae et regulae ad Opus Apostolatus Maris aptius promovendum in memoriam revocantur novaeque adduntur in sequenti schemate:

1. Ad normam Constitutionis Apostolicae *Exsul Familia* apud S. Congregationem Consistorialem constitutus est Secretariatus Generalis Internationalis, cuius est Opus Apostolatus Maris ubique per orbem moderari. In hunc autem supremum coetum cooptantur Episcopi et sacerdotes, e variis nationibus maritimis electi secundum statuta propria.

2. In unaquaque natione maritima peculiaris Commissio Episcopalis constituatur, vel unus saltem Praesul promotor deputetur ad moderandum Opus Apostolatus Maris in tota natione.

A S. Congregatione Consistoriali impetretur nominatio Directoris nationalis Operis Apostolatus Maris.

3. Huic Episcopali Commissioni vel Praesuli promotori ius et officium competit moderandi cappellanos maritimorum eorumque directores.

4. Episcopalis Commissio, salvo cuiusque Ordinarii loci et Superioris religiosi iure, speciali gaudet potestate, sed in sacerdotes et clericos dumtaxat.

5. Haec potestas a Praesule, qui Commissioni praeest vel ab eius Delegato, exercetur.

6. Munere Delegati fungitur qui a S. Congregatione Consistoriali titulo Directoris Nationalis Operis Apostolatus Maris insignitur.

7. Facultates speciales iuxta « Leges », Directoribus et cappellanis Apostolatus Maris concessae, officio adnectuntur, cum potestate illas delegandi.

8. Cum munus cappellani Apostolatus Maris sive in portibus sive in mari difficilius plerumque evadat aptamque requirat praeparationem, Commissio Episcopalis quam maxime curet ut sacerdotes ad hoc ministerium electi per conveniens temporis spatium, ductu Directoris vel in scholis seu cursibus internationalibus ad hoc dispositis, de percipiendis ac persolvendis propriis officiis studium practicum peragant.

9. Si desit in navi sacerdos — quod plerumque evenire solet — unus ex nautis instituatur qui curam habeat de vita religiosa et morali communitatis navigantis, orationi praesit, petentibus religiosam instructionem praebeat, aegrotantibus aut morientibus sollicita pietate assistat et in funeribus, si quae occurrant, orationes et preces effundat.

10. Adhibeatur manualis liber paratus a Secretariatu Operis Apostolatus Maris, qui normales orationes et instructiones ad enutriendam fidem maritimis aptatas contineat, ut pro omnibus piis exercitiis inserviatur, quae in communi, absente sacerdote, fieri solent.

11. Si Cappellano Operis qua tali vix aliqua aut nulla prorsus detur facultas arripiendi itinera cum maritimis, Praeses Commissionis Episcopalis, collatis consiliis cum Commissionis membris, vel si casus urgeat, prudenti suo iudicio, statuat qua aptiore forma quibusque mediis etiam extraordinariis cura religiosa praestanda sit.

12. In singulis portibus unus vel plures adsint cappellani iuxta navium frequentiam, qui unice dicentur in auxilium, in primis spirituale, maritimis praestandum.

13. Cappellani portuum naves omnes visitandas curent. Quo vero facilius et aptius sacramentales confessiones excipere possint et religiosam quoque instructionem impertire, linguis exteris addiscendis studeant.

14. Insuper in singulis portibus instituatur coetus laicorum utriusque sexus, qui, ductu cappellani, Opus Apostolatus Maris foveant atque adiuvent, maritimos ad sedem Apostolatus Maris invitent, aegrotantes in nosocomiis degentes visitent, hospitalitatem christianam ipsis acatholicis offerant etc.

15. Commissio Episcopalis totis viribus curet, ut in institutis ad nautas educandos nec non in scholis nauticis christiana instructio et religiosa ac moralis educatio perficiatur.

16. Secretariatus Generalis Internationalis studeat Opus Apostolatus Maris in nationibus etiam non catholicis instituere, sive per sacerdotes Sanctae Sedi ab Ordinariis locorum oblatos, sive per ipsos Apostolatus Maris missionarios, illorum instar qui in terris Missionum adlaborant.

17. Optandum est ut in uno Opere Apostolatus Maris omnes conve-

niant sacerdotes qui in spiritualem sive navigantium sive maritimorum curam incumbunt.

NOTAE

[1] « Leges » Auctoritate Pii Pp. XII a S. C. Consistoriali anno 1957 conditae, n. 2.

[2] PIUS XII, Const. Ap. *Exsul Familia, A.A.S.* (1952), p. 674.

[3] Ibid., p. 695.

[4] « Leges » Operis Apostolatus Maris, Auctoritate Pii Pp. XII a S. C. Consistoriali conditae, Typis Polyglottis Vaticanis, 1957.

CAPUT III

DE AERONAVIGANTIUM CURA SEU DE APOSTOLATU COELI

Cum aëria itinera et commeatus in dies multiplicentur, Apostolica Sedes iamdiu mentem suam intendit in spirituale aëronavigantium bonum eorumque virorum ac mulierum, qui velivolis vel aërodromis destinati sunt ibique ministrant.

Agitur enim plerumque de iuvenibus utriusque sexus, qui saepe saepius una simul conversantur sive cum itinera aggrediuntur sive cum in variis regionibus ad tempus consistunt; qui quidem ex munere rationem habent cum viatoribus cuiusque stirpis ac religionis. Idcirco multum interest ut his fidelibus religiosa institutio tradatur eorumque spirituali curae aptius provideatur, non solum ut ipsi religionis officiis incumbant, christianam vitam inter tot tantaque discrimina sancte peragant fidemque catholicam servent, sed etiam ut magis magisque idonei fiant ad opera apostolatus opportune ac sapienter persolvenda.

Ideoque Summus Pontifex Pius Pp. XII f. r., anno 1958, Sacrae Congregationi Consistoriali mandavit, ut attento studio consuleret « Apostolatui Coeli » qui dicitur, illumque promoveret.

Iamvero Sacra Congregatio Consistorialis universi catholici orbis Episcopis enixe commendavit, ut de re tanti momenti in Conferentiis Episcopalibus agerent, quin immo opportunas ipsa dedit normas rationesque suggessit.

Apostolicae Sedis hortationibus cito respondit studiosa ac sedula Episcoporum observantia, qui communia ceperunt consilia et idonea proposuerunt media, peculiaribus personarum et locorum conditionibus accommodata.

Ut huic instanti apostolatus campo aptius et efficacius consuli ac provideri possit, hae quae sequuntur normae statuuntur:

1. Ordinarii locorum in quibus exstant aërodromi civiles, attento studio consulere tenentur spirituali aëronavigantium curae necnon virorum ac mulierum, qui velivolis vel aërodromis sunt destinati, ibique ministrant.

Ordinarius loci haberi debet Ordinarius territorii in quo aedes principalis aëroportus exstat.

2. In omnibus aëroportibus erigantur sacella, ubi saltem die dominica aliisque diebus festis de praecepto Sacrosanctum Missae Sacrificium, statutis horis et ordinata cura, celebretur et sacramentales confessiones excipiantur.

In iisdem sacellis oleum infirmorum in tuta ac decenti custodia asservari debet.

3. Sacerdos deputetur, linguis exteris eruditus, qui in aëroportibus, praesertim maioribus, Cappellani munere fungi valeat.

4. Ubi vero oratorii sacri aedificatio vel proprii Cappellani nominatio sit impossibilis, Ordinarius loci spiritualem aëronavigantium curam committat parocho, in cuius paroeciae territorio aëroportus exstat.

5. Parochus autem sive per se sive per alium sacerdotem praesto sit ut fidelibus, in vitae discrimine versantibus, S. Viaticum et Extremam Unctionem ministrare valeat. Idemque sedulo curet ut unus ex vicariis paroecialibus vel quilibet alius sacerdos, ab ipso deputatus, in aëroportu sacra operetur saltem die dominica aliisque diebus festis de praecepto.

6. Ordinarii locorum ab Apostolica Sede privilegium altaris portatilis impetrent ut in aëroportibus Missae Sacrificium facilius celebrari possit, servatis tamen de iure servandis.

7. Valde optandum est ut in continentibus aëroportuum aedibus constituatur domicilium vel sedes ad quam aëronavigantes et aërodromi administri aut operarii convenire possint ibique salutari et christiana conversatione uti valeant.

8. Ecclesiasticae Auctoritates et Actionis Catholicae consociationes, sollicita cura prosequantur viros ac mulieres, qui in velivolis vel in aërodromis operam suam navant vel navare intendunt et pro viribus adlaborent ut praesertim in scholis pro illis constitutis religiosa et christiana institutio tradatur.

Caput IV

DE NOMADUM CURA

Nomades, eos videlicet qui vel propter artem circensibus ludis exercendam vel propter insitam quamdam ac veluti innatam vitae consuetudinem, omnem fere aetatem suam de loco in locum itinerando conterunt, Sancta Mater Ecclesia, Boni Pastoris Iesu vestigia premens, eo impensiore cupit sollicitudine prosequi, quo periculosius eorum vivendi genus esse non ignorat.

Cum enim nomades, nullibi domicilium vel quasi domicilium habentes, perpetuo vagis sint adnumerandi, assiduam et ordinatam curam pastoralem ab uno eodemque parocho vel Ordinario recipere nequeunt.

Peculiares profecto normas Apostolica Sedes in singulis casibus et pro singulis nationibus novissime per Sacram Consistorialem Congregationem dedit atque commendavit, quibus rite perpensis, peropportunum videtur aliquid iure decernere, ne spiritualis media salutis eos prorsus deficiant quos dura necessitas quietae facit esse sedis expertes.

In quorum commodum sequens proponitur schema:

1. Nomine nomadum hi tantum veniunt qui propter artem quam exercent vel traditiones fere per totum annum ac totam vitam iter faciunt.

2. In unaquaque natione ius et officium est Commissionis Episcopalis, secundum decisiones Conferentiae Nationalis Episcoporum:

— cappellanos seligere, praeparare ac moderari, qui curam habeant nomadum;

— rationes inire cum Episcopis nationis de iis omnibus quae bonum spirituale nomadum respiciant;

— curare ut centra missionalia ab Ordinariis constituantur in locis ubi maior est concursus nomadum;

— ab Apostolica Sede impetrare ut director cappellanorum nominetur qui munus adimpleat simile ei quod a Constitutione Apostolica *Exsul Familia* Directori Missionariorum emigrantium tribuitur.[1]

3. § 1. Cappellani nomadum sunt sacerdotes quibus, de consensu Ordinariorum propriorum, spiritualis nomadum cura committitur.

§ 2. Cappellani nulla gaudent exemptione ab Ordinario loci in quo actu versantur, cuius auctoritati plene subsunt.

§ 3. A Directore pendent in iis quae methodum specificam in apostolatu inter nomades adhibendam respiciunt.

§ 4. Gaudent iisdem facultatibus et privilegiis quibus missionarii emigrantium fruuntur.

4. Centra missionalia constent sacerdote directore et cooperatoribus laicis.

NOTA

[1] Const. Ap. *Exsul Familia* Pii Pp. XII, Tit. II, Cap. III, artt. 18-24, *A.A.S.*, XLIV (1952), pp. 697-698.

Caput V

DE PEREGRINATORUM SEU TURISTARUM CURA

Neminem fugit qua frequentia, hac nostra tempestate, sive singuli sive turmatim homines, ex quodam pro necessitate quasi inolescente usu, suas domos ad tempus relinquant, externas civitates vel marium lacuumve oras, delectationis seu rusticationis causa, petituri.

Exinde nonnulla, ad civilem consortionem quod attinet, consequi commoda, atque adeo interdum faciliorem quandam praeberi per otium divinis vacandis rebus occasionem, non est infitiandum. At complura eaque gravia pericula, ad fidem bonosque quod attinet mores, cum pro huiuscemodi, quos *turistas* vocitant, peregrinatoribus tum pro christifidelibus ad quos illi devertuntur, oriri perspicuum est: utpote sexuum promiscuitatem, pravorum irre-

ligiosorumve hominum occursum, a familia et a templis discessum, auctas voluptatum titillationes etc.

Sancta Mater Ecclesia nihil sibi reliqui faciendum putat ut, quod iustae conceditur corporum animorumque relaxationi, in vitae spiritualis discrimen non vergat.

Quod per sequentis schematis normas fieri posse speratur.

1. Nomine peregrinatorum seu *turistarum* hi veniunt qui vel civitates vel montes vel ora maris delectationis aut rusticationis causa appetunt et saepe in campis vel procul ab ecclesia paroeciali vivunt, quin a Clero locali sufficienter evangelizari possint.

2. § 1. In singulis nationibus a Conferentia nationali Episcoporum, iuxta necessitates, designetur Delegatus pro cura spirituali turistarum.

§ 2. In singulis nationibus instituantur insuper centra pro studio problematum turismi, ut huiusmodi apostolatus ubique iuxta communes et aptas normas evolvatur.

3. Ad Ordinarium loci pertinet cura de spirituali turistarum bono, servatis quidem normis quae pro tota natione a Conferentia Episcoporum statutae fuerint.

4. § 1. In locis ubi habetur magnus turistarum concursus adsint selecti sacerdotes, qui curae animarum pro illis vacent; qui plures linguas noscant et conversationem pastoralem cum hospitibus etiam extra ambitum ecclesiae paroecialis quaerant, nempe in conferentiis de quaestionibus theologicis et culturalibus; verbum Dei, quantum fieri potest, in ipsas domus commorationis turistarum portantes. Sacerdotes isti, colloquiis privatis cum hospitibus semper praesto sint.

§ 2. Curandum est ut functiones religiosae, praesertim Sacrosanctum Missae Sacrificium, diebus dominicis et festis de praecepto, horis quidem hospitibus magis aptis, fiant; praedicatio autem habeatur etiam lingua peregrinatorum, qui maiori numero adsistunt. Item consulendum est ut praesto sint confessarii eiusdem sermonis seu linguae turistarum.

5. Instituantur adsociationes christianae pro illis, qui tabernas possident et pro illis, qui tabernis deserviunt, quo facilius normae legis christianae observari possint et iura vitae moralis et socialis christianae coram omnibus defendi.

6. Possessores tabernarum et deversoriorum et ii qui ibidem deserviunt speciali cura pastorali fruantur et per conferentias circa ipsorum problemata saepius edoceantur et adiuventur.

7. Edantur in singulis nationibus vel regionibus commentaria catholica, quae problemata turismi et curae turistarum pertractent.

In deversoriis et tabernis habeantur bibliothecae et scripta periodica indolis christianae et sanae moralitatis.

A bibliothecis arceantur scripta, quae fidem et mores corrumpere possint.

8. Ut universus apostolatus inter turistas apte promoveatur et praesertim

afflatus christianus inter caupones et inter eos qui tabernis deserviunt magis augeatur, curandum est ut apostoli laici ad mentem Actionis Catholicae instituantur.

Praesentia enim propugnatorum fidei catholicae in deversoriis maxime necessaria est, praesertim cum sacerdotis frequentia ad haec loca saepe difficilis vel impossibilis evadit.

9. Sodales Actionis Catholicae magnopere adlaborare debent ut aptae leges et opportuna decreta vel praecepta ab auctoritate civili condantur, quae morum integritatem defendant, praesertim in locis ubi maior turistarum concursus habetur; itemque ut editae leges vel decreta rite observentur.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 25 septembris - 7 octobris 1961.

Caput VI

DE CURA ANIMARUM PRO CHRISTIANIS COMMUNISMO INFECTIS

Sancta Mater Ecclesia, Divini sui Sponsi ac Magistri vestigia premens eiusque mandatis oboediens, summopere adlaborat ut omnes homines « vitam habeant et abundantius habeant » (*Io.* 10, 10).

At contra doctrinam actionemque Ecclesiae, novissimis temporibus, ortum est minax periculum, communismus nempe atheus, cuius peculiare propositum eo contendit ut societatis ordinationem radicitus commisceat ipsaque christianae urbanitatis fundamenta subvertat.[1]

Communismus enim doctrinam docet actionemque persequitur, quibus magnopere fovetur materialismus et atheismus.

Communismus, licet aliquo moveatur impulsu contra iniustitias, quas tempora nostra quasi hereditatem ab iniusto oeconomicarum rerum regimine exceperunt,[2] tamen falsam redemptionis speciem profert. « Ac falsa quaedam forma iustitiae, aequabilitatis ac fraternae omnium in operando necessitudinis eorum praescripta eorumque molimina simulato mystico sensu ita pervadit, ut illectas pollicitationum fallacia multitudines, quasi acerrima contagione incitatas, vehementer inflammet ».[3]

Itaque communismus totus est in tradenda hominibus « organicae vitae » visione, proferens pseudo-religionem sine Deo, et abolens ipsam aeterni Numinis notionem alteriusque vitae expectationem.[4]

Huc accedit spoliatio libertatis hominis, in qua spiritualis ducendae vitae norma consistit itemque humanae dignitatis eversio et desecratio vitae necnon privatio parentum patria educandae sobolis potestate.[5]

Novum igitur rerum ordinem inducere contendens, « hominum nempe consortionem, quae e terris exegerit Deum », communismus atheus « quasi novum evangelium ac quasi salutarem redemptionis nuntium humano generi praedicat ».[6]

Ecclesiae autem Catholicae, cum sit legis moralis custos legitima et authentica interpres, munus est omnia contra legem divinam perpetrata denuntiare, fideles confirmare et circa pericula imminentia ipsamque principiorum socialem applicationem illuminare.

Ecclesia, ut Mysticum Christi Corpus, indesinenter satagit omnes homines, etiam errantes, in unum coadunare per evangelica dicta, per Christi amorem et gratiam.

Quod sanctum nobileque officium adstringit in primis « altiora mystici huius Corporis membra, eaque praesertim a quibus est ex divini Capitis mandato ratio aliquando reddenda de animabus nostris »,[7] scilicet Episcopos « quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei ».[8]

Ecclesiae ergo competit ius et officium impugnandi communismum atheum et quoad doctrinam et quoad actionem seu quoad methodum activam.

Haec autem actio Ecclesiae seu munus evangelicum sedulo distinguatur oportet ab anticommunismo mere politico vel oeconomico, qui diversum persequitur finem. Ex altera vero parte « Ecclesiae non tantum ius et officium est tueri principia ad religionem et ad morum integritatem spectantia, sed etiam pro sua auctoritate sententiam suam pronuntiare, cum de principiis iisdem agitur ad effectum adducendis ».[9]

Hisce in circumstantiis necessitas urget atque impellit, ut Christifideles sub Episcoporum ductu, sufficienter conscii fiant discriminis in quo res fidei versatur, melius noscant fundamenta Fidei ab atheo communismo impugnata (v. g. existentiam Dei, immortalitatem animae, redemptionem, doctrinam Corporis Christi Mystici, libertatem hominis, valorem laboris etc.), ut doctrina Ecclesiae de caritate et iustitia sociali imbuantur, ut saluberrima documenta Pontificia de re sociali [10] noscant atque fideliter observent, principiaque doctrinae christianae ad effectum adducant, ita ut Ecclesia ordinem moralem et socialem ope sacerdotum et apostolatu laicorum in Christo instaurare queat.

Cum Ecclesia Dei rationes oeconomicas et politicas nullatenus directe intendat, sed « ad humanitatis et evangelicae doctrinae normas progredientis huius aetatis cultum componere » desideret,[11] ideo agon spiritualis contra communismum atheum seu « hoc inventum errorum ac praestigiorum plenum »[12] ita ab Episcopis gerendus erit ut Christifideles confirmentur, mediaque demum aptiora praebeantur pro efficaci apostolatus actione, praesertim inter opifices.

Huiusmodi pastoralis actio gerenda erit:

I - pro christifidelibus degentibus in regionibus a communismo non oppressis;

II - pro noviter informanda iuventute in communismo educata;

III - in favorem laborantis « Ecclesiae silentii ».

Art. I - *De christifidelibus degentibus in regionibus a communismo non oppressis*

1. Cum praecipua causa cur nonnulli christiani communismo nomen dederint tribuatur lamentabili pietatis ac religionis inopiae, cumque solidissimum adversus atheismum et materialismum propugnaculum sit christiana doctrina rectaque christianae vitae actio et exercitatio, curent animarum pastores iuvenumque magistri sic fidelium animos instituere ut nullo rationabili dubio nullaque communiter admissa iniustitia sociali excrucientur.

2. § 1. Ideo exigitur amplior ac profundior magisque divulgata cognitio principiorum scientiae salutis aeternae, quae tradi debet in catechismo ab auctoritate ecclesiastica edendo, in quo praeprimis accurate exponatur oportet doctrina de Mystico Christi Corpore deque eius consectariis in actione vitae.

§ 2. Catechismus complendus est concinna et perspicua explanatione doctrinae socialis, quae in thesauro catholicae doctrinae continetur.

3. Apud ecclesiasticos viros expostulatur spiritus socialis, e doctrina christiana promanans necnon constans principiorum socialium applicatio in usu vitaque quotidiana.

4. Episcopi insuper strenue et constanter propugnent illuminatas allocutiones pontificias de pace, de principiis quibus regi deberet amica inter civium ordines convictio et conspiratio, de principiis quibus niti deberet adiutorium populis minus excultis et inopibus praestandum, adversus « *razzismi* » placita.

5. Accurata ac profundior cognitio principiorum, quibus communismus innititur, et doctrinalis solida impugnatio « organicae visionis mundi » et communistarum metaphysicae ubique fiant iuxta rationem ab Episcopis in unaquaque natione statuendam.

6. Alumni ad hoc efformentur in Seminariis itemque sacerdotes in peculiaribus cursibus edoceantur de doctrina ipsius communismi, de veritatibus Fidei ab illo oppugnatis deque aptiori methodo pastorali pro Fide tuenda.

7. Episcopi in Conferentia Nationali firmam et constantem actionem contra errores communistarum promoveant per viros peritos itemque curent ut in unaquaque provincia aut Natione peculiaris habeatur coetus virorum qui, communistarum doctrinae vere periti, ad eiusdem doctrinae errores impugnandos sedulam operam navent.

8. Quia actio pastoralis ad omnes homines, haud exclusis militantibus communistis, se extendat oportet, curent Episcopi, ut in unaquaque provincia aut Natione selecti sacerdotes et laici instituantur, qui communismi asseclas vel eiusdem erronea doctrina infectos, scientia vel auctoritate praecellentes, praecipua sui apostolatus navitate, Christo lucrari contendant.

9. Actio apostolica consistit: *a*) in integra vitae christianae disciplina ac ratione; *b*) in divitiarum contemptu iuxta spiritum evangelicum; *c*) in condemnatione malorum usuum, quacumque ex parte, a catholicis etiam, vul-

nerata iustitia sociali, commissorum; *d*) in profunda principiorum socialium Ecclesiae cognitione eorumque applicatione in vita communitatis; *e*) in mutua actuosaque necessitudine cum pauperibus et oppressis; *f*) in adlaboratione scientifica et practica ut ad altiorem dignitatis gradum producatur populus, v. g. in publico Legumlatorum Coetu, in opificum collegiis etc.; *g*) in diffusione Evangelii et doctrinae Ecclesiae, praesertim inter studiosam iuventutem, inter homines excultos, inter artis peritos, inter opifices vel technicos altioris conditionis; *h*) in ostendenda catholica doctrina, quae meliorem rerum solutionem et compositionem praebet.

10. Ad minuendum vel destruendum communismi athei influxum in animas simpliciores, quae rem communisticam male norunt nec valide approbant, etsi suffragium pro communismo ferant propter oeconomicas rationes, opificum collegiorum influxus et operariorum communis consociatio requiruntur.

11. § 1. Apud clerum ac militantes catholicos zelus maximus, caritas fervens, spiritus abnegationis, fides in valorem christianismi in rebus etiam temporalibus et eiusdem finalem victoriam, necnon animi inflammatio pro ordine sociali christiano requiruntur.

§ 2. Studium diligens de methodo psychologica, a communistis in populum peracta, a viris peritis aggrediendum erit et evolvendum.

§ 3. In unaquaque regione, inspecta communistarum ratione in loco adhibita, ab Episcopis seligantur viri qui diligenter incumbant studio mediorum, quibus communistarum « actioni psychologicae » erit obsistendum.

§ 4. Christiana opificum collegia (*Syndicatus*), Actio Catholica aliaque id generis instituta et opera adiuvandis operariis, emigrantibus universaeque proletariae plebi, maxime promoveantur.

Iura opificum Episcopi et sacerdotes strenue defendant eorumque progredienti vitae faveant.

§ 5. Haec evangelica Ecclesiae pugna contra inimicos Fidei ab anticommunismo politico vel oeconomico sedulo distinguatur, quaeque erit iusta ac legitima actio civilis a catholicis aliisque viris, munere publico perfungentibus, adversus communismum directa.

§ 6. Actio directa vel indirecta communistarum, qui catholicorum opera vel ephemerides in suum sensum deflectere conantur, statim denuntietur et, ubi fit, ab Episcopis impugnetur.

§ 7. Catholici qui vel liberalioribus « progressismi » doctrinis infecti, novarumque rerum cupidi vel propter falsam idealismi, qui dicitur, rationem aut incertum animi sensum aut erroneam caritatis notionem vel propter timorem sovieticae potestatis inanemque humani iudicii pudorem, actionem in communismum atheum impediunt, ab auctoritate ecclesiastica aperte ad silentium redigantur.

Si qui sint sacerdotes noxii, fortiter moneantur et, si casus ferat, poenis mulctentur.

§ 8. Ii vero qui, vel Episcopi vel sacerdotes vel laici, sanam adversus

communismum atheum actionem caute fortiterque evolvunt, laudentur et adiuventur atque, si necessarium est, defendantur.

12. Instituatur internationalis commissio Episcoporum et peritorum laicorum, quae sub ductu Sanctae Sedis, videat ac sedulo foveat ea omnia quae ab erroribus atheismi et communismi homines defendant atque liberent.

13. Huius internationalis commissionis erit praecipue studia, opera, ordinationes ac leges promovere et coordinare, quae communismum debilitent eiusque audaciam confringant.

Art. II - *De noviter informanda iuventute in communismo educata*

Attento animo consideranda venit misera illorum sors, praesertim iuvenum, qui sub regimine communismi educati, eiusdem servile iugum excusserunt et nunc in liberis nationibus degentes, inter catholicos vivunt qui dulcissimam libertatem numquam amiserunt et catholicos illos, qui communismo oppressi innumeris malis ingemunt. Qui quidem iuvenes, in sinu Ecclesiae redeuntes, non omni ex parte firmi ac securi catholici haberi possunt; veritatis quidem fame fatigantur; caritatem et iustitiam toto corde esuriunt, gravi in communismum odio feruntur; sed non omnia quae sub regimine communismi hauserunt, penitus posthabuere.

Ab Ecclesia saepe cavent deque ea diffidunt; optimi enim cum sint omnium, excelsa solummodo in Ecclesia videre cupiunt eaque vehementer exposcunt; ideoque languida religionis ac Fidei professione minime alliciuntur aut convincuntur, sed potius eximiis Fidei et Caritatis operibus credere parati sunt.

1. In unaquaque dioecesi, ubi exstant profugae, sacerdotes idonei designentur qui spiritualem curam pro illis iuvenibus exerceant.

2. Peropportunum erit huiusmodi sacerdotes eligere inter illos qui sint eiusdem nationis et psychologiam, linguam moresque bene noscant iuvenum aliorumque, qui sub communismi iugo detinentur.

3. Commendantur coetus iuventutis catholicae et instituta saecularia quae, spiritu caritatis et sacrificii imbuta, sub moderamine sacerdotum prudentium, in regionibus, ad quas profugit iuventus in communismo educata, tempus viresque suas pro illis miseris fratribus impendant, ut ipsi veram Ecclesiae effigiem recognoscant.

Art. III - *De Ecclesia silentii*

In Mystico Christi Corpore omnes sumus « membra de membro » et vasa continua, quibus spiritualis christianae vitae osmosis peragitur. « Non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra... » (*I Cor.* 12, 25-26). Itaque catholici « trans vallum ferreum » degentes et dura persecutione oppressi, a christifidelibus libertate gaudentibus adiuvari debent precibus aliisque caritatis operibus, ut fides eorum roboretur eorumque tristis-

sima sors leniatur ut illorum spiritualis pugna, quam pro nomine Christi gerunt, citius victoriam consequatur.

1. Refrigescens caritatis ignis erga fratres trans « vallum ferreum » degentes, excitetur ab Episcopis, ita ut inter eos qui in regionibus a communismo oppressis crucem portant et fideles christianos, qui in mundo libero vivunt, mutua semper vigeat necessitudo et animorum coniunctio, praesertim spiritus sacrificii et orationis communis.

2. Magnopere commendatur ut quotidie in toto orbe catholico, statutis horis, oratio fiat pro Ecclesia oppressa; hunc in finem vel precatio « Angelus Domini » vel Symboli Fidei recitatio persolvatur vel preces post Missam recitentur.

3. In unaquaque Ecclesia paroeciali vel religiosa frequenter celebrentur, iuxta modum ab Episcopo definiendum, fidelibus rite annuntianda Sacrosanctae Missae sacrificia pro Ecclesia oppressa eiusque persecutoribus. Fideles insuper invitentur ut Missae sacrificium hunc in finem celebrare faciant.

4. Quotannis feria sexta Maioris Hebdomadae pro christianis iniusta persecutione detentis necnon pro persecutorum conversione piae effundantur peculiares preces.

5. Oblationes etiam pro Ecclesia oppressa fiant, iuxta modum a Conferentia Episcoporum statuendum.

6. Valde expedit ut documenta et acta de persecutione in regionibus oppressis recto iudicio et critica ratione a peritis conficiantur, ita ut mira christianorum exempla pro sacra praedicatione seligi possint ad ea commemoranda, quae christifideles ibidem pro Christi amore patiuntur.

7. Vocationes sacerdotales pro Ecclesia oppressa prudenti consilio foveantur ac praeparentur, sub ductu Sanctae Sedis.

8. Episcopi liberarum Nationum curent ut opinio publica indesinenter ac recte de persecutione Ecclesiae edoceatur et, data occasione, communes promptaeque intercessiones pro Ecclesia oppressa fiant, Supremis ipsis Reipublicae Moderatoribus communicandae, ut religionis libertatem hominumque iura ipsi actuose defendant.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 5-13 februarii 1962.

NOTAE

[1] Litt. Encycl. *Divini Redemptoris* Pii Pp. XI, *A.A.S.*, XXIX, 1937, n. 4, p. 66.

[2] Ibid., p. 91.

[3] Ibid., p. 69.

[4] Ibid., p. 70.

[5] Ibid., pp. 70-71.

[6] Ibid., pp. 71-72.

[7] Litt. Encycl. *Mystici Corporis* Pii Pp. XII, *A.A.S.*, XXXV, 1943, n. 7, p. 239.

[8] *Act. Ap.* 20, 28.

[9] Litt. Encycl. *Mater et Magistra* IOANNIS PP. XXIII, *A.A.S.*, XLIII, 1961, n. 8, p. 45.

[10] Litt. Encycl. *Rerum Novarum* LEONIS PP. XIII, *Acta Leonis,* vol. XI, 1891, p. 97 sqq.; Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno* PII PP. XI, *A.A.S.,* XXIII, 1931, p. 179 sqq.; *Nuntius Radiophonicus* PII PP. XII diei 1 iunii 1941, *A.A.S.,* XXXIII, 1941, p. 195 sqq.; Litt. Encycl. *Mater et Magistra* IOANNIS XXIII, *A.A.S.,* XLIII, 1961.

[11] Litt. Encycl. *Mater et Magistra* IOANNIS XXIII, l. c., p. 46.

[12] Litt. Encycl. *Divini Redemptoris* PII PP. XI, l. c., p. 72.

VII

DE RATIONIBUS INTER EPISCOPOS ET RELIGIOSOS PRAESERTIM QUOAD APOSTOLATUS OPERA EXERCENDA *

Prooemium

Ecclesia Christi, quo plenius pascendi dominici gregis munus sibi demandatum exsequi valeat, utriusque Cleri indiget auxilio, saecularium scilicet et religiosorum Sacerdotum, qui ita in Presbyteratus officium consecrantur, ut sint « providi cooperatores ordinis » episcopalis, « in adiutorium Episcoporum catholicorum » et « ad eorum societatis et operis adiumentum ».[1]

At reliquis quoque Institutorum status perfectionis sodalibus, licet charactere sacerdotali destitutis, quippe qui « Deo mancipati religiosae vitae se dederint » officium prae laicis urgentius incumbit « impense diligenterque adlaborandi ad aedificationem et incrementum « Corporis Mystici Christi ».[2]

Nihil mirum, proinde, quod Sacrorum Antistites qui quovis tempore religiosorum opera usi sunt, potiore ratione nostra aetate cum magis ingravescat necessitas magisque animarum periclitetur salus, etiam ad religiosos omnes qui perfectionem caritatis Salvatoris mundi prosequuntur, se convertant.

Hi sane, miros fructus perpetuantes quos in Ecclesia decursu saeculorum in regno Christi dilatando et animarum salute procuranda protulerunt, apostolatus operibus maiore in dies studio ac mensura, pro sua quisque conditione incumbant, sub auctoritate Sacrorum Praesulum quibus iure divino animarum salus est concredita, perfecta concordia actuositatisque coordinatione sive inter se sive cum Clero saeculari sedulo servata.

Religiosi id praestare debent imprimis apostolatu sanctitatis, orationis et expiationis, ad cuius ampliorem aestimationem et generosius studium Sacrosancta Synodus eos magnopere hortatur. At externa quoque apostolatus opera accedant oportet. Qua autem ratione ipsi Religiosi hisce operibus, sub Episcoporum moderamine, in singulis dioecesibus vacare debeant, attenta

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in tertia congregatione sessionis septimae, die 14 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando*, Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 220-283.

propria cuiusque Instituti indole, accurate est definiendum, ut haec intensior et universalior actuositas ordinate procedat et quodvis damni periculum penitus avertatur.

Quod in sequenti Schemate pressius proponitur.

NOTAE

[1] *Pont. Rom. De Ordin. Presb.*
[2] PIUS XII, Enc. *Mystici Corporis, A.A.S.*, Vol. XXV (1943), p. 241.

CAPUT I

PRINCIPIA FUNDAMENTALIA

1. [*Primum principium: Episcopi duces apostolatus*]. In rationibus determinandis inter Episcopos et Religiosos aliosque sodales Statuum perfectionis principium fundamentale esto: Episcopos utpote Apostolorum Successores quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam, mandatum accepisse gregis Domini partem sibi concreditam pascendi sub Romani Pontificis auctoritate.

Quapropter Religiosi omnes filiali semper obsequio ac reverentia Episcopos prosequi debent et, quoties ad apostolatus opera vocantur, ita « munia sua exercere tenentur ut Episcopis auxiliatores adsint et subsint »,[1] servatis quidem de iure servandis.

Quin immo Religiosi magno honori sibi ducant Sacrorum Pastorum enixis postulationibus votisque prompte ac fideliter obsequi ut in opera apostolatus externa magis magisque incumbant et ampliores partes in ministerium salutis humanae sub Episcoporum regimine suscipiant, secundum sui quisque Instituti indolem et Constitutiones, quae si necesse sit in hunc finem sunt congrue accommodandae.

2. [*Secundum principium: Religiosi in apostolatu exercendo tales remanere debent*]. Item retinendum principium: Religiosi aliique Sodales Statuum perfectionis in externa apostolatus opera immissi, tales manent et omnino manere debent animo et opere.

Quapropter Episcopi singulorum Institutorum vitam religiosam, peculiarem Religionum finem, Constitutiones et Statuta necnon Superiorum auctoritatem in subditos, ad normam iuris, tueantur.

Proinde etiam in apostolatu, sub Episcoporum regimine exercendo, regularis observantia, qua Religiosorum vita spiritualis maxime custoditur ac fovetur, et subiectio propriis Superioribus, ad normam iuris debita, integrae maneant oportet, quod in bonum ipsius apostolatus cessurum non dubitatur.

3. [*Tertium principium: De exemptione Religiosorum*]. Romanus Pontifex vi « suae potestatis episcopalis ordinariae et immediatae in omnes et singulas Ecclesias et in omnes et singulos Pastores et fideles » [2] ad Seipsum, vel in Ecclesia Orientali ad Patriarcham, avocare potest Religiones, easque ab Ordinariorum locorum iurisdictione subducere.

Haec autem exemptio, nisi aliter expresse a Romano Pontifice statutum fuerit, non est absoluta et illimitata. Ipsa enim ordinem internum potissimum respicit quo melius in religionibus omnia sint inter se apta et connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu utantur, ac denique incremento et perfectioni religiosae conversationis consulatur.[3]

Quatenus autem de « apostolatu agitur locali, qui adiutricem operam Ecclesiasticae Hierarchiae praestare debeat, prorsus necesse est ut sine Episcopo nihil fiat »[4] a sacris utriusque cleri administris, itemque a religiosis utriusque sexus sodalibus.

Idcirco, in singulis dioecesibus firma manet, ad normam iuris, subiectio Religiosorum Episcopi loci potestati « prout episcopale munus perfungendum et animarum rite ordinanda curatio requirunt »,[5] ita ut « sarta tecta sit dioecesana disciplina ».[6]

4. [*Quartum principium*: *De collaboratione Religiosorum cum Clero saeculari*]. Plena ac sincera inter Clerum saecularem et Religiosos, prouti Ecclesiae utilitas et animarum bonum apprime postulat, collaboratio semper et ubique floreat, ad varia apostolatus opera in dioecesibus, sub Episcoporum ductu ac moderamine, apte distribuenda ac coordinanda atque efficaci ratione prosequenda.

NOTAE

[1] PIUS XII, Alloc. d. 8 dec. 1950, *A.A.S.*, Vol. XLIII (1951), p. 28.

[2] Can. 218 § 2 *C.I.C.*

[3] LEO XIII, Const. Ap. *Romani Pontifices*, diei 8 maii 1881, *Acta Leonis XIII*, Vol. II (1882), p. 234.

[4] PIUS XII, Epist. ad Card. Valeri pro Congressu utriusque Cleri in Hispania, d. 20 sept. 1956: *A.A.S.*, Vol. XLVIII (1956), p. 663.

[5] PIUS XII, Alloc. diei 8 dec. 1950, *A.A.S.*, Vol. XLIII (1951), p. 28

[6] LEO XIII, Const. Ap. *Romani Pontifices*, diei 8 maii 1881, l. c.

CAPUT II

NORMAE PRACTICAE DE SUBIECTIONE RELIGIOSORUM ORDINARIIS LOCORUM IN OPERIBUS EXTERNIS EXPLENDIS

5. [*Subiectio Religiosorum ritus latini Ordinariis locorum*]. Religiosi omnes ritus latini, etiam religionis exemptae, Ordinarii loci iurisdictioni ad normam iuris subsunt in iis omnibus quae ad cultum divinum, ad curam animarum et ad apostolatus opera, in dioecesi exercenda, spectant.

6. [*Subiectio Religiosorum ritus orientalis Ordinariis locorum*]. Item Religiosi ritus Orientalis omnes potestati Hierarchae loci subiiciuntur ad normam iuris in iis omnibus quae ad cultum divinum, curam animarum et

apostolatus opera, in dioecesi exercenda, pertinent, salvis Patriarcharum iuribus.

7. [*Subiectio Religiosorum pro diversitate ritus*]. § 1. Religiosi omnes, exempti quoque, operam navantes in locis ubi ritus a proprio diversus unicus est vel ita fidelium numero praevalens ut communi aestimatione unicus censeatur, a loci Ordinario vel Hierarcha huius ritus in iis quae sacrum ministerium respiciunt, pendent, eique ad normam iuris subiiciuntur.[1]

§ 2. Religiosi ritus latini in munere obeundo apud fideles orientales diversorum rituum, illi Ordinario subiiciuntur, qui eos in auxilium suum advocaverit vel admiserit.

8. [*Subiectio Religiosorum in locis missionum*]. Licet etiam in locis Missionum vigeat exemptio religiosorum intra ambitum suum legitimum, tamen, propter peculiaria adiuncta sacri ministerii in his locis exercendi, observanda sunt specialia statuta a Sede Apostolica data vel approbata ad relationes inter Ordinarium loci et Superiorem religiosum moderandas, praesertim in Missione alicui Instituto concredita.

9. [*Subiectio Religiosorum legibus et decretis Ordinarii loci*]. § 1. Omnes religiosi, etiam exempti, tenentur legibus et decretis, etiam ab Ordinario loci latis, quae spectant ad sacram praedicationem populo habendam, ad christifidelium catecheticam, praesertim puerorum, institutionem et liturgicam efformationem, ad varia apostolatus opera et uniformem agendi modum in actibus bonum commune dioeceseos promoventibus, necnon ad fidelium aedificationem ac decorem clericalem (v. g. quoad habitum ecclesiasticum, publica spectacula et associationes, iudicio Ordinarii, noxias).

§ 2. Iidem insuper legibus et decretis, etiam ab Ordinario loci latis, cultum respicientibus tenentur in suis ecclesiis et oratoriis publicis necnon semipublicis si ad haec ordinarie fideles accedant, salvo proprio ritu quo legitime utuntur et habita ratione ordinis Divini Officii choralis et sacrarum functionum ad finem specialem Instituti pertinentium.

NOTA

[1] Cf. cann. 5 et 15 *C.I.C.O.*; Motu Proprio Pii XII *Cleri sanctitati*: *A.A.S.*, Vol. XLIX (1957), pp. 437, 439.

Caput III

DEDICATIO RELIGIOSORUM OPERIBUS APOSTOLATUS

10. [*Norma generalis de immissione Religiosorum in opera apostolatus*]. Ut principia supra statuta quoad religiosorum in opera apostolatus immissionem rite applicentur, prae oculis semper habenda est diversitas non solum Institutorum, sed etiam operum apostolatus.

11. [*Opera propria Institutorum*: *notio seu descriptio*]. Opera cuius-

que Instituti propria sedulo ab eodem promovenda, ea intelliguntur quae probante Sancta Sede sive ab ipsa fundatione, sive ob venerandas traditiones assumpta et inde a Constitutionibus aliisque propriis Instituti legibus definita et ordinata fuerunt. Non enim omnia opera speciali Instituti fini et indoli consonantia hoc sensu propria sunt, sed illa tantum quae legitimo titulo nituntur.

12. [*Opera propria Institutorum: specialiter promovenda*]. Instituta Statuum perfectionis merito censentur, una cum ecclesiastica approbatione, munus accepisse opera propria in Ecclesia, servatis servandis, promovendi. Propterea eorum sodales, gloriae Dei et bono animarum unice prospicientes, iisdem incumbant maximo zelo, peculiari quidem habita ratione spiritualium dioeceseon vel regionis necessitatum et servata cum Clero saeculari et cum aliis Institutis similia opera exercentibus fraterna concordia.

Ordinarii autem locorum opera Institutorum propria utpote in bonum animarum tum Ecclesiae universae, tum ipsius dioecesis ordinata, libenter foveant ac tueantur.

13. [*Moderamen generale operum propriorum et operum ab Ordinario loci Religiosis commissorum*]. § 1. Opera propria, quae in domibus Instituti, etiam locatis, exercentur, ab eiusdem Superioribus dependent, qui iuxta Constitutiones ea regunt ac moderantur.

Attamen etiam huiusmodi opera Ordinarii loci iurisdictioni, ad normam iuris, subiiciuntur.[1]

§ 2. Opera vero, etiam Instituti propria, quae ab Ordinario loci committuntur aut cum eius mandato exercentur, eiusdem Ordinarii auctoritati et directioni subsunt, firma tamen manente vigilantia ex parte Superiorum religiosorum, non solum super vitam sodalium, sed etiam ut ipsi sibi commissa munia rite adimpleant.

Sodales religiosi pro hisce operibus vere idonei eligendi sunt atque a loci Ordinario in opus immittantur, praesentante vel saltem assentiente proprio Superiore.

14. [*Opera et associationes propria in domo condenda permissa*]. Ad ordinatam et fructuosam cooperationem consequendam inter varia opera quae sive ad dioecesim ipsam, sive ad paroecias sive ad Instituta Status perfectionis pertinent:

1) constituendae novae domus permissio facultatem secum fert pia opera Instituti propria exercendi, nisi quaedam expresse ab Ordinario loci in ipsa permissione concedenda excepta sint.

Idem servandum est quoad associationes Instituti proprias erigendas, quae non sint constitutae ad modum corporis organici, sublato quovis privilegio; pro aliis autem ad modum corporis organici constitutis erigendis, Ordinarii loci licentia in singulis casibus requiritur.

2) Domorum religiosarum iam constitutarum sodales nequeunt, sine expressa Ordinarii loci licentia, opera ad cultum divinum vel ad animarum curam vel ad apostolatum spectantia licet suae religionis propria vel ipsi

domui religiosae adnexa, ex novo inire; aut, iam antea legitime inita, deserere, sine expresso Ordinarii loci consensu, salvo recursu in suspensivo ad Sanctam Sedem.

3) Collatis consiliis cum Superiore competenti, loci Ordinarius decernere valet quae spectant ad coordinanda opera, quae ad cultum divinum vel ad animarum salutem in ecclesiis vel domibus religiosorum geruntur, cum actuositate paroeciae, in cuius territorio sitae sunt, firmo praescripto art. 9 § 2.

4) Domus religiosa sive formata sive non formata, ad religionem exemptam pertinens, supprimi nequit sine beneplacito Apostolico et inconsulto Ordinario loci.

15. [*Commissio operis ab Ordinario loci conventione facienda*]. Pro quavis commissione operis apostolatus ab Ordinario loci alicui Instituto status perfectionis facienda, servatis ceteris de iure servandis, ineatur conventio scripta inter ipsum et competentem Instituti Superiorem, qua, inter alia, perspicue definiantur quae ad opus explendum, ad sodales eidem addicendos et ad res oeconomicas spectant.

16. [*Commissio operis ab alia persona conventione facienda*]. Quoties opera alicui Instituto committenda sit non a loci Ordinario sed de eius licentia, ad normam art. 14, 2), ab alia persona physica vel morali sive ecclesiastica sive civili id non fiat nisi per scriptam conventionem Ordinario loci praevie exhibendam, in qua perspicue definiantur quae ad opus explendum, ad sodales eidem addicendos et ad res oeconomicas spectant.

17. [*De peculiaribus operibus assumendis*]. Non congruit quidem ut Religiosi aliique ipsis aequiparati, munia suscipiant, etiam sacerdotalia, quae illos a vita communi habitualiter segregent. Nihilominus in casu specialis necessitatis, Superiores, rogati ab Ordinario loci, quosdam sodales ad haec munia destinare curent, sedulo servatis normis a Sancta Sede datis et adhibitis cautelis ne vita religiosa aliquod patiatur detrimentum.

18. [*De opera subsidiaria a Religiosis praestanda*]. § 1. Apostolica actuositas sodalium Statuum perfectionis non ita circumscribitur operibus sive propriis Instituti sive ceteris occasionaliter assumptis, ut pro urgentibus animarum necessitatibus et Cleri penuria, ab Ordinariis locorum vocari nequeant non tantum Sacerdotes, sed et omnes Sodales viri et mulieres Statuum perfectionis, ut in variis dioeceseon vel regionum ministeriis adiutricem operam praestent.

§ 2. Si Ordinarii loci iudicio religiosorum auxilium necessarium aut valde utile censeatur ad multiplicem apostolatus operam exercendam et ad caritatis ac pastoralis muneris incepta fovenda in paroeciis saecularibus vel in dioecesanis associationibus, Superiores religiosi, ab eodem Ordinario rogati, tenentur pro viribus petitum auxilium per se vel per suos subditos praestare.

Id sane fieri non debet cum gravi detrimento disciplinae religiosae vel operum quae Institutum in bonum Ecclesiae iam suscepit. Sed, religiosa disciplina quantum fieri potest incolumi servata, Sodales cum debita dependentia a propriis Superioribus, prompto animo suum exhibere debent auxilium.

19. [*Applicatio normarum extra ambitum dioecesanum*]. Normae de sodalium Statuum perfectionis immissione in opera et ministeria dioecesana sub moderamine Episcoporum exercenda, ad alia quoque opera et ministeria quae ambitum dioecesis superant, congrua congruis referendo, applicandae sunt.

20. [*Applicatio normarum in locis Missionum*]. In locis Missionum ubi tot tantisque variis necessitatibus spiritualibus populorum in peculiaribus et quandoque valde arduis conditionibus vitae et laboris est occurrendum, praecedentes normae de immissione religiosorum in opera apostolatus opportune aptandae sunt iuxta speciales Instructiones Sanctae Sedis. Nihilominus, etiam in his locis, principia fundamentalia ad eorum immissionem in opera apostolatus servanda sunt ita ut religiosa vita et disciplina, peculiaribus exigentiis accommodata, sarta tecta semper maneat et Superiorum religiosorum auctoritas in suos subditos cum potestate Ordinarii loci ita coordinetur ut effective exerceri valeat.

NOTA

[1] Cf. supra art. 5.

Caput IV

DE MINISTERIO PAROECIALI A RELIGIOSIS PARTICIPANDO

21. [*De directione paroeciarum Religiosis committenda*]. Quoties gravis spiritualis fidelium necessitas urgeat in dioecesi, Religiosi ad maiorem in posterum partem habendam in paroeciis regendis ab Ordinario loci vocari possunt.

Ceterum, cum Religiosi sacerdotes de clero dioeceseos reapse sint, consentaneum est ut, non solum ob Cleri saecularis penuriam, quaedam paroeciae Clero regulari committantur, sed etiam eum in finem ut intimior inter utrumque Clerum unio foveatur.

22. [*De directione paroeciarum mediante conventione committenda*]. Ordinarius loci auctoritate propria potest, de consensu competentis Superioris, paroeciam religioso Instituto committere, etiam ecclesiam religiosam in paroecialem erigendo. Haec paroeciae commissio potest fieri sive in perpetuum sive ad certum praefinitum tempus: in utroque casu id fieri debet mediante conventione scripta inter Ordinarium et competentem Superiorem Instituti, qua, inter alia, expresse et accurate indicentur quae ad opus explendum,ad personas eidem addicendas et ad res oeconomicas spectant.

23. [*De oblationibus fidelium intuitu paroeciae factis*]. Oblationes et legata pia, quae in ecclesia paroeciali religiosa fiunt, etiamsi haec sit ipsius communitatis religiosae, praesumuntur intuitu paroeciae factae, nisi aliud certo constet.

CAPUT V

DE QUIBUSDAM CASIBUS PARTICULARIBUS DEPENDENTIAE RELIGIOSORUM AB ORDINARIIS LOCORUM

24. [*De ecclesiis non paroecialibus Religiosorum vel iisdem commissis*]. § 1. Rector cuiuscumque ecclesiae religiosae, quae non sit adnexa domui religiosae, a loci Ordinario est approbandus. A munere vero amoveri potest ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu; nec alter alteri causam iudicii sui aperire multoque minus probare tenetur, salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem.

§ 2. In ecclesiis religiosorum, etiam domibus religiosis adnexis et exemptis:

1) Functiones paroeciales peragi nequeunt.[1]

2) Divina officia etiam sollemnia ibidem celebrari possunt, salvis legitimis fundationis legibus et dummodo non noceant ministerio paroeciali; in dubio autem utrum huiusmodi detrimentum contingat, necne, Ordinarii loci est rem dirimere et opportunas normas praescribere ad illud evitandum.[2]

3) Si ecclesia, Ordinarii loci iudicio ita a paroeciali distet ut paroeciani non sine gravi incommodo possint paroecialem ecclesiam adire ibique divinis officiis interesse:

a) loci Ordinarius potest rectori aliive legitimo Superiori praecipere ut horis populo commodioribus officia celebret, fidelibus dies festos ac ieiunia denuntiet et catecheticam institutionem et Evangelii explicationem tradat;

b) parochus potest ex eadem Sanctissimum Sacramentum inibi forte asservatum, pro infirmis desumere.[3]

4) Sine rectoris vel alius legitimi Superioris licentia saltem praesumpta, nemini licet in ecclesia Missam celebrare, Sacramenta ministrare aliasve functiones sacras peragere; haec vero licentia dari vel negari debet ad normam iuris.[4]

5) Quod attinet ad conciones in ecclesia ad populum habendas, licentia Ordinarii loci semper requiritur ad normam iuris concedenda.[5]

6) Rector ecclesiae aliusve legitimus Superior, sub auctoritate Ordinarii loci servatisque legitimis statutis ac quaesitis iuribus, debet curare seu advigilare ut divina officia ad sacrorum canonum praescripta ordinate in ecclesia celebrentur et ne quidpiam fiat quod sanctitati loci ac reverentiae domo Dei debitae quoquo modo repugnet.[6]

7) Si ecclesia pertinet ad aliquam Religionem, bonorum administrationi, sacrae supellectili atque aedium sacrarum conservationi et decori Superior religiosus consulere debet.[7] Si ecclesia non est religiosa, iisdem consulere debet Rector sub dependentia Ordinarii loci, salva proprii Superioris religiosi vigilantia.[8]

§ 3. Ecclesiae Rector aliusve legitimus Superior etiam curare et advigilare debet, sub auctoritate proprii ecclesiae Ordinarii, ut onera fideliter adimpleantur.

25. [*De cura animarum in ecclesiis Religiosorum exercenda*]. In omnibus ecclesiis et in omnibus oratoriis publicis vel semipublicis, ad religiosos pertinentibus, quae de facto habitualiter christifidelibus pateant, Ordinarius loci praecipere potest ut episcopalia documenta publice legantur, ut diebus dominicis et festis de praecepto in Missis Evangelium explicetur et catechetica institutio habeatur, ut denique specialis stips colligatur pro determinatis inceptis dioecesanis, nationalibus vel universalibus, ad episcopalem Curiam postea sedulo mittenda.

26. [*De subiectione associationum fidelium Ordinario loci*]. Omnes fidelium associationes etiam ab Apostolica Sede erectae, licet subsint ductui ac moderamini alicuius Religionis, iurisdictioni subsunt et vigilantiae Ordinarii loci, qui ad normam sacrorum canonum eas invisendi ius habet et munus.

Quod si in externa apostolatus opera vel in cultum divinum promovendum incumbant, praescripta de hac re ab Ordinario loci edita servare debent.

27. [*De visitatione ecclesiarum et oratoriorum ab Ordinario loci*]. Ordinarius loci ius habet visitandi religiosorum etiam exemptorum ecclesias et oratoria, semipublica quoque si ad haec ordinarie accedant fideles, relate ad observantiam legum generalium et decretorum episcopalium de cultu divino.

Quod si forte abusus in hac re Ordinarius deprehenderit, frustra Superiore religioso monito, propria auctoritate ipse per se providere potest.

28. [*De visitatione scholarum aliorumque operum ab Ordinario loci*]. § 1. Ordinarius loci quaslibet religiosorum scholas, collegia, oratoria, recreatoria, patronatus etc., exceptis tantum scholis internis pro Instituti propriis alumnis, visitare potest, sive per se sive per alium, in iis quae ad alumnorum institutionem ac disciplinae rationem, atque ad pensiones seu taxas ab alumnis solvendas spectant.

§ 2. Item quascumque scholas, hospitalia, orphanotrophia aliaque similia instituta, ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis destinata, etsi religiosorum etiam exemptorum sint propria vel iisdem concredita, Ordinarius loci visitare potest, sive per se sive per alium, quoad observantiam iustarum legum civilium de paedagogica et hygienica institutione deque tutela ac securitate adversus infortunia.

29. [*De licentia Ordinarii loci requisita ad causam civilem introducendam*]. Omnes religiosae personae, sive physicae sive morales, exemptae vel non exemptae, atque etiam omnes coetus quos religiosi moderantur, prohibentur quominus sine licentia Ordinarii loci ubi degit persona quae actionem promovet et, si casus ferat, Ordinarii loci in quo causa introducitur, per se aut per alios causam civilem aut criminalem apud magistratum laicum instituant.

30. [*De rationibus cum civilibus moderatoribus et politicis partibus a*

Conferentia Episcoporum definiendis]. Religiosi ea omnia quae Episcopalis Conferentia edixerit de rationibus habendis cum civilibus moderatoribus vel politicis partibus necnon de iuribus civilibus exercendis studiose servare debent una cum Clero saeculari, sub Ordinarii loci moderamine.

Idem servare debent quoad actionem pastoralem et socialem ab Episcopis praescriptam aut commendatam.

31. [*De emptione et alienatione non facienda inconsulto Ordinario loci*]. Religiosi omnes, etiam exempti, prohibentur sive per se sive per alios emere vel alienare bona immobilia aut aedes exstruere in dioecesi, inconsulto Ordinario loci.

32. [*De stipe quaeritanda a Conferentia Episcoporum definienda*]. Coetus episcopalis uniuscuiusque nationis, valet, auditis Superioribus religiosis quorum interest, normas de stipe quaeritanda statuere, quae ab omnibus Religionibus servari debent, iis non exclusis quae ex instituto mendicantes vocantur et sunt, salvo tamen earumdem mendicandi iure.

NOTAE

[1] Can. 481 *C.I.C.* et can. 521 *C.I.C.O.*; Motu Proprio *Cleri Sanctitati.*
[2] Can. 482 *C.I.C.*; can. 522 *C.I.C.O.*
[3] Can. 483 *C.I.C.*; can. 523 *C.I.C.O.*
[4] Can. 484 § 1 *C.I.C.*; can. 524 *C.I.C.O.*
[5] Can. 484 § 2 *C.I.C.*; nihil in *C.I.C.O.*
[6] Can. 485: partim *C.I.C.*; can. 525 § 1 *C.I.C.O.*
[7] Cf. 525 § 2 *C.I.C.O.*
[8] Cf. can. 630 § 4 *C.I.C.*

Caput VI

DE OPERIBUS APOSTOLATUS RITE EXPLENDIS ET COORDINANDIS

33. [*De congrua praeparatione Religiosorum ad opera apostolatus*]. Ecclesiae ad apostolatum vocanti Religiosi plene respondere non valebunt nisi ad ardua munia apostolica apte praeparati inveniantur. Quare, « in toto probationis et institutionis tempore, ne omittant moderatores animos alumnorum ad apostolatum allicere et, pro eorum aetate et capacitate, de mediis hodiernis edocere, quin etiam in eodem moderate exercere, iuxta mentem Ecclesiae et pro cuiusque Instituti natura et fine ».[1] Eos insuper, praesertim intra annum Pastoralem, aperte praemoneant de difficultatibus quae in vita apostolica occurrere possunt.

Quae praeparatio alumnorum in primis ad opera propria Instituti dirigatur oportet. Nihilominus, praesertim in anno Pastorali, extendatur quoque, saltem sub quadam generica ratione, ad varia munia sacerdotalia et curam animarum quae sacerdoti cuilibet, data occasione, contingere possunt. Tan-

dem omnibus Religiosis viris et mulieribus congruae notiones tradantur de Actione Catholica, cui ipsi secundum propriam quisque conditionem, validum auxilium afferre possunt.

34. [*De congrua aptatione rationis vitae Religiosorum operibus apostolatus exercendis*]. Ut Religiosi opera apostolatus sibi concredita expedite adimplere valeant, prout oporteat eorum consuetudo vitae aptanda erit, praesertim quoad horaria et exercitia in communi peragenda. Id quidem faciendum est non a subditis, sed a Superioribus, habita ratione apostolatus exercendi atque intra finem et secundum spiritum Instituti, ne propter huiusmodi necessariam accommodationem religiosa sodalium vita ullum capiat detrimentum.

35. [*Coordinatio apostolatus: necessitas*]. Quo haec impensior actuositas apostolica Religiosorum in commune bonum tum Ecclesiae universae cum singularum dioecesium vel regionum plenius cedat, necessaria est sive inter diversa Instituta sive cum Clero saeculari, etiam in ambitu paroeciali, arcta operum et actionum coordinatio, pari zelo et diligentia, ab Ordinariis locorum et Superioribus religiosis promovenda ex qua una acies ad Regnum Dei in animabus roborandum et extendendum, potentissima constituatur.

36. [*Coordinatio apostolatus: caritas, regula suprema*]. Fecunda autem coordinatio actionis apostolicae non pendet solum ab organica dispositione operum et virium, sed maxime a supernaturali animarum et mentium habitu, qui in caritate radicatur ab eaque nutritur et profluit. Ideo, ad hanc exoptatam coordinationem obtinendam norma suprema ea sit ut, singulorum iuribus servatis, omnia ab omnibus cum mutua aestimatione et perfecta caritate fiant, solum attendendo ad gloriam Dei et animarum salutem.

37. [*Coordinatio apostolatus: quoad opera etiam propria*]. Perfecta autem apostolatus coordinatio, praeter varia opera communia dioecesis comprehendit etiam opera propria singulorum Institutorum, quae in bonum dioecesis vel regionis cedant.

38. [*Coordinatio apostolatus: ratio procedendi*]. Apostolatum rite coordinare competit Sacris Praesulibus sive singulis in sua cuique dioecesi, sive variis eorum coetibus ad hoc legitime constitutis si de apostolatu agatur per integras regiones promovendo. Sane, omnino decet et expedit ut hac in re Sacri Praesules, pro parte apostolatus a Religiosis suscepta, non procedant nisi praeviis consiliis initis cum Superioribus qui aequum ferre valent iudicium de iis quae eorum sodales convenienter praestare possunt.

Sacra vero Synodus enixe commendat ut Superiores religiosi Sacrorum Praesulum placitis iuxta normas statutas libenter obsecundent.

39. [*Coordinatio apostolatus: consilium coordinativum*]. Valde exoptandum est ut speciale in unaquaque dioecesi instituatur Consilium cui Ordinarius loci praesit et in quo uterque clerus partes habeat. Huius Consilii munus erit ea quae ad apostolatus opera eiusque coordinationem spectant investigare, perpendere atque practicas deducere conclusiones quas Ordinarius loci ad effectum deducere valeat, servatis de iure servandis.

Quando autem in praefato Consilio de re Institutorum laicalium sive virorum sive mulierum propria tractabitur, Superiores aliique legitimi delegati horum Institutorum vocandi erunt, informationes super quaestionibus discutiendis daturi et mentem suam manifestaturi.

Expedit quoque ut similia Consilia instituantur pro totius nationis vel alicuius regionis territorio, ut munia et incepta apostolica quae ad universaliores effectus tendunt, consiliis collatis cum Superioribus religiosis, efficacius promoveantur et aptius coordinentur.

40. [*Coordinatio apostolatus*: *conventus utriusque cleri*]. Curent pariter Sacri Praesules ut habeantur utriusque Cleri conventus et collationes indolis culturalis et pastoralis, ad fovendam mutuam cognitionem et penitiorem compaginem in apostolatu exercendo.

41. [*Coordinatio apostolatus*: *adiutrix opera Conferentiarum Superiorum Maiorum*]. Conferentiae Superiorum Maiorum in pluribus nationibus erectae hanc Institutorum coordinationem in apostolatu pro sua parte promoveant, habita ratione eorum quae ab Episcopis circa apostolatum statuta fuerint.

42. [*Coordinatio apostolatus*: *Conferentiae inter Episcopos et Religiosos*]. Ad fovendas concorditer et fructuose mutuas relationes Episcopos inter et Religiosos, quoties id opportunum videbitur conveniant Episcopi et Superiores religiosi per se aut per suos delegatos, ad negotia tractanda, quae universim ad apostolatum in natione aut provincia pertinent.

NOTA

[1] Cf. *Sedes Sapientiae,* art. 47, 1.

Caput VII

DE PRIVILEGIIS RELIGIOSORUM

43. [*De quibusdam privilegiis Religiosorum ad Episcopos extendendis*]. Facultates et privilegia, quibus in bonum fidelium gaudent Religiosi in dioecesi domum habentes, competunt etiam loci Ordinario.

44. [*De privilegiis Religiosorum revidendis*]. Privilegia particularia a Sancta Sede decursu saeculorum Religiosis Institutis aliisque aequiparatis concessa, eatenus in vigore servanda sunt, quatenus bonum religionis promoveant. Ideo, intra congruum temporis spatium, ab Apostolica Sede determinandum, ipsius Sanctae Sedis iudicio submittenda erunt.

COMMISSIO DE DISCIPLINA CLERI ET POPULI CHRISTIANI

I

DE DISTRIBUTIONE CLERI *

Christifideles in quibusdam orbis terrarum regionibus, ob parvum sacerdotum numerum, in periculo versantur deficiendi a morum honestate et a fide catholica, quia praedicatione verbi Dei et sacramentorum administratione carent. Ea de re solliciti esse debent singuli fideles, utpote qui sint membra unius corporis Ecclesiae,[1] instanter rogantes Dominum messis « ut mittat operarios in messem suam » (Mt. IX, 38), itemque « unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes » (*I Petr.* IV, 10). Qua profecto obligatione clerus praecipue tenetur, « qui sacerdotium et apostolatum Christi Domini, miro ipsius delectu ac concessu, participat »;[2] maxime vero Episcopi sentiant oportet penitus cum Romano Pontifice adstringi gravissimo officio « dilatandi Evangelii et toto terrarum orbe Ecclesiae condendae ».[3]

Ab antiquitus quidem sollemne semper fuit ut qui ad sacros ordines promoverentur, determinatae ecclesiae stabiliter addicti seu incardinati essent; ad fidem tamen ad alias semper gentes propagandam clerici seu sacerdotes mitti consueverunt, sicut et monachi ac fratres mendicantes aliique religiosi quamplurimi.

Quare Patres huius Sacrosancti Concilii statuere decreverunt:

I. Episcopi, qua Apostolorum successores, recolant sibi omnium ecclesiarum sollicitudinem cordi esse debere. Curent proinde auxilio iuvare illas dioeceses, in quibus, ob parvum sacerdotum numerum, integritas fidei et praxis vitae christianae in discrimen vertuntur.

II. Religionum clericalium Superiores maiores quoque, prae ceteris, dioecesibus auxilium libenter praebere satagant, sive in eis novas religiosas domus fundando, sive sacerdotes sibi subditos ad normam iuris designando, qui sacro ministerio pastorali exercendo aptiores et validiores sint.

III. Instituatur apud Sanctam Sedem peculiare Consilium, cuius erit ordinare ac moderari ea omnia, quae vocationes ecclesiasticas fovendas respiciunt, vel ad aptiorem cleri distributionem, pro ecclesiarum necessitatibus, attinent.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in tertia congregatione sessionis secundae, die 10 nov. 1961. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars I, pp. 563-595.

IV. In bonum omnium alicuius Nationis (vel alicuius Regionis, quae forte ex pluribus nationibus constet) dioecesium, constituantur, pro rerum adiunctis et locorum indigentia, Consociationes cleri saecularis — quales in aliquibus regionibus iam exstant ibique « Missiones nationales » nuncupantur — quae in Praelaturam, cum aut sine territorio, erectae, sub regimine sint certi Praelati, eiusdem Praelaturae Ordinarii.

Istius Praelati erit Seminarium nationale erigere ac dirigere, in quo alumni instituantur in servitium totius Nationis, vel Regionis.

Eidem Praelato ius sit alumnos ita institutos incardinandi, eosque ad Ordines promovendi « titulo Nationalis vel Regionalis ».

Onus tandem sit Praelato providendi decorae sustentationi eorum, quos promoverit titulo praedicto.

V. Quantum fieri potest, erigantur, ubi adiuncta id suadeant, peculiaria Seminaria in adiutorium orbis regionum quae clero magis indigere videantur.

Apud ordinaria etiam Seminaria piae fundationes constituantur ad hoc ut nonnulli iuvenes ibidem ali et institui possint in praefatum laudabilem finem.

VI. Foveantur Seminaria pro vocationibus « serotinis », in quibus viri maturioris aetatis, vel qui studia in scholis « technicis », aliisve id genus, perfecerint, expeditiore curriculo studiorum ad sacerdotium parari possint.

VII. Vinculum caritatis, aptis conventionibus firmetur inter dioeceses, ita ut altera tanquam « matrina », altera tanquam « filia » habeatur, vel ambae uti « geminae » consocientur: unius dioecesis erit ad alteram sacerdotes mittere, sive ad certum tempus, sive in indefinitum.

VIII. Superiores Maiores Religionum clericalium se paratos praebeant, summa caritate ac libenti obsequentique animo, ad consentiendum ut locorum Ordinarii, iuris praescriptis servatis, eorum ecclesias in paroeciales erigant, aut — si magis opportunum visum fuerit — subsidiarias seu succursales paroecialium constituant.

Item, paroeciae saeculares Religiosis administrandae committantur, atque Religiosi instituantur cappellani vel adsistentes adsociationum fidelium.

IX. Aptentur iuris praescripta de incardinatione et excardinatione, ne a sola voluntate Ordinarii loci abhinc pendeat transitus clericorum ad aliam dioecesim. Itaque, salvis iis quae supra, ad IV-V, iam notata sunt, haec addantur ad normas de excardinatione — incardinatione in cann. 112 et seqq. C.I.C. contentas, videlicet:

a) Extra casum verae necessitatis, Ordinarius loci litteras excardinationis ne deneget clericis, qui mitti et incardinari postulaverint ad dioecesim alteram, gravi inopia cleri laborantem (cf. cann. 116 et 117 C.I.C.).

b) Clericus, qui a sua dioecesi ad aliam, ad tempus indefinitum, *legitime* transmigraverit, huic dioecesi *ipso iure,* transacto quinquennio, incardinatur, nisi vel ipse contrariam antea voluntatem manifestaverit, vel Ordinarius dioecesis originis, aut Ordinarius dioecesis hospitis, consensum antea revocaverit.

X. Privilegium totalis exemptionis a iurisdictione Ordinarii loci, quod certis Religionibus clericalibus iure vigenti competit, accommodetur hodiernis, quae videntur societatis christianae exigentiis.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 16-21 ianuarii 1961.

NOTAE

[1] Cf. *I Cor.*, XII, 25 et 27.
[2] PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae gestarum,* 28 febr. 1926.
[3] PIUS XII, Litt. Encycl. *Fidei donum,* 21 apr. 1957.

II

DE CLERICORUM VITAE SANCTITATE *

Sacrorum Pastorum ac sacerdotum opera, quae christianum populum ad vitanda mala, ad superanda discrimina et ad sanctimoniam assequendam ut conducat oportet, haud plenos nancisci potest effectus, nisi sacerdotes circumstanti populo insignis sanctitatis fulgore praeluceant; sintque digni « ministri Christi », fideles « dispensatores mysteriorum Dei »,[1] efficaces « Dei adiutores »,[2] ad omne opus bonum instructi.[3] Excelsa haec dignitas a sacerdotibus postulat ut gravissimo officio suo fidelitate summa respondeant, qua de causa et Romani Pontifices et Consilia Ecclesiastica nullo non tempore consiliis, monitis, praescriptis efficere curarent ut clerici omnes, praecipue vero sacerdotes, in omnibus virtutibus excellant, praeprimis pietate, humilitate, oboedientia, castitate, caritate erga Deum et erga proximos. Quamplura demum de obligationibus clericorum in cann. 124-144 C.I.C. definite statuta sunt, quae, si perfecte constanterque serventur, iidem digni et idonei absque dubio fiunt ad munus suum rite explendum. Novissimis tamen temporibus, ob semper in dies ingravescentem consociationis hominum defectionem et abscessionem a Deo, maior profecto in clericis exigitur diligentia ut a saeculi vitiis se immunes conservent et in exercendis virtutibus alacriores fiant; quocirca Romani Pontifices pluries nuperrime sacerdotes, eos praesertim qui curam habent animarum, vehementer ad vitae sanctimoniam exhortati sunt,[4] nonnullis etiam editis decretis per S. Congregationem Concilii, ut firmior disciplina ecclesiastica habeatur atque abusus praecaveantur.[5]

At vero, et in praesens etiam atque etiam omnibus clericis, ac peculiari modo sacerdotibus, enixe commendandum est ut sint quam maxime solliciti de vita spirituali seu supernaturali intimius agenda, cum, in pluribus regionibus valde imminuto sacrorum administrorum numero et auctis ubique copia ac momento operum sollertiae pastoralis, saepius sacerdotes in periculo versantur ne, sui muneris inceptis nimio ardore se dedentes, propriam suam cuiusque sanctimoniam praetermittant ac infructuose pariter curam animarum exerceant.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quarta congregatione sessionis secundae, die 11 nov. 1961. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars I, pp. 595-624.

Quo igitur clerici, qui sal terrae et lux mundi sint oportet,[6] paratiores evadant ab hominum salutem efficacius promovendam, haec quae sequuntur decernenda proponuntur:

I. Meminerint clerici proprium munus in Ecclesia fideliter adimplere non posse, nisi ipsorum vita coram Deo et hominibus sanctitate polleat. Quidquid cleri sanctitatem respicit tanquam primarii et maximi momenti considerandum est, cum in bonum Ecclesiae et animarum, tum in bonum eorundem clericorum.

II. Omnes fideles baptismate sanctificantur et ad sanctitatem vocantur: « secundum eum qui vocavit vos sanctum, et ipsi in omni conversatione sancti sitis; quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum » (*I Petr.*, I, 15-16), « Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est » (*Mt.*, V, 48).

III. Sanctitas sacerdotis ea propter specificatur, quod modo speciali vocatus et sacramento Ordinis consecratus sit, ut alter Christus fiat et dispensator mysteriorum Dei (cf. *I Cor.*, IV, 1), ad sacrum ministerium in populo Dei exercendum. Semper ideo conscius sit sacerdos Christum praecipue per ipsum in dies opus redemptionis perficere velle, proindeque sacrosancti sacrificii oblatione, oratione, praedicatione, pastorali ministerio tendat quam maxime ad unionem cum Christo Sacerdote per caritatem et aliarum virtutum exercitium.

IV. Sanctitas sacerdotis, spirituali dioecesis familiae addicti, per propria pastoralia munera exercetur et alitur, et peculiari quidem modo: *a*) per unionem cum Episcopo, cuius est « cooperator », eaque praecipue per oboedientiam ostenditur; *b*) per fraternam caritatem et collaborationem cum ceteris sacerdotibus, cum his praesertim qui ministerio dioecesano sunt addicti, itemque cum cooperatoribus laicis; *c*) per diligens et assiduum ministerium in commodum fidelium, qui eidem sunt commissi.

V. Cum sacerdotes ad sanctitatem ut homines vocati sint et insuper Iesu Christi ministri sint constituti, virtutes etiam naturales acquirere et perficere curent, secundum monita S. Pauli Apostoli: « Quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate » (Phil., IV, 8).

VI. Cum Christus Dominus dixerit: « Unus est enim magister vester; omnes autem vos fratres estis » (*Mt.*, XXIII, 8), sacerdos unum se sentiat cum fidelibus tamquam fratribus. Inter quos praesto sit ad ministerium sanctum Christi libenter explendum, et studeat ut non dominetur (cf. *II Cor.*, I, 23), sed ut omnibus omnia factus (*I Cor.*, IX, 22), eos sibi idoneos collaboratores adducat in aedificandam Ecclesiam.

VII. Sacerdotis vita spiritualis, quae est anima eius apostolatus, his mediis maxime favetur:

a) Assidua consuetudine legendi et meditandi Sacram Scripturam, necnon studio sanctorum Patrum et Theologiae.

b) Attenta et devota participatione vitae liturgicae Ecclesiae, praesertim in offerendo eucharisticum sacrificium et in persolvendo divinum officium, necnon ardentissima pietate erga Christum Dominum, praecipue in SS. Eucharistia.

c) Docili obsequio motioni Spiritus Sancti, qui Christi ministrorum actionem praevenit, concomitatur et perficit.

d) Amore filiali erga Beatissimam Virginem Mariam, Matrem « Christi Sacerdotis ».

e) Oratione mentali clericis omnino necessaria, ad quam peragendam iidem congruum tempus cotidie sibi reservent.

f) Exercitiis spiritualibus, quibus omnes clerici indigent, et ideo praescribitur ut sacerdotes iis quotannis primo sacerdotii quinquennio, postea vero alternis saltem annis, vacent, nisi iusta de causa et expressa proprii Ordinarii licentia eximantur.

g) Menstrua recollectione, cotidiana conscientiae discussione, lectione spirituali, frequenti peccatorum confessione, directionis spiritualis usu, operibus misericordiae et praeprimis erga confratres.

VIII. Peculiaris clericorum dignitas eorumque vitae spiritualis praeservatio et progressus, itemque maior apostolici muneris efficacia, exigunt ut quilibet sacerdos dioecesanus speciales cautiones servet, ne, in hoc saeculo vivens, huic saeculo conformetur (*Rom.,* XII, 2). Firma igitur manente disciplina a can. 139 C.I.C. praescripta, praeterea enixe commendatur ut in Episcoporum conferentiis nationalibus certae normae statuantur, locis et temporibus convenienter aptatae, ut etiam externa forma vitae sacerdotalis suo apostolico muneri respondeat, populum aedificet, ipsius sacerdotis dignitatem incolumen servet.

IX. Non modo fidem catholicam in Deum Unum et Trinum clerici firmiter teneant, sed et doctrinam in Ecclesia communiter receptam de philosophia perenni, de iuridica societatis humanae natura, ac praesertim doctrinam socialem a Romanis Pontificibus traditam sedulo sectentur et doceant. Atheismi, materialismi dialectici, dictaturae proletariatus erroribus nullimode indulgeant, nec quomodocumque ulli societati vel factioni adhaereant quae, proprii Ordinarii iudicio, prorsus immunis non sit ab aliquo eiusmodi errorum.

X. Dei servitio et curae animarum plane dediti ac mancipati, sacerdotes non tantum se vivide sentiant lege obstrictos perfectam observandi castitatem et oboedientiam suo Ordinario exhibendi, verum etiam totam vitam suam componere curent secundum evangelica consilia paupertatis, castitatis et oboedientiae, ita ut coram populo praeluceant ob animum suum solutum et liberum ab effectu rerum terrenarum et bonorum temporalium.

XI. Sacerdos, caritate Christi motus, diligentiam adhibeat ut quamplures Christo lucretur et fideles omnia rite adimpleant, quae necessario servari debent, ac insuper crescant in fide, spe et caritate. Quem in finem omnibus mediis idoneis, quae hodiernis temporibus aptantur, prudenter, fortiter suaviterque utatur, itemque diligenter studeat ut ipse in omnibus ministerii sui operibus

continuo in virtutibus perficiatur. Si autem labor eius infructuosus maneat et afflictiones super eum corruant, crucem libenter complectatur, ut adimpleantur ea quae desunt passioni Christi in carne sua (*Col.*, I, 24), gaudens se dignum factum esse pro nomine Iesu pati (*Act.*, V, 41).

Adveniente vero hora mortis, memor sit sacerdos per baptismum cum morte Christi se esse coniunctum (*Rom.*, IV, 4), qui mortem fidelium in sacrificium Deo acceptabile mutare potest, et idcirco animam suam cum Christo pro fratribus offerat Deo sicque ut servus bonus et fidelis gloriam assequetur aeternam.

XII. Vitam spiritualem cleri dioecesani quam maxime fovent, uti experientia constat, vita communis atque conventus et associationes, quibus sacerdos dioecesanus ex solitudine tum physica tum morali eripitur et confratribus unitur vinculo amicitiae, fraternitatis, recreationis, aemulationis, orationis, studiorum, pastoralis collaborationis. Hinc eiusmodi associationes in honore habendae sunt eaeque, de consensu Ordinarii, in quavis dioecesi erigantur. Apud Curiam Romanam autem Officium instituatur, ut easdem ordine disponat eisque invigilet.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 15-20 maii 1961.

NOTAE

[1] Cf. *I Cor.*, IV, 1.

[2] Cf. *I Cor.*, III, 9.

[3] Cf. *II Tim.*, III, 17. - PIUS XII, Adhortatio Apostolica *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950, *A.A.S.*, vol. 42, pp. 657 et 658.

[4] Cf. PII XI Litt. Enc. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935; PII XII Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* 23 sept. 1950; IOANNIS XXIII Litt. Enc. *Sacerdotii Nostri primordia,* 1 aug. 1959.

[5] Cf. S. Congr. Concilii decreta d. 1 iul. 1926; d. 28 iul. 1931; d. 22 mart. 1950.

[6] Cf. *Mt.* V, 13-14.

III

DE HABITU ET TONSURA CLERICALI *

Expedit profecto ut clerici, qui in Ecclesia ex divina institutione sunt a laicis distincti, ab iisdem etiam in habitu externo distinguantur. Hinc antiquitus tanquam vestis propria clericorum servata est toga romana, dum laici adoptarunt breviorem et apertum habitum invasorum Imperii Romani, eaque deinde formam induit vestis talaris, nigri coloris, ad talos usque pertingentis. Patres tamen Concilii Tridentini, verba Innocentii III referentes: « cum monachum non faciat habitus » (c. 13, X, III, 31), voluerunt quidem ut distinctio clericos inter et laicos praecipue ex eorum virtutibus appareret, sed etiam praescripserunt ut habitu quoque clerici, a laicis distinguerentur: « oportet clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant » (Sess. XIV, c. 6 de ref.); Episcopis autem fecerunt facultatem huius habitus formam, pro diversis rerum et locorum adiunctis, accurate determinandi. Postea vero lege universali Sixtus V vestem talarem et tonsuram seu coronam clericalem omnibus clericis imposuit (Const. Apost. *Cum sacrosanctam,* 9 ian. 1589, §§ 1, 2). Sed consuetudo contraria demum in non paucis regionibus invaluit, qua scilicet in Anglia, Hibernia, Statibus Foederatis Americae Septemptrionalis aliisque locis habitus clericalis admissus est magis ad laicorum vestes accedens, ab iisdem tamen distinctus et obscurioris coloris, qui passim hodie « clergyman » nuncupatur, eoque postremis hisce temporibus saepius utuntur — praesertim in itineribus peragendis — etiam clerici in quorum regione proprius habitus ecclesiasticus adhuc est vestis talaris.

Nunc vero, iuxta haud paucorum Episcoporum vota et plurimorum huius Pontificiae Commissionis Praeparatoriae de disciplina cleri et populi christiani Membrorum sententiam, iustae gravesque rationes suadent ut omnibus ubique clericis — extra sacras functiones et sollemnitates — licitus sit habitus « clergyman », utpote qui sit magis aptatus necessitatibus hodiernae vitae civilis. Decori vestis talaris profecto repugnat, si ea induantur clerici dum birotis cuiusvis generis vehuntur, quarum tamen usus clericis ad

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quinta congregatione sessionis secundae, die 13 nov. 1961. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars I, pp. 624-654.

apostolatus opera exercenda saepius est necessarius. Praeterea, si vestem « clergyman » deferant, clerici haud raro facilius conventibus operariorum et virorum excultorum interesse possunt ad munia sui officii explenda. Denique, decet omnino ut etiam clerici in ordinariis vitae civilis adiunctis habitu demisso et minoris pretii utantur, sicut laici facere consueverunt.

Manifestum est autem quod tonsura clericalis non congruit cum habitu ecclesiastico, qui « clergyman » denominatur. Ceterum pluribus in locis tonsura clericalis iam penitus in desuetudinem abiit.

Omnibus itaque attente perpensis, haec quae sequuntur statuenda videntur:

I. Distinctio habitum clericalem inter et laicalem retineatur.

II. Clerici omnes veste talari, seu ad talos usque pertigenti, utantur in omnibus sacri ministerii functionibus in ecclesia, immo, nisi recepti populorum mores aliud ferant, etiam in iisdem functionibus extra ecclesiam.

III. Clerici veste talari utantur, quantum fieri potest, etiam in caeremoniis civilibus quas vocant, quando Ecclesiam publice repraesentant.

IV. In ordinariis autem vitae civilis adiunctis, omnibus ubique clericis, licitus sit habitus v. d. « clergyman », formae quidem modestioris, nigri vel cinerei coloris (quantum id ferant climatis conditiones), collari ecclesiastico semper ornatus.

Episcoporum conventuum erit in unaquaque natione normas edere ut transitus a forma habitus consueta cum prudenti moderatione fiat.

V. Clerici simplicem capillorum cultum adhibeant, sed non amplius urgetur obligatio gestandi tonsuram clericalem.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 16-21 ianuarii 1961.

IV

DE PAROECIARUM PROVISIONE, UNIONE, DIVISIONE *

I - De paroeciarum provisione

Primis inde a saeculis agnitum est ius Episcoporum praeficiendi paroeciis sacerdotes, quos aptiores censebant ad animarum curam. Paulatim vero admissa sunt privilegia multa in favorem patronorum, capitulorum, monasteriorumve, dum Sancta Sedes paroecias nonnullas sibi reservaret ad immediatam suam potestatem vindicandam, necnon ad stipem colligendam.

Tridentina autem S. Synodus induxit legem concursus, quae plus minusve minuebat adhuc Episcoporum iura, ut digniores certius nominentur.

At, decursu saeculorum ius nativum Episcoporum clarius evadit, ita ut iam in Codice Iuris Canonici valde limitentur iura praesentationis, restrictis iure patronatus et concursus lege.

Nil mirum si multi Episcopi optarent plenam libertatem sibi agnoscendam esse ad paroeciarum provisionem recte perficiendam.

Propositiones:

I. Provisio paroeciarum fiat per liberam collationem ab Ordinario loci, revocato quovis iure praesentandi aut eligendi, salvo can. 471 § 2 et salvis normis quae hic sequuntur.

II. Ius praesentandi aut eligendi parochum, quod conventione Sanctam Sedem inter et Nationes alicui est agnitum, eadem Sancta Sedes curabit ut, quantum fieri possit, utriusque partis consensu, tollatur; quod cum obtinere nequeat, utraque item parte consentiente, idem ius ita reducere satagat, ut patrono tantummodo sit ius seligendi inter tres sacerdotes ab Ordinario loci designatos.

III. Ius praesentandi aut eligendi parochum, quod ex fundatione alicui competat, Ordinarius loci curet ut, pariter consentientibus iis quorum interest, tollatur, aut, si hoc obtineri nequeat, eadem ratione de qua in n. 2 reducatur.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in sexta congregatione sessionis secundae, die 14 nov. 1961. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars I, pp. 654-670.

IV. Cessante iure praesentandi, Ordinarius loci suffragia spiritualia pro patronis eorumque familiaribus persolvenda determinet, aliave obsequia iisdem concedenda definiat, salvis insuper aliis privilegiis ac oneribus iuri patronatus adnexis.

V. Ad comprobandam candidatorum idoneitatem serventur quae indicantur in can. 459 §§ 1, 2, 3, abrogata ubique lege communi concursus, saltem specialis.

VI. Si forte lex concursus, vi conventionis Sanctam Sedem inter et Nationes vigeat, de illius suppressione cum eadem tractabitur.

VII. Sancta Sedes non amplius sibi reservet beneficia curata, quae vacaverint per obitum, promotionem, renunciationem vel translationem Familiarium, honoris tantum, Summi Pontificis tempore vacationis beneficii, aut quae fundata extra Romanam Curiam vacaverint per beneficiarii obitum in ipsa Urbe.

II - De paroeciarum unione et divisione

Nostris diebus adeo invaluit oeconomicus progressus in nonnullis regionibus, ut animadvertatur magnas, immo maximas, coaluisse urbes, quarum paroeciae remanserunt prouti fuerunt ante populi incrementum; nec praetereundum est e contra multos fideles rus deseruisse, ita ut rurales paroeciae minorem christianorum numerum ascribant.

Proinde, pastoralis activitas sufficienti caret obiecto in multis parvis vicis, dum impar sit in magnis urbibus ad curam animarum congruenter exercendam.

Hinc, oportet ut praesenti statui iuridico paroeciarum nimium non attendatur, sed, prout casus ferat, novae paroeciae constituantur, ecclesiae vel oratoria erigantur, religiosorum ministerium requiratur, omnibus fidelibus monitis de gravi qua tenentur obligatione pro viribus cooperandi officio pastorali Episcopi.

Propositiones:

I. Omnino enitendum est ut paroeciae nimium fidelium numerum habentes dividantur, creatis novis paroeciis, ita ut, quantum possibile sit, unaquaeque numerum decem millium paroecianorum non excedat.

II. Locorum Ordinarii, quatenus deficiant sacerdotes saeculares, animarum curam religiosis a Superiore praesentatis committant ad nutum Sanctae Sedis aut ipsius Episcopi.

III. Si quando paroeciae propriam ecclesiam habere nequeant, iisdem iussu Ordinarii loci interim tribuatur usus alterius ecclesiae, etiam quomodocumque exemptae, peculiari inita, si casus ferat, legitima conventione; vel saltem quidam locus decens pro ecclesia paroeciali interim aptetur.

IV. Urgeatur fidelium dioeceseos obligatio contribuendi ad erectionem novarum paroeciarum et in singulis dioecesibus institutum aliquod erigendum curetur ad ecclesias aedificandas aut restaurandas.

V. Crescente urbium extensione et fidelium numero, tempestive loca idonea provideantur, ubi ecclesiae aliaque paroecialia aedificia extrui possint.

VI. Parvae paroeciae, quantum res postulet et adiuncta sinant, in unam redigantur.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 15-20 maii 1961.

V

DE OBLIGATIONIBUS PAROCHORUM *

Paroeciale officium maximi est momenti, licet non divinae sed ecclesiasticae tantummodo institutionis; parochis enim nobile et gravissimum munus commissum est opem ferendi Episcopo in administranda ordinaria et immediata cura animarum, quocirca merito appellati sunt « adiutores et cooperatores Episcopi ». Quamplura a Conciliis et a Romanis Pontificibus procedente tempore statuta sunt, ut parochi rite incumbant in munia pastoralia ad uberiores fructus percipiendos, cum ex institutione fidelium de his quae credere et agere debent ad sanctificationem et salutem aeternam assequendam, tum ex facta ab iis administratione sacramentorum. Denique in *Codice Iuris Canonici* facultates et iura accurate definita sunt, quae parochis ratione sui officii competunt, ut proprium ministerium apte exercere possint; praecipue autem in eodem Codice parochorum obligationes diligenter determinatae sunt, ut cum sollertia et zelo apostolico fideles sibi commissos doctrinam christianam doceant easque cum prudentia et caritate et efficacia regant.

Novissimis autem hisce temporibus, ob rerum et personarum adiuncta quae etiam fideles a Dei amore et servitio avertunt, perdifficile est ut ministerium pastorale competenter ac fructuose exerceatur. Quocirca animus parochis addatur oportet ut munere suo apte accurateque fungantur, eorumque praecipuae obligationes firmiter urgeri debent, nonnullis additis novis peculiaribus praescriptis et quibusdam etiam innovationibus factis praescriptorum actu vigentium.

Quare haec proponuntur quae sequuntur:

I. In paroeciis instauretur parochi et vicariorum vita communis, quatenus iudicio Episcopi id fieri possit, pro locorum adiunctis ac moribus.

II. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam. Loci tamen Ordinarius iusta de causa permittere potest ut parochus alibi commoretur, etiam extra paroeciam praesertim in domo pluribus parochis communi, dummodo tamen paroecialium perfunctio munerum nihil exinde detrimenti patiatur.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in sexta congregatione sessionis secundae, die 14 nov. 1961. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars I, pp. 670-684.

III. Parochus, feriarum seu vacationum gratia, a paroecia quotannis ne absit ultra unum mensem, nisi Ordinarius diuturnius vacationum tempus, iusta de causa, concedendum putaverit.

IV. Cum absentia ultra hebdomadam, quacumque de causa, est duratura, parochus, praeter legitimam causam, habere debet Ordinarii scriptam licentiam et vicarium substitutum sui loco relinquere, ab eodem Ordinario probandum. Quem si non reliquerit, munus substituti assumat sacerdos de quo in can. 472, n. 2.

V. Etiam pro tempore brevioris absentiae, infra hebdomadam, parochus ne discedat nisi fidelium necessitatibus apte providerit.

VI. Debet parochus post captam possessionem, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, Missam pro populo sibi commisso applicare singulis diebus dominicis. Item, unam Missam pro populo applicare debet in festo Nativitatis Domini.

VII. Parochus Missam pro populo applicandam celebret die quo iure adstringitur, nisi iusta de causa alia die celebranda ei videatur.

VIII. Parochus Missam pro populo applicandam celebret in ecclesia paroeciali aut, si plurium paroeciarum curam habet, alternis civibus in ecclesia paroeciali singularum paroeciarum sibi commissarum, nisi tamen rerum adiuncta Missam alibi celebrandam exigant aut suadeant.

IX. Debet parochus in archivo paroeciali sedulo colligere ac diligenter custodire omnia documenta quae necessitatis vel utilitatis causa servari debent, cuiusmodi sunt: inventarium rerum paroecialium tum immobilium tum mobilium, ad normam can. 1522, n. 2; documenta et instrumenta quibus iura ecclesiae in bona nituntur, ad normam can. 1523, n. 6; tabella piarum fundationum cum adnotatione singulorum onerum quibus gravantur eorumque implementi, ad normam can. 1549, §§ 1 et 2; libri paroeciales et liber de statu animarum, ad normam can. 470, § 4; documenta quibus probantur indulgentiae et privilegia concessa; documenta de authenticitate sacrarum reliquiarum, et indices reliquiarum antiquarum quae publicae venerationi exponi consueverint; libri confraternitatum vel piarum unionum cum adnotatione indulgentiarum, privilegiorum et aliarum gratiarum, quae eis singulis concessa sunt, necnon cum notula sodalium qui eisdem sunt adscripti; libri in quibus notantur ea quae ad historiam et chronicam paroeciae attinent; et alia id genus.

X. Pro universa Ecclesia quantum fieri poterit, *directorium* administrativum statuatur, in quo habeantur exempla documentorum quae ad varias dioeceses, etiam diversae nationis, mitti debent, et modus definiatur ea transmittendi. In conferentiis Episcoporum cuiusque regionis vel nationis praefato directorio peculiares determinationes addantur pro diversis locorum exigentiis.

XI. Exempla documentorum ad statum animarum spectantium, quae ad exteras regiones sint transmittenda, non solum lingua vulgari sed etiam lingua latina in eodem folio inscribantur.

XII. In conferentiis Episcoporum cuiusque regionis vel nationis forma determinetur conscribendi librum aut schedarium de statu animarum, in quo ea etiam adnotentur quae attinent ad migrationes fidelium.

Singulis fidelibus singulisve familiis catholicis parochi testimonium tradant in quo, iuxta normas ab Episcopis datas, adnotetur fides religiosa quam profitentur.

XIII. Ut bona temporalia paroeciae rite administrentur, parochi aliique bonorum temporalium paroeciae administratores statis ab Ordinario loci temporibus consilio etiam laicorum utantur, qui praesertim in re oeconomica sint vere periti.

XIV. Parochus invigilet ut accuratum ac distinctum sit inventarium, in archivo asservandum, rerum paroeciae immobilium et mobilium pretiosarum aliarumve cum descriptione atque aestimatione earundem; itemque invigilet ut in illo quaelibet immutatio adnotetur quam patrimonium subire contingat (cf. can. 1522, nn. 2 et 3).

XV. Parochum inter et vicarios cooperatores conversatio instituatur ad instar familiae, et parochus sincera caritate vicarios cooperatores prosequatur, eos consiliis et auxilio adiuvet ac dirigat, iisque potissimum exemplo adsit; vicarii cooperatores autem filialem reverentiam parocho praestent eique, paroeciae pastori et rectori, semper prompto animo obsequantur.

XVI. Iure utique et auctoritate sua utens, tamen parochus rerum agendarum ordinem rationemque communicet cum vicariis cooperatoribus quorum etiam consilium audiat de gravioribus paroeciae negotiis.

XVII. Vicarii adiutricem operam parocho « in opus ministerii » summo studio navare ne omittant, et cum eo difficultates atque obstacula superare satagant quae forte in cura animarum exercenda exurgant.

Iidem vicarii prudentissime caveant quascumque fidelium factiones, quae plenae et perfectae communi concordiae obstent.

XVIII. Parochus statis temporibus per annum conventus cum vicariis habeat, in quibus, eo moderatore, variae necessitates paroeciae attente perpendantur et aptior agendi ratio in bonum animarum rite definiatur.

XIX. Sine parochi licentia vicarii nulla munera extra fines paroeciae obeunda in se recipiant, quae proprii paroecialis officii implementum quomodocumque impedire possint.

XX. Cum vicarii sint parochi cooperatores in cura animarum exercenda, quod munus ad parochum praecipue pertinet, hic nec eos nimis arceat ab activitatibus pastoralibus, nec eos nimiis oneribus gravet. Quare singuli vicarii: *a*) cotidie congruum quietis tempus habeant, ne in vita spirituali aut in corporis valetudine detrimentum patiantur; *b*) quotannis vacationibus saltem per tres hebdomadas fruantur, sive continuas sive intermissas; *c*) Congressibus interdum interesse possint, qui ad eorum formationem perficiendam utiles censentur; *d*) congruo spatio temporis singulis hebdomadis disponere valeant, quo studiis praesertim ecclesiasticis incumbere possint et ad varia opera ministerii pastoralis rite exercenda sese praeparare possint.

XXI. Iuniores vicarios cooperatores parochus sibi peculiariter commendatos habeat. Item, ubi adiuncta id suadeant, parochus vicariis cooperatoribus — his praesertim qui experientia iam sint probati — libenter committat peculiare aliquod pastorale munus sub sua auctoritate exercendum.

XXII. Vicariis paroecialibus iusta retributio assignetur secundum normas statutas ab Ordinario loci.

XXIII. Vicarii et parochi, ad aliam paroeciam vel ad aliud officium translati, nullimode sese amplius negotiis immisceant paroeciae cui addicti erant.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 17-22 iulii 1961.

VI

DE OFFICIIS ET BENEFICIIS ECCLESIASTICIS DEQUE BONORUM ECCLESIASTICORUM ADMINISTRATIONE *

In iure communi nunc vigente normae accuratae desunt de aequa remuneratione omnibus clericis tribuenda, qui officio aliquo ecclesiastico non beneficiali funguntur, nec satis provisum est ut beneficiarii pro pauperibus aut piis causis fructus beneficiales revera impendant, qui ad eorum honestam sustentationem non sint necessarii. Oportet igitur ut eiusmodi defectibus aptum et opportunum remedium afferatur. Insuper vero, sedula cura adhibeatur oportet ut quamprimum in toto orbe catholico omnibus clericis congrua praestetur adsistentia sanitaria, iisque pensio tribuatur quo tempore, senectutis vel invaliditatis causa, officio ecclesiastico iam fungi nequeant. Item, urgeatur oportet ut bona temporalia ecclesiastica recte semper ac tute administrentur, ne damnum ecclesiis obveniat, sed e contrario largius atque effusius opera pietatis et caritatis peragantur.

Quapropter haec proponuntur, quae sequuntur:

I - De officiis et beneficiis ecclesiasticis

I. § 2 can. 145 his verbis exprimatur: « Officium ecclesiasticum lato sensu acceptum, sed stabiliter collatum, ad omnes effectus quod attinet officio stricto sensu accepto accensetur, nisi aliud expresse statuatur ».

II. Can. 145 hae addantur paragraphi, quae sequuntur:

§ 3. Officium ecclesiasticum instituatur ipso iure aut decreto Superioris ecclesiastici, quibus determinantur obligationes et iura stabiliter eidem adnexa.

§ 4. Ex officiis ecclesiasticis Summus Pontificatus et Episcopatus eidem subordinatus divinitus sunt instituti; cetera vero officia sunt institutionis tantum ecclesiasticae.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in septima congregatione sessionis secundae, die 16 nov. 1961. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars I, pp. 685-711.

§ 5. Officia ecclesiastica erigere possunt:

1) Praeter Romanum Pontificem, Ordinarii in suo quisque territorio, non autem Vicarius Generalis sine mandato speciali;

2) Etiam Cardinalis in proprio titulo vel diaconia potest officia non curata erigere, nisi ecclesia sit religionis clericalis exemptae.

§ 6. Superior ante erectionem officii ecclesiastici eos audire ne omittat, pro sua prudentia, quorum maxime interest.[1]

§ 7. Officia ecclesiastica sunt residentialia vel non residentialia, curata vel non curata, saecularia vel religiosa, stabiliter vel ad tempus commissa, liberae vel necessariae collationis, reservata vel non reservata.

III. Ad notionem beneficii ecclesiastici accuratius determinandam, his verbis exprimatur c. 1409: « Beneficium ecclesiasticum est ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi sive ex toto, sive ex parte per legem particularem determinata iuxta varia adiuncta locorum et temporum, reditus ex dote officio adnexos ».

IV. De omnibus officiis et beneficiis ecclesiasticis, praeter ea quae in *Codice Iuris Canonici* praescripta sunt, ea etiam serventur quae sequuntur, congrua congruis referendo.

V. Singulae officiorum species, per quae vel Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet, vel negotia ecclesiastica certae regionis, dioeceseos, ordinis aut congregationis religiosae geruntur, propriam Rationem constitutionis et proprium Ordinem servandum, seu Statuta, habeant, quibus normae determinentur iuxta quas unumquodque officium sit a Superiore conferendum et a titulari exercendum.

VI. Legitimus Superior qui officia constituere potest, eadem quoque unire, dividere, dismembrare, transferre, convertere, supprimere potest, salvo praescripto can. 145 § 6 (quod in antecedente n. 2 addendum proponitur), quoties bonum spirituale fidelium id exigat vel suadeat.

VII. Titularium officiorum omnium ecclesiasticorum honestae sustentationi omnino providendum est: sive per congruam remunerationem, dum munere funguntur, sive per pensionem, cum senectutis aut inhabilitatis seu invaliditatis causa officio cedere debeant. Sacrorum Antistites omni nisu et cura satagant, maxime in conferentiis regionalibus aut nationalibus, ut modi ac rationes huiusmodi socialis adsistentiae ac praevidentiae — pro locorum, temporum et morum adiunctis — per viros apprime peritos in disciplinis socialibus, oeconomicis, actuarialibus, iuridicis, atque in medicorum scientia, practice ac efficaciter determinentur.

VIII. Ubi civiles respublicae leges tulerint de praevidentia et adsistentia sociali, quae etiam ad clericos spectent, Ordinarii diligenter caveant ne exinde aut clerici detrimentum patiantur in munere suo libere exercendo, aut Ecclesiae ius violetur bona acquirendi et administrandi independenter a qualibet humana potestate ad fines sibi proprios prosequendos.

IX. Episcopis facultas competit normas, per legem dioecesanam aut per

decreta Conciliorum particularium, statuendi de fructibus qui sint ad honestam beneficiarii sustentationem necessarii, et de modo quo adimpleri debeat obligatio per can. 1473 beneficiario imposita fructus superfluos imponendi pro pauperibus aut piis causis. Eorundem Episcoporum pariter est statuere modum, quo tenuitas redituum suppleri debeat, si forte beneficii fructus non sufficiant ad honestam beneficiarii sustentationem.

X. Singulis officiorum ecclesiasticorum titularibus ius competit ad congruum quotannis vacationum tempus, ab Ordinario praefiniendum.

XI. Officiorum ecclesiasticorum titulares, qui ad normam iuris non sint instituendi ad nutum Ordinarii, post certum probationis tempus stabiles erunt in officio, sed non inamovibiles, iidemque, sacri ministerii causa, ab uno ad aliud officium vel beneficium non inferius transferri possunt

II - De administratione bonorum ecclesiasticorum

I. Fideles apte moneantur de obligatione qua adstringuntur ut Ecclesiae necessitatibus temporalibus libenter subveniant iuxta uniuscuiusque regionis consuetudines seu mores, iisque commendetur ut pias fundationes faciant ad pietatis et caritatis opera peragenda.

II. Clerici fideliter ea exsequantur quae de iustitia sociali Ecclesia docet, praesertim quod attinet ad salarium operariorum, qui munus aliquod exerceant in eorum commodum aut in servitium Ecclesiae. Item, accurate ea observent quae ad praefatorum operariorum praevidentiam socialem et ad eorundem adsistentiam sanitariam ab auctoritate civili in territorio praescribuntur.

III. Administratores bonorum ecclesiasticorum praescripta cann. 1522, 1523, 1525, 1526, 1527, 1528 diligentissime observent, ut bonorum incremento et fructuum copiae rite consulatur.

IV. Notiones generales de recta administratione bonorum temporalium omnibus clericis in Seminario tradantur, et ad hoc conficiatur quoddam directorium seu manuale, si nondum habeatur. In singulis autem nationibus iidem, quantum fieri potest, sint libri administrationis bonorum ecclesiasticorum.

V. In quolibet administrationis negotio alicuius momenti laicorum consilium, qui negotiis gerendis peritia et morum honestate excellant, ultro exquiratur, ut ecclesiasticorum bonorum gestio perfectius fiat. Quorum peritorum auxilium exquiratur praesertim quoad agrorum aliorumque immobilium administrationem, ut sacerdotes efficacius ad sacri ministerii exercitium attendere valeant.

VI. Valor rei, quae de unius Sanctae Sedis licentia valide alienari (cf. can. 1532, § 1, n. 2) vel locari potest (cf. can. 1541, § 2, n. 1), in facultatibus quinquennalibus aeque determinetur pro locorum et temporum adiunctis. In conferentiis regionalibus seu nationalibus Episcopi definiant quid ea de re Sanctae Sedi proponendum videatur.

VII. In massam communem bonorum dioeceseos fructus beneficiorum conferantur, qui necessarii non sint ad congruam beneficiarii remunerationem, iure particulari determinandam, et ad peculiaria onera adimplenda, quae sint beneficio adnexa.

VIII. Si casus ferat et bonum dioeceseos id expostulet, Ordinarius decernere potest ut omnium vel plurium beneficiorum saecularium administratio coniunctim fiat, utque eorum fructus aequo modo distribuantur ad honestam sustentationem clericis subministrandam, ad opera apostolatus fovenda, et ad aliis dioeceseos necessitatibus subveniendum.

IX. Quando minime expediat ut centralis seu dioecesana administratio beneficiorum saecularium constituatur, Ordinarius loci — iuxta normas dandas in conferentiis Episcoporum — ius habet praefiniendi, pro locorum personarumque peculiaribus circumstantiis, annuam retributionem parochorum aliorumque sacerdotum qui servitio dioecesis sunt addicti. Beneficiariis vero non licet suos facere, ultra praefatam quantitatem, fructus beneficiales; qui in massam communem bonorum dioeceseos conferendi sunt, nisi necessarii sint ad specialia onera adimplenda beneficio adnexa.

X. Beneficiorum reditibus ferendi sunt: *a*) sumptus connexi cum bonorum beneficialium administratione et fructuum perceptione; *b*) impensae pro minoribus domus beneficialis reparationibus; *c*) tributa dioecesana: cathedraticum et seminaristicum necnon peculiare tributum quod ab Ordinario ex necessitate imponatur.

XI. Ubi certae et voluntarie fidelium oblationes pro dote paroeciae habeantur, Ordinarius praescribere potest ut, deductis necessariis expensis ad congruam parocho remunerationem tribuendam et ad onera adimplenda quae eius officio sunt adnexa, id quod superest in massam communem dioecesanam conferatur.

XII. Quibus in regionibus parochi et vicarii cooperatores determinatam tantum accipiunt remunerationem iure particulari praefinitam, Ordinarius loci religiosis — quibus paroecia regenda legitime concredita est — licentiam concedat ut semel saltem in anno stipem a paroecianis exquirant ad alumnos alendos, qui in spem religionis instituuntur et ad opem missionibus ferendam, si quas habeant.

XIII. Massa communis bonorum in singulis dioecesibus, quatenus fieri possit, constituatur eaque provideatur: *a*) aequae remunerationi sacerdotum, qui officiis dioecesanis funguntur; *b*) aequae remunerationi perficiendae parochorum, qui ea careant ob insufficientes reditus beneficiales, aut propter insufficientes fidelium oblationes; *c*) praevidentiae sociali et pensioni clericorum firmandae; *d*) ecclesiis, scholis aliisque institutis ecclesiasticis tuendis vel aedificandis.

XIV. Massa communis bonorum dioeceseos constitui potest: *a*) certa quadam parte redituum bonorum ipsius dioeceseos, si bona sufficientia habeantur; *b*) taxis, quae in dioecesi sint legitime statutae; *c*) voluntariis fidelium

oblationibus; *d*) subsidio caritativo, quod divitiores dioeceses fraterno animo dioecesibus pauperioribus tribuant.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 17-22 iulii 1961.

NOTA

[1] Parti absolute maiori Membrorum Commissionis placuit ut ii, quorum interest, audiendi non sint ad validitatem, ne officii ecclesiastici erectio in facili periculo invaliditatis versetur.

VII

DE PATRIMONIO HISTORICO ET ARTISTICO ECCLESIASTICO *

I - De archivis

« Patrimonii historici Ecclesiae », pars principalis sunt archiva ecclesiastica, quorum, quamquam multa depraedationibus Ecclesiae erepta sunt, aut calamitatibus temporum et incuria custodum perierunt, tamen magna copia adhuc existit, quae novis semper accessibus, ex administratione Ecclesiae promanantibus, cotidie augetur. Archiva ecclesiastica, ut hodie existunt, revera thesaurum constituunt inaestimabilem materialem et moralem et fontem inexhaustum non solum pro historia ecclesiastica et profana, sed etiam pro compluribus aliis disciplinis scientificis et practicis.

His ultimis decenniis, saltem in terris nostrae occidentalis culturae, studium valde serium augendi et ornandi archiva et promovendi scientiam archivisticam initium habuit, quo condicio archivorum eorumque administratio in non paucis meliores effectae sunt.

Cum hac certe laudanda efflorescentia rei archivisticae pro Ecclesia Catholica etiam pericula quaedam coniuncta sunt, quae praeteriri non possunt. Non paucae ex nostris ecclesiasticis institutionibus archivisticis propter defectum subsidii pecuniarii et penuriam operariorum idoneorum et rite praeparatorum, si cum saecularibus archivis comparantur, satis miserae et cura debita indigentes videntur; quocirca archivistae rerum publicarum saepe postulant ut archiva ecclesiastica invigilantiae, immo et directioni auctoritatis civilis subiiciantur tanquam « pars hereditatis culturalis nationis », ut securius et ordinatius asserventur et aditu faciliora fiant.

Certe negari non potest Ecclesiam suae versus hunc eminentem thesaurum obligationi etiam his temporibus saepe liberaliter et munifice satisfecisse. Archivum Vaticanum quasi archivum centrale administrationis pontificiae effectum est, in toto mundo celebratum ob copiam immensam documentorum et propter excellentem modum, quo thesauri ibi reconditi, conservati et ad-

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in septima congregatione sessionis secundae, die 16 nov. 1961. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars I, pp. 711-733.

ministrati sunt. Leo XIII, qui primus hoc archivum historiae studiosis aperuit, cum tabulario scholam palaeographiae et diplomaticae coniunxit, cui Pius XI cursum archivisticae adiecit et ita fundationem Leonis XIII in « Scholam Archivi » elevavit, quae imprimis iuvenibus clericis, qui archivis dioecesium et ordinum religiosorum moderandis praeficerentur, formationem tribueret. Ad promovenda archiva ecclesiastica in Italia, quae in antecedente bello tam duras iacturas perpessa sunt et propter alias quoque difficultates parum profecerant, Pius XII a. 1955 Commissionem Pontificiam instituit, quae Ordinarios in conservatione et administratione archivorum adiuvaret.

Hinc hodie in Italia, Germania, Gallia numerus non spernendus archivorum ecclesiasticorum exsistit, quae sufficienter instructa sunt.

Fatendum est tamen non deesse archiva ecclesiastica — et inter ea etiam archiva magni momenti historici — quae in condicione tristi versentur, quippe quibus spatium etiam mediocre, tutum, idoneum desit, in quibus repositaria apta, arcae et involucra etiam ad protegendas chartas desiderantur, quae, quod maxime dolendum est, neque custodem proprium et aptum possident.

Si ea, quae C.I.C. de dioecesanis, paroecialibus et aliis archivis praescribit, aliquo saltem modo observata fuissent, tam deplorandae condiciones in multis archivis oriri non potuissent, aut si ortae erant, mox resarcitae essent. Pauca vero substituenda vel addenda videntur, partim ob apparatum administrativum hodiernum, enormiter auctum, partim ob progressus quos scientia archivistica brevi abhinc tempore fecit.

Hae proinde, que sequuntur, conclusiones ponuntur:

I. Omnes, quibus cura archivorum ecclesiasticorum commissa est, gravissima obligatione tenentur ea diligenter custodire et ab omni damno et iactura tueri.

In Seminariis dioecesanis peculiaris institutio de re archivistica alumnis tradatur, et curent Ordinarii ut clerici, qui ad id inclinationem et aptitudinem ostendunt, scholam archivisticam frequentent et titulum archivistae obtineant.

Constituatur a singulis Ordinariis sacerdos, in re archivistica expertus, cuius sit archiva in dioecesi vel in Instituto religioso diligenter inspicere tanquam Delegatus eiusdem Ordinarii, vitia detecta corrigere, consilia et monita dare ut documenta et chartae modo apto disponantur ut conserventur. Nulla unquam documenta aut chartae in archivo asservata alienari vel destrui possint sine scripta eius licentia. Eidem, qui officio etiam archivistae dioecesani fungi potest, aliquot clerici adsint, et vel etiam laici, vere periti qui Consilium Archivisticum Dioecesanum constituant, cuius sententia exquiri debeat in rebus maioris momenti quae ad archiva ecclesiastica attinent.

Commendatur propterea ut in Conferentiis Episcopalibus ab Ordinariis pro respectiva regione seu natione peculiaris constituatur Commissio Archivistica, quae Consiliis Archivisticis Dioecesanis praesto sit ad eorum munus rite explendum.

Si qua dioecesis proprio archivo apte instructo careat, Ordinarius loci curet ut chartae et documenta pretiosiora in alio archivo dioecesano caute ac tuto custodientur quamdiu id necessitas exigat.

II. Accuratius pressiusque quaedam *Codicis Iuris Canonici* praescripta determinentur:

a) In can. 372 § 1 dicatur: In qualibet Curia constituatur ab Episcopo cancellarius, qui sit sacerdos, cuius munus sit acta Curiae ordinare et signare secundum rationem cancellariae pro negotiorum divisione et distributione praefinitam, in sic dicto *titulario,* eaque in archivo cancellariae custodire donec sint tradenda archivo dioecesis expletis negotiis, de quibus in singulis actis est quaestio.

b) In can. 372 § 2 dicatur: Constituatur etiam Archivista Dioecesanus, seu Director Archivi Dioecesani, qui sit sacerdos, in re archivistica vere peritus, distinctus a cancellario Curiae sed idem esse potest ac Delegatus Episcopi pro archivis ecclesiasticis totius dioecesis, eiusque officium inter maiora Curiae officia computetur. Proprium archivistae est instrumenta et scripturas, quae negotia dioecesana spectant, ordinatim ac tuto conservare, studiosisque archivum adeuntibus consilio praesto esse.

c) In fine can. 375 § 1 addatur: In archivo dioecesano chartae recentioris originis in eo ordine asserventur quo in cancellaria dispositae et signatae sunt, eaeque sub singulis titulis generatim in ordine chronologico cumulentur.

d) In can. 375 § 2 dicatur: Omni diligentia ac sollicitudine inventarium et alia subsidia archivistica conficiantur, quibus confestim singulae chartae reperiri valeant. Schedaria paeterea conscribantur, in quibus ordine alphabetico documenta et acta denotentur secundum materias, personas et loca. Item, sic dictum *repertorium* conficiatur, in qua variae series archivi describantur, indicando numerum partium et annorum.

e) In can. 378 dicatur: § 1. Ex archivo non licet ullas efferre scripturas, nisi de expressa licentia Episcopi vel Vicarii Generalis, rarissima tantum concedenda et ob rationes communis utilitatis atque ad breve tempus determinatum. Ex regula ordinaria in archivo aula aut sedes aliqua aptetur, in qua studiosi commode, sub invigilantia archivistae, documentis et chartis uti possint.

Commendatur ut pro miaoribus archivis machinae fotographicae comparentur, quibus exemplaria documentorum conficiantur poscentibus tradenda.

§ 2. Ut scripturae ex archivo efferantur, quae in officiis ecclesiasticis necessariae sint ad negotia expedienda, respectivi officii moderatoris petitio requiritur.

§ 3. Quicumque aliquam scripturam ex archivo efferat, syngrapham sua manu signatam archivistae tradat, in qua eadem scriptura describatur ut tempus designetur ad quod ei concreditur.

III. In archivo paroeciali, praeter libros paroeciales de quibus in can. 470, habeatur etiam liber de statu animarum in forma schedarii confectus. Insuper chronica vitae peroecialis conscribatur, in qua data statistica singulorum annorum notentur et ea omnia commemorentur quae praecipue attinent ad sa-

cras functiones celebratas, ad opera apostolatus et caritatis peracta, ad vitam clericorum religiosorum et laicorum qui in paroecia excellent ratione pietatis et bonorum operum.

IV. Curetur ut documenta pretiosa archivorum ecclesiasticorum per sic dictos « microfilms » in authentico exemplari photographice reddantur, quod in loco tuto diligenter asservetur.

II - De bibliothecis ecclesiasticis

I. Normae generales statuantur pro apta et tuta conservatione bibliothecarum ecclesiasticarum, quae bonis patrimonialibus Ecclesiae accenseri debent.

II. Quoad alienationem librorum et supellectilis bibliothecarum ecclesiasticarum, quibus notabilis valor sit artis vel historiae causa, eadem iuris praescripta accurate serventur quae rerum praetiosarum alienationem moderantur.

III. Curetur ut in bibliothecis ecclesiasticis distincta adsit aula seu sedes, ubi studiosi libris uti possint sub invigilantia bibliothecarii.

IV. In singulis dioecesibus peculiaris non desit bibliotheca ad studia disciplinarum ecclesiasticarum provehenda.

Quaelibet autem paroecia suam habeat bibliothecam in commodum fidelium.

Clericis suadetur ut apte disponant ut post eorum mortem libri sui bibliothecis ecclesiasticis donentur.

V. Bibliothecis ecclesiasticis, praesertim si artis vel historiae causa sint insignes, rector praesit, qui sit sacerdos et in re vere peritus, eique congrua merces assignetur.

VI. Commendatur ut Pontificia Commissio Centralis de bibliothecis constituatur, cuius sit regulas et normas praefinire de apta et tuta earum conservatione et administratione.

VII. Libri et documenta, quae sint res praetiosae, nunquam instauranda committantur nisi peculiaribus institutis scientificis eum in finem destinatis, debitis cautelis semper adhibitis.

VIII. Quantum fieri potest, editio curetur schedarii seu dictionarii omnium insignium bibliothecarum ecclesiasticarum, in quo propria earum cuiusque qualitas indicetur.

III - De conservatione monumentorum artis sacrae

I. Res artis sacrae, quae ad personas morales ecclesiasticas pertinent, non instaurentur neve reficiantur, nisi de consensu Ordinarii et Commissionis Dioecesanae de Arte Sacra.

II. In quibusvis ecclesiis, quae ratione artis sint insignes, nihil innovetur sine consensu Ordinarii et beneplacito Commissionis Dioecesanae de Arte Sacra.

III. Commendatur ut Pontificium Institutum de Arte Sacra constituatur ad titulos conferendos his qui studia de arte christiana etiam recentiori aetatis rite peregerint.

IV. Collectiones rerum, quae artis sacrae causa sint insignes et fidelium cultui non sint expositae, in dioecesi et vel etiam apud respectivas ecclesias constituantur, ut aptius ac tutius asserventur et inspici possint ab his quorum interest.

V. In singulis dioecesibus catalogus generalis in duplici exemplari conficiatur, cum respectiva imagine photographica, omnium operum artis, quae in ecclesiis aut apud quaslibet personas ecclesiasticas asservantur; quorum exemplarium unum in archivo respectivae ecclesiae vel personae moralis, alterum vero in archivo dioecesano custodiatur.

VI. Ordinarii et Commissiones regionales de Arte Sacra conventiones ineant cum competente officio societatis civilis, ut normae communi consilio statuantur de aptiore ac tutiore conservatione patrimonii artistici ecclesiastici, incolumi semper iure proprietatis quod in illud Ecclesiae competit.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 13-18 martii 1961.

VIII

DE PAROCHORUM OBLIGATIONIBUS QUOAD CURAM ANIMARUM *

Omnia quae in iure statuuntur de obligationibus parochorum finem revera intendunt ut parochi rite ac fructuose curam animarum exerceant, quod est proprium eorum officium. Plura tamen expresse praeterea determinentur oportet, quae directe et immediate attinent ad rectum et aptum exercitium curae animarum a parochis explendum, quo tutius ac facilius copiosiores atque opimi fructus percipiantur.

Haec proinde proponuntur, quae sequuntur:

I - Parochus summa cum diligentia munus suum « pastoris animarum » exsequatur, semper prae oculis habens quod paroecia est pars gregis Christi et fideles membra sunt Corporis Christi Mystici. Pastorali caritate flagrans, Dei gloriam, salutem animarum et Ecclesiae aedificationem summopere prosequatur, tanquam magister et sacerdos ac rector fidelium.

II - Ut *magister,* parochus est Episcopi auditor in exsecutione mandati quo Christus Dominus Apostolis iniunxit: « Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Matth.,* XXVIII, 19). Proprio et gravissimo suo officio accuratissime fungatur, quo populo christiano verbum Dei nuntiare (can. 1344, § 1) eumque catechetica institutione excolere tenetur (can. 1329).

1) Curet parochus, ut pueri a prima aetate per parentes in praecipuas fidei veritates et in vitam christianam inducantur, iique catechetica institutione in elementaria schola rite imbuantur.

Peculiari studio pueros praeparet ad sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et confirmationis rite suscipienda (can. 1330), eosque qui primam communionem recenter receperint, uberius ac perfectius in doctrina catholica instituat (can. 1331): quae quidem institutio, ad normam in Episcoporum conferentiis statuendam, per eorum adulescentiam protrahatur oportet.

2) Diebus dominicis ceterisque per annum festis, secundum normas a iure communi et particulari statutas, intra Missas conciones habeantur, in quibus nuntietur evangelium salutis (cf. *Eph.* I, 13), et exponantur quae fideles credere et facere oportet (cann. 1344, 1345, 1347).

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in tertia congregatione sessionis quartae, die 22 febr. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 597-617.

3) Praeterea, parochus magna cum sollertia doctrinam catholicam, forma catechetica, secundum Ordinarii statuta fidelibus adultis tempore praesertim Quadragesimae et Adventus et, ubi mos est, diebus dominicis explicet, sermone ad eorum captum accommodato (can. 1332).

4) Dum sponsos ad matrimonium contrahendum praeparat, sacramenta administrat, funus defunctorum persolvit, domibus benedicit, sacris processionibus praeest, aliave publica pia exercitia celebrat, parochus data occasione opportune utatur exponendi doctrinam, quae ad rem pertinet, ut fideles exinde uberiores fructus percipiant.

III - In sacris concionibus habendis parochus nihil aliud intendat nisi praedicare verbum Dei, prouti in fontibus revelationis continetur et ab ecclesiastico magisterio proponitur. Itaque, praedicet integram doctrinam fidei; item, doctrinam moralem etiam ad graviores errores refellendos, qui communius in populo dilabuntur; pariter, doctrinam socialem Ecclesiae, quam Romani Pontifices exposuerunt.

IV - Parochus utriusque Testamenti loca excerpta saepius explanabit et verba quaedam Sacrae Scripturae proponet, quae fideles in cordibus suis conferant (cf. *Luc.,* II, 51) ad cibum et lumen spirituale hauriendum ac vitam sancte ducendam. Peculiares coetus fidelium commendet ac foveat, in quibus — aliquo sacerdote praesente ac moderante — sua quisque pia et opportuna commentaria faciat de his quae ex Sacra Biblia leguntur; omnes autem fideles vehementer exhortetur, ut praesertim Novi Testamenti saepius lectionem faciant, cuius liber in qualibet familia christiana adesse deberet.

V - Ad catecheticam institutionem tradendam parochus, si necessitas id poscat, operam adhibeat clericorum et sodalium Institutorum Saecularium in paroeciae territorio degentium; religiosi quoque, etiam exempti, catecheticam institutionem secundum normas ab Ordinario loci praefinitas populo tradere debent, praesertim in propriis ecclesiis, si ab Ordinario sint requisiti (cf. cann. 1333 et 1334).

VI - In curanda puerorum institutione parochus, iuxta laudabilem et ubi recepta non est omnino inducendam consuetudinem, adhibeat etiam operam piorum laicorum, tum virorum tum mulierum, eorum praesertim qui alicui piae associationi — potissimum quidem Actionis Catholicae — nomen dederint.

VII - Pro locorum et rerum adiunctis, parochus diligentem curam adhibeat ut pueri scholas catholicas celebrent, eorumque parentes moneat de gravi ipsorum obligatione non permittendi ut filii sui scholas acatholicas, neutras, mixtas — quae nempe etiam acatholicis patent — frequentent, nisi in casu necessitatis et cautelis adhibitis ab Ordinario loci statutis, ut perversionis periculum vitetur (can. 1374).

VIII - Ut *sacerdos,* spirituales hostias parochus offerre ne desinat, Deo Patri acceptabiles per Eius Filium Iesum Christum, Dominum nostrum. Sacrosanctum Missae Sacrificium sit centrum vitae paroecialis et fidelium pabulum spirituale. Nulla habita ratione eorum originis et conditionis socialis,

omnes fideles « actuosa participatione » Eucharistico Sacrificio intersint, et, verbo Dei enutriti, caritate fraterna intimius semper ac perfectius inter se in Domino uniantur. Secundum normas a Sancta Sede et ab Ordinario loci praestitutas, studeat parochus taliter divina officia ordinare et fideles instituere, ut Sacra Liturgia totam vim suam et efficaciam exerceat ad eorundem animos christiane efformandos.

IX - Divina officia statis temporibus parochus sedulus rite peragat, et sacramenta fidelibus sollicite ac devote administret, quoties legitime petant (can. 467, § 1).

X - Ut *rector,* parochus haud unquam immemor paroeciam partem esse Ecclesiae, cor suum et corda fidelium dilatet ad integram dioecesim universamque Ecclesiam actuosa charitate amplectendam.

XI - Divini Pastoris praecepto obtemperans, parochus vere mitis sit et humilis corde, summaque cum humanitate erga omnes se habeat, quos Deus ipsi commendavit. Ceterum, officio et auctoritate sua fretus, scandala strenue compescere ne timeat, quae dentur in paroecia, et sectis hominibusque fortiter obsistat, qui fidei propagationem impedire conentur.

XII - Quoniam pastor bonus oves suas cognoscere debet, parochus semel saltem in anno — per seipsum, si fieri potest, secus per suos vicarios cooperatores — singulas paroeciae familias visitare ne omittat. De omnium fidelium necessitatibus paterne sollicitum se exhibeat, et variis, iuxta normas ab Ordinario statutas, utens adiumentis, uti *statu animarum,* rationariis, aliisque id genus, de eorum religiosae, familialis et socialis vitae conditionibus prudenter inquirat, ac notitias ita obtentas discrete retineat.

XIII - Parochus diligenter adlaboret, ut fideles — de christianorum dignitate et obligationibus plane edocti — crescant in gratia et cognitione Dei (cf. *II Petr.,* III, 18), sobrie et iuste et pie vivant in hoc saeculo, expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei Salvatoris nostri Iesu Christi (cf. *Tit.,* II, 12-13). Studiose prospiciat ut, saltem decimo quoque anno, sacra, quae vocatur, missio, ad gregem sibi commissum habeatur (can. 1349, § 1). Pium exercitiorum spiritualium usum fidelibus suadeat. Operam det, ut, qui ecclesiasticae vel religiosae vocationis indicia praebeant, peculiaribus curis a saeculi contagiis arceantur, et ad pietatem informentur, et ad vocationem suam persequendam adiuventur.

XIV - Pauperes et miseros atque aegrotos, maxime vero morti proximos, parochus peculiariter sibi commendatos habeat. Non solum ipse large liberaliterque opera misericordiae corporalis exerceat, sed etiam efficiat ut quotannis certa pecuniae summa ex bonis paroeciae destinetur ad indigentibus auxilium afferendum, et pias associationes foveat aut instituat ad caritatis opera exercenda; ita ut fideles communitatem constituant caritate coniunctam (cf. *I Petr.* II, 17), eorumque sit cor unum et anima una (cf. *Act.*, IV, 32), ac alter alterius onera portet, sicque iidem adimpleant legem Christi (cf. *Gal.,* VI, 2) et tanquam Eius discipuli evidenter agnoscantur (cf. *Ioan.,* XIII, 35).

XV - Parochus summo studio atque sollertia curare tenetur, ut, sic dicta,

oratoria vel *recreatoria* habeantur, tum pro pueris tum pro puellis aliaque specialia pro his qui aetatis decimumquartum circiter annum iam attigerunt — quae etiam aptis mediis sint instructa ad eorum animos relaxandos — ut firmiter atque christiane efformentur.

XVI - Adultorum quoque virorum ac mulierum coetus, praeprimis consociationes apostolatus laicorum et actionis catholicae, parochus commendet ac foveat vel erigendas curet, ut ad plenius perfectiusque vitam christianam agendam excitentur et sustineantur, dum praescriptis ac normis hierarchiae ecclesiasticae integre fideliterque obtemperant, prompti etiam atque parati eidem alacriter studioseque praesto esse.

XVII - Maxime intentus ut vero spiritu christiano singulae familiae bene informentur, parochus sanctitatem matrimonii crebro fideles doceat, et operam det ut propinquior quaedam coniunctio cum coniugibus fiat, ut eorum bono etiam spirituali aptius prospiciatur.

XVIII - Si causa ferat, parochus uni vel pluribus vicariis cooperatoribus specialem curam committat exercendam pro operariis, pro agricolis, pro his qui studiis secundariis aut superioribus incumbunt, pro his qui peculiaribus officiis professionalibus funguntur, ut fructuosius eorundem bonum promoveatur, quin tamen caritas et consensus atque unitas inter fideles ullum detrimentum patiantur.

XIX - Quotiescumque rerum adiuncta id requirere videntur, parochus Consilium cogat, praesidibus constans sodalitiorum paroecialium, eique praesit, ut, fraterne collata opera, utiliora incepta perpendant atque in effectum deducant, quae ad paroeciam spectant.

XX - Paterna cum caritate parochus fideles excipiat, qui in paroeciam adveniunt cum animo ibidem perpetuo manendi, aut etiam solummodo ad tempus. Eos visitet, vel saltem ad eos litteras mittat ut certiores fiant de divinis officiis quae in ecclesia paroeciali celebrantur, necnon de *operibus paroecialibus,* quae dicuntur, ad spiritualia et temporalia auxilia fidelibus subministranda. Parochus autem paroeciae a qua fideles discedunt, tempestive eosdem commendet rectori paroeciae ad quam illi se conferunt.

XXI - Parochi sollicitam habeant curam pastoralem fidelium, qui, rusticationis vel sanitatis vel animi relaxandi causa, in eorum paroecia peregrinantur in hospitiis deversantes aut in campis vel sub dio considentes. Pariter, parochis maxime cordi sit diligens et efficax cura pastorali fidelium, qui in tabernis et hospitiis deserviunt, ad quae praefati peregrinantes et sic dicti *turistae,* convenire solent.

XXII - Fervido amore salutis animarum flagrans, parochus enixe satagat ut fideles, qui cum hominibus materialismo vel atheismo inquinatis conversantur, in vivacem inserantur paroeciae communitatem eorumque spiritualis formatio intima et firma efficiatur, adeo ut fortes sint in fide catholica ac veri testes Christi Iesu. Praeterea, ardentissimo zelo apostolico incensus magnopere contendat ut fideles, qui inter incredulos vitam agunt, doctrina christiana penitus imbuantur, ita ut fallacias mundi detegere valeant, per-

versitatibus et persecutionibus resistant, fidem suam defendant, iis familiariter utantur qui Ecclesiae Christi vere sunt addicti.

XXIII - Parochus vigilet in societates, quae in territorio paroeciae constituuntur, in scripta quae vulgantur, in spectacula quae dantur, et fideles exhortetur ut ab iis caveant, quae religionem catholicam aut bonos mores impetunt. Instituta foveat quorum sit sive catholica divulgare diaria aliaque scripta, sive fideles certiores facere de ratione habenda librorum et spectaculorum atque emissionum radiophonicarum, quatenus in ordine ad fidem et bonos mores considerantur.

XXIV - Divini Pastoris exemplum secutus, qui venit salvare quod perierat (cf. *Matth.*, XVIII, 11), parochus oves errantes sollicite requirat, et etiam magna cum benignitate atque sollertia eos attingat, qui proprias fidelium obligationes non servant, aut indifferentia religiosa laborant, aut in ipsum communismum vel atheismum prolapsi sunt. In quo, sane, ministerio exercendo, normis seu regulis et monitis atque consiliis obtemperet, quae a Centro Pastorali dioecesano vel nationali ad rem praestituuntur.

Praeterea, parochus commendatos sibi in Domino habeat acatholicos in sua paroecia degentes (can. 1350, § 1).

XXV - In omnibus denique negotiis, quae ad curam animarum exercendam attinent, parochus libenter ac fideliter praescriptis et consiliis obsequatur, quae in Directorio Pastorali praefiniuntur. Vehementer enim suadetur ut in singulis regionibus Directorium Pastorale habeatur, a Centro seu Centris Pastoralibus conficiendum et ab Episcopis in suis conferentiis probandum, ut secundum varia rerum et locorum adiuncta sacerdotes opportune instituantur ad ea omnia prudenter et fructuose agenda, quae necessaria sunt aut utilia in exercitio sacri ministerii et curae animarum.

XXVI - Parochus partes diligenter expleat, ei assignatas in apostolatus operibus supra-paroecialibus et vel etiam supradioecesanis, quae sive ab Apostolica Sede, sive ab Ordinario loci, sive ab Episcopis coadunatis in conferentiis provincialibus vel regionalibus eriguntur, ut aptius et perfectius curae animarum exercendae opportune prospiciatur.

Ad Vicarium Foraneum pertinet opera apostolatus in suo districtu promovere et coordinare secundum normas ab Episcopo statutas.

XXVII - Cum bonum animarum plerumque exigat, ut ubi quamplures fideles diversi sermonis aut nationis in eodem territorio commorantur, pro iis paroeciae personales erigantur, parochi non solum non impediant ut id fiat, sed potius curent ut id efficiatur.

Eadem autem de causa proponitur ut canoni CIC 216 haec addatur: « § 5. Ubi necessitas vel magna utilitas id exposcat, paroeciae pro fidelibus diversi sermonis vel nationis in eodem territorio degentibus auctoritate Ordinarii loci erigi possunt, auditis Capitulo cathedrali et parochis consultoribus ».

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 2-7 octobris 1961.

IX

DE PRAECEPTIS ECCLESIASTICIS *

Ex his quae communiter praecepta ecclesiastica vocari solent, ea praecipue considerari debent quae spectant ad sanctificationem dierum festorum, ad confessionem annuam et Communionem paschalem, ad ieiunium et abstinentiam. Verum equidem est quod quamplures fideles saepe saepius eiusmodi praecepta non servant, sed sine dubio oportet omnino ut eadem substantialiter in suo robore maneant, cum tanti momenti sint pro bono spirituali fidelium; aptis tamen et opportunis inductis mutationibus in modo quo ipsa praecepta enuntiantur et urgentur ne, propter mutata temporum et rerum adiuncta itemque ob novos populorum usus et mores, multae gravesque sint occasiones fidelibus datae ut leges Ecclesiae neglegant et perfringant. Plurimi revera Episcopi aliique Praelati in suis votis antepraeparatoriis fervidissimum desiderium manifestarunt ut in Concilio Vaticano II tota de integro ordinetur praefatarum legum materia; sed prorsus diversa sunt quae a singulis statuenda proponuntur, cum valde diversae sint propriae diversorum locorum conditiones. Hinc huius Commissionis Sodales, re attente et accurate perpensa, expedire censuerunt, ut, salvis nonnullis praescriptionibus ubique servandis, plura alia certa et definita decernantur in Conciliis particularibus vel in Episcoporum conferentiis regionalibus seu nationalibus.

Haec igitur, quae sequuntur, statuenda proponuntur:

I - *De diebus festis de praecepto servandis*:

1. Festis de praecepto diebus Missae adsistendum est et abstinendum ab operibus vetitis.

2. Dies festi sub praecepto in universa Ecclesia sunt tantum: omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis et Octava Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, sancti Ioseph eius sponsi, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum (can. 1247, § 1).

a) In regionibus ubi omnes praefati dies festi observari possunt sine gravi incommodo, iidem sub praecepto immutati maneant.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in tertia congregatione sessionis quartae, die 22 febr. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 617-652.

b) In regionibus ubi ex legitima consuetudine aut ex concordato inito ab Apostolica Sede cum respectiva Natione, peculiaria vigent praescripta de festis sub praecepto servandis, eadem in suo robore maneant.

c) In regionibus ubi peculiare ius particulare quoad dies festos de praecepto legitime non viget et ius commune observari non potest sine gravi incommodo, facultas sit Conciliis Particularibus vel Episcopis in conferentiis regionalibus seu nationalibus ut, salvis diebus dominicis et festo Nativitatis D. N. I. C., statuere valeant in quibusnam ex ceteris diebus festis non urgeat obligatio abstinendi ab operibus vetitis, aut obligatio adsistendi Missae, aut utraque obligatio, conservata eorundem dierum celebratione liturgica diebus assignatis in calendario, vel ea translata ad proximam dominicam liberam.

3. Concilia Particularia aut Episcopi in conferentiis provincialibus vel regionalibus introducere possunt, consentiente Sancta Sede, peculiares quosdam dies sub praecepto servandos, ubi specialia locorum adiuncta vel traditiones id suadeant.

II - *De Missae adsistendi obligatione*:

4. Diebus festis de praecepto Missae adsistendi obligatione omnes fideles tenentur, qui septimum aetatis annum expleverunt et sufficienti rationis usu gaudent.[1]

5. Moneantur fideles obligationem adsistendi Missae horis postmeridianis adhuc urgere pro his, qui mane legitime sunt impediti, sed post meridiem Missae adsistere possunt.

6. Fidelibus, qui die festo de praecepto Missae adsistere nequeunt, enixe suadetur ut alio hebdomadae die Missae adsistant.

7. Legi de Missae Sacrificio adsistendo satisfacit qui Missae adest quocumque catholico ritu celebretur, sub dio aut in quacumque ecclesia vel oratorio, etiam privato.

8. Ordinarii locorum, facultate ab ipso iure iisdem concessa, permittere possunt ut diebus festis de praecepto sacerdotes etiam ter Missam celebrent, si id expostulet bonum spirituale notabilis partis fidelium, vel alicuius communitatis, vel eorum qui in hospitali aliove instituto commorantur.

9. Ipso iure facultas Ordinariis locorum conceditur permittendi ut, iustam ob causam, diebus festis de praecepto Missa quavis diei hora celebretur, etiam post meridiem, sed anteponendo, quantum fieri potest, horas matutinas.

10. Certa quaedam pietatis exercitia in communi peragenda fidelibus ab Ordinario loci praescribi possunt, ubi Missa diebus festis de praecepto ob penuriam sacerdotum vel ob alia peculiaria adiuncta haberi nequit.

11. Valde commendatur ut pro infirmis aliisve qui sine gravi incommodo ad locum accedere nequeunt ubi legi de adsistendo Sacro satisfieri potest, Missae celebratio per radiophoniam aut televisionem exhibeatur, monitis tamen fidelibus quod legi de adsistendo Sacro non satisfaciunt qui Missae adstant radiophonice vel televisifice diffusae.

12. Accurate edoceantur fideles de « participatione actuosa » Missae, quae praeprimis *interne* esse debet, nimirum pia animi attentione et cordis affectibus exercitata, sed eadem plenior evadit si *externa* accedat participatio, actibus scilicet externis manifestata, uti corporis positione, gestibus ritualibus, maxime vero responsionibus, precationibus et cantu (S. Congr. Rit., *Instructio,* d. 3 sept. 1958, n. 22). Sacerdotes autem diligentem operam adhibeant ut, rite ac pie sancteque Missam celebrando, adstantes excitentur et adiuventur ad perfectiorem atque fructuosiorem actuosam suam participationem reddendam.

III - *De abstinendi ab operibus vetitis obligatione*:

13. Opera vetita, a quibus fideles diebus festis de praecepto se abstinere tenentur, ut debitum cultum Deo exhibeant et necessaria requiete fruantur et in vita familiari recreentur, haec sunt quae sequuntur:

a) Labores seu munia quae ferialibus diebus in officinis, in fabricis, in agris exerceri solent, iis exceptis quae necessaria sunt ad publicam seu communem utilitatem; [2]

b) Actus forenses;

c) Publicus mercatus, nundinae aliaeque publicae emptiones et venditiones, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta.

14. Quoniam quies in diebus dominicis plerumque ubique terrarum praescribitur etiam lege civili, curent, non solum locorum Ordinarii et parochi, sed etiam omnes sacerdotes et sodales piarum associationum, praeprimis Actionis Catholicae, ut magistratus impellantur ad urgendam eiusdem legis observantiam.

IV - *De obligatione servandi abstinentiam et ieiunium*:

15. Abstinentiae lex vetat carne vesci, non autem iure ex carne, ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium.

16. Iis in regionibus ubi abstinentia a carne, ob proprios populorum usus et mores, nullam poenitentiae seu mortificationis rationem habet, possunt Episcopi in conferentiis nationalibus aliam abstinentiae speciem praescribere.

17. Lex ieiunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio plena fiat, in aliis vero comestionibus — quae quotidie fieri solent — tantummodo quantitas ciborum sumatur aliquatenus minor quam consueta, servatis usibus et moribus probatis locorum. Nulla autem ciborum qualitas prohibetur, ideoque caro comedi potest etiam in ientaculo et in coena.[3]

18. Lex solius abstinentiae singulis feriis sextis per annum servanda est, ad revocandam memoriam mortis Domini N. I. C.

19. Lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est feria IV Cinerum, singulis feriis VI Quadragesimae, pervigiliis Nativitatis Domini et Immaculatae Conceptionis B .M. V. Obligatio abstinentiae et ieiunii a die 24, pervi-

gilio Nativitatis Domini, ad diem 23 mensis decembris anticipari potest ad liberam singulorum fidelium voluntatem.

20. Lex solius ieiunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus, ut fideles se praeparent ad mysterium Resurrectionis Domini N. I. C. rite celebrandum.[4]

21. Lex abstinentiae, vel ieiunii, vel abstinentiae simul et ieiunii cessat diebus dominicis aliisque festis de praecepto, sive ex iure ecclesiastico sive ex iure tantum civili, nec pervigilia anticipantur.

22. His praescriptis nihil immutatur de constitutionibus ac regulis cuiusvis religionis vel instituti a legitima ecclesiastica auctoritate approbati; sed quaelibet contraria indulta et privilegia revocantur, sive generalia sive particularia, iis non exceptis quae sint specialissima mentione digna.

23. Abstinentiae lege tenentur omnes fideles qui septimum aetatis annum expleverint et usu rationis gaudeant. Lege autem ieiunii adstringuntur omnes fideles ab expleto vicesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum.

24. Ipso iure a lege abstinentiae excusantur omnes fideles qui itineris vel laboris causa comestionem facere debent extra domum suam; commendatur tamen ut et ipsi, quantum fieri potest, abstinentiam servent.

25. Ordinarii locorum totam etiam aliquam civitatem, immo et totam quoque dioecesim a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstinentiae et ieiunii vel etiam utriusque dispensare possunt, si et quamdiu iusta et gravis causa id suadeat.

26. Parochi pariter a praefatis legibus etiam totam paroeciam dispensare valent, si et quamdiu gravis ac iusta causa id requirat. Fideles autem accurate edoceantur quasnam ob causas legitime excusentur ab obligatione de observantia sive festorum sive ieiunii et abstinentiae; praeterea, expresse moneantur ut, si casus ferat, ad parochum recurrant ad necessarias vel opportunas dispensationes a praedictis obligationibus impetrandas.

27. Fidelibus enixe commendatur ut, tempore praesertim quadragesimae, accuratius vitam ad christianas virtutes componant; frequentius sacrae liturgiae, pietatis exercitiis et praedicationi verbi Dei adsistant; opera caritatis exerceant et eleemosynas largiantur, pro pauperibus et pro Ecclesiae necessitatibus.

V - *De confessione annua et de communione paschali:*

28. Singuli fideles, postquam ad annos discretionis, id est ad rationis usum, pervenerint, tenentur peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri.

29. Item, singuli fideles — postquam ad rationis usum pervenerint — tenentur Eucharistiae sacramentum digne recipere saltem semel in anno, et quidem tempore praescripto ad praeceptum paschale adimplendum, scilicet a feria quarta Cinerum ad festum SS. Trinitatis; salvis peculiaribus indultis

a Sancta Sede concessis, ut praeceptum paschale aliis quoque temporibus legitime adimpleri possit.

30. Praeceptum communionis paschalis adhuc urget intra annum, si quis illud praescripto tempore, quavis de causa, non impleverit.

31. In singulis paroeciis, confessariorum copia fidelibus praebeatur, ut ad sacramentum poenitentiae tempore paschali facilius accedere possint.

32. Ipso iure facultas conceditur ut, tempore paschali, omnes confessarii possint poenitentes absolvere a peccatis in dioecesi reservatis, si quae sint, itemque a casibus a Sancta Sede Ordinario loci reservatis.

33. Curent locorum Ordinarii ut sacerdotes, educatores iuventutis, sodales piarum associationum et praeprimis actionis catholicae, per catechesim et exhortationes, verbis et scriptis, magnopere promovere satagant observantiam praeceptorum de annua confessione et de communione paschali.

VI - *De aliis praeceptis ecclesiasticis urgendis*:

34. Parochi ne omittant fideles expresse docere et opportune monere de obligatione, qua ex iure tam divino quam ecclesiastico tenentur, ut munera seu dona ad fines Ecclesiae proprios necessaria conferant, secundum praescripta Ordinarii loci et legitimas consuetudines.

35. Parochus curet ut sponsi, iis non exceptis qui matrimonium contrahant cum dispensatione ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, benedictionem sollemnem accipiant, quae dari eis potest quolibet anni tempore, sed solum in Missa, servata speciali rubrica.

36. Fidelium defunctorum corpora sepelienda sunt, ad fidem ostendendam finalis corporum resurrectionis. Episcopi tamen in conferentiis regionalibus seu nationalibus determinare possunt quandonam, pro locorum adiunctis, cadaverum crematio tolerari queat; quo in casu sacer ritus sepulturae ecclesiasticae domi tantum et in ecclesia persolvi potest, non vero usque ad cremationis locum.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 2-7 octobris 1961.

NOTAE

[1] Quaestione accurate disceptata: utrum legi de adsistendo Missae Sacrificio fideles satisfacere possint a vespere diei praecedentis, solummodo sex Sodales (seu Membra) Commissionis suffragium affirmativum, sexdecim autem suffragium negativum, et quinque nullum suffragium tulerunt.

[2] Non omnibus Membris Commissionis, sed solummodo 15 ex 27, placuit in textu allato determinatio operum quae hucusque *servilia* vocari solebant; communior Membrorum sententia fuit, quod in determinandis operibus vetitis non sola ratio haberi debeat de gravi labore quo eadem viribus physicis sint perficienda, neque lucrum consideretur ad quod faciendum eadem expleantur.

[3] Textus huius propositionis solummodo a 18 Membris probatus est. Duobus

dumtaxat, vel tribus, placuit haec alia propositio: « lex ieiunii praescribit ut quantitas omnium simul ciborum, qui in ientaculo et in coena manducantur, quantitatem non adaequet comestionis plenae ». Pluribus Membris autem placuisset ut statueretur carnes in diebus ieiunii comedi posse solummodo in comestione plena, seu in prandio; sed eiusmodi praescriptum quampluribus fidelibus valde onerosum esset, quia saepius in familiis cibi simul et pro prandio et pro coena parari solent.

[4] Huius propositionis textus solummodo a 16 Membris probatus est, quibusdam enim gravior videtur obligatio servandi ieiunium per integram Quadragesimam, quibusdam vero placeret ut tempore quadragesimae abstinentia a carne bis in hebdomada praecipiatur.

X

DE CATECHETICA POPULI CHRISTIANI INSTITUTIONE *

Primum Ecclesiae officium est praedicare evangelium, Christus Iesus enim Apostolis mandavit: « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur » (*Mc.,* XVI, 16). Id autem tum maxime facit Ecclesia, cum pro suorum sapientia institutorum et legum pueris adultisque doctrinam religionis impertit. Quapropter saepissime Romani Pontifices enixe Ordinarios locorum hortati sunt ad tam pium tamque salutare opus doctrinae christianae tradendae impensiori cura provehendum. Quod et haec Sacrosancta Synodus vehementer urgere vult, cum omnium malorum, quibus humana societas laborat, unum remedium illud sit ut Ecclesiae labore et industria hominibus rite educandis opera detur.

Quae igitur principaliora sunt expresse praescribuntur: 1) De catechismo et de libris catecheticis; 2) De organizatione institutionis catecheticae; 3) De methodo institutionis catecheticae.

Caput I
DE CATECHISMO ET DE LIBRIS CATECHETICIS

Ex decreto Concilii Tridentini confectum S. Pius V Catechismum Romanum vulgavit, qui omnem doctrinam complectitur, qua fideles informari oportet et quae ab omni errore quam longissime abest. Qui quidem catechismus, consensu omnium probatus et summis laudibus exceptus, subsequentibus temporibus paene exolevit, cum novitatis amor alios aliosque catechismos extulit. Inde vero malum illud exstitit, quod fere sublata est consensio in ratione exponendi fidelibus doctrinam christianam, pusillisque scandali quoddam oblatum est genus, quibus non omnes videntur easdem prorsus veritates ubique profiteri. Hinc multum in Concilio Vaticano I disceptatum est de catechismo universali, in tota Ecclesia Catholica adhibendo; sed tempus defuit ut in sollemni congregatione publica hac de re disputaretur et decre-

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in secunda et tertia congregatione sessionis sextae, diebus 4-5 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 790-842.

tum ederetur. Quamplures Episcopi, in suis votis antepraeparatoriis huic Concilio Vaticano II apparando, magnam ostendunt sollicitudinem ut in singulis saltem nationibus, seu pro populis eiusdem fere condicionis socialis unicus habeatur catechismus; sin minus, ut suprema Ecclesiae auctoritate *directorium* edatur commune, universale, in quo accurate, breviter et clare enuntientur praecipuae fidei veritates, praecepta maioris momenti sive legis divinae sive legis ecclesiasticae, preces communius ac frequentius fidelibus recitandae. Episcopi autem in Concilio Provinciali vel in Conferentiis provincialibus determinabunt quaenam, iuxta peculiaria adiuncta locorum et personarum, addenda sint catechismo nationali, aut curabunt ut proprius catechismus conficiatur evolvendo et explicando normas in *directorio* communi praefinitas.

At vero, mens huius Commissionis Praeparatoriae est non expedire ut *unicus* conficiatur catechismus in Ecclesia universali adhibendus, quia nimis diversae sunt condiciones cultus atque humanitatis plurium nationum seu populorum; insuper autem patet omnino quod doctrina christiana alio vel alio modo proponi et explicari debet sive fidelibus, quorum maiores ab antiquitus religioni catholicae adhaeserunt, sive neophytis qui a parentibus acatholicis progeniti sunt, sive haereticis vel schismaticis vel paganis qui tanquam catechumeni instituuntur ut in Ecclesiam Catholicam ingrediantur. Nec tamen opportunum aut utile est ut in singulis dioecesibus proprius habeatur catechismus, quia difficillimum est ut ubique revera apte perfecteque conficiatur, et praeterea puerorum praesertim institutio haud leve damnum saepius pateretur ex catechismorum varietate, cum frequentius contingere soleat ut familiae alio se transferant.

Haec igitur proponuntur quae sequuntur:

I. Catechetica institutio, viva voce tradita, principatum tenet, quia « fides ex auditu » (*Rom.* X, 17); oportet autem ut etiam libri catechetici adhibeantur, in quibus facta historiae salutis proponuntur, doctrina catholica exponitur, textus clari et breves exhibentur, qui memoriae sunt infingendi, ut fideles ad vitam christianam rite informentur.

II. Catechismus, ordine systematico confectus et speciali auctoritate ordinarii magisterii ecclesiastici praeditus, tanquam praecipuus, post sacram Scripturam, haberi debet omnium librorum, qui pro catechesi adhibentur.

III. 1) Cum in universa Ecclesia catechismus quoad substantiam idem, ex rei natura, esse debeat, quammaxime opportunum est ut Patres Concilii Vaticani II decernant ut *Directorium* conficiatur, in quo praescripta et normae generales statuantur, quae in singulis catechismis elaborandis servari debeant quod attinet ad finem in catechesi persequendum, ad praecipua doctrinae capita exponenda, ad formularum textum enuntiandum,

2) Episcopi in Conferentiis curabunt ut, secundum regulas in *Directorio* constitutas, in qualibet natione proprius communis edatur catechismus peculiaribus locorum et personarum conditionibus accommodatus.

IV. Catechismi partes disponantur secundum ordinem servatum in Di-

vina Revelatione, in praedicatione Apostolorum et in Traditione Ecclesiastica: imprimis scilicet exponatur doctrina de Deo Patre omnipotenti, deinde de Christo Iesu eiusque opere redemptionis, de Spiritu Sancto, de Ecclesia eiusque Sacramentis, de vita christiana et de beatitudine aeterna.

V. In catechismo doctrina christiana non exponatur methodo philosophica et apologetica, sed ad modum simplicis explicationis veritatis, quae comprehenditur in praedicatione Christi et Apostolorum et in deposito fidei Ecclesiae concredito.

VI. In catechismo facta et verba ex Sacra Scriptura referantur et nexus cum Liturgia intime conseratur, ut vita christiana efficacius foveatur.

VII. Peculiares libri catechetici conficiantur oportet: 1) pro pueris, qui primas scholas elementarias frequentant et praecipue instituantur oportet per narrationes excerptas ex libris Sacrae Scripturae et per explicationes festivitatum anni liturgici; 2) pro adolescentibus, qui vel studiis secundariis et superioribus incumbunt, vel in operis exercendis occupantur; 3) pro his qui ad matrimonium contrahendum praeparantur et pro his qui vinculo coniugali obstringuntur. Item, peculiares libri catechetici adhibendi sunt ad aptam et congruam institutionem acatholicorum, qui in Ecclesia Christi excipi optant.

VIII. Ut fideles adulti libros Sacrae Scripturae — praesertim Novi Testamenti — assidue legere et meditari soleant, singuli fideles iam inde ab adolescentia praeter catechismum habeant etiam librum in quo capita selecta Bibliae perlegant, deinde vero, crescente aetate, habeant integrum librum Novi Testamenti, adnotationibus rite instructum ad eorum captum accommodatis.

IX. In libris catecheticis conscribendis leges didacticae et psychologicae serventur pro diversa aetate et pro peculiaribus condicionibus eorum, quibus iidem destinantur; item, ratio artis typographicae diligenter habeatur; et pariter, imagines addantur, aptissime selectae, quibus decet omnino ut sint instructi.

X. Cuiuslibet libri, qui ab Ordinario loci sit probatus ut adhibeatur ad catecheticam institutionem tradendam, peculiare commentarium typis edatur, ut catechistae facilius et melius munere suo fungi valeant.

XI. In qualibet natione libri populares habeantur, a conferentiis Episcoporum probati, quibus fideles utantur sive ad orandum et cantandum in actuosa participatione liturgiae ac piorum exercitiorum, sive in receptione sacramentorum, ut vita spiritualis foveatur cum singulorum fidelium tum etiam familiarum aliarumque communitatum.

Textus definitive probatus in Commissionis Sessione Generali habita diebus 11-16 decembris 1961.

Caput II

DE INSTITUTIONIS CATECHETICAE ORGANIZATIONE

Regnum Christi in terris non aliter constabiliri potest, nisi labore et industria Ecclesiae, quae operam det hominibus educandis, maxime vero pueris adultisque doctrina religionis instituendis. Ad quem finem bene assequendum non sufficit ut apti et idonei libri catechetici habeantur, sed requiritur praeterea ut accuratae normae praefiniantur congruenter accommodatae ad institutionem catecheticam ordinatim et fructuose pueris adultisque tradendam pro diversis eorum aetate, ingenio et condicione. Plura ad rem peropportune haud multo ante a Sancta Sede pro universa Ecclesia praescripta sunt, potissimum a Pio XI, qui Motu proprio *Orbem catholicum,* 29 iunii 1923, apud Sacram Congregationem Concilii peculiare Officium instituit, cuius est universam in Ecclesia actionem catechisticam moderari ac provehere, indeque eadem Sacra Congregatio Concilii, Decreto *Provido sane consilio,* 12 ianuarii 1935, certas definitasque normas statuit ad institutionem catechisticam pressius ordinandam. Quae, ut maiorem vim et effectum sortiantur, accuratius determinentur et compleantur oportet, proindeque haec quae sequuntur decernenda proponuntur:

A) *De officiis constituendis, quorum sit institutionem catecheticam moderari.*

I. Ad institutionem catecheticam in universa Ecclesia moderandam et provehendam Pontificium Officium Catechisticum congruo Membrorum et Consultorum numero instruatur, qui nedum ex Episcopis et presbyteris seligantur ad Commissiones Nationales pro Catechesi pertinentibus, verum etiam ex Clericis et Religiosis qui pastoralem catechisticam docent, immo et ex laicis qui vere sint periti in tradenda institutione catechetica.

Proprium huius Officii erit:

1) Regulas et normas generales statuere de pastorali catechistica et Directorium conficere, quod a Commissionibus Nationalibus seu Regionalibus accuratius determinabitur secundum peculiaria locorum adiuncta.

2) Invigilare et urgere ut in qualibet Natione et in singulis dioecesibus apta et idonea Consilia seu Officia catechistica condantur, prout necessitas exigit et facultates permittunt. Quae si constitui nequeant, Officium Pontificium suadeat ut Consilia seu Officia interdioecesana vel internationalia constituantur.

II. In qualibet Natione aut pro pluribus dioecesibus unius vel plurium Nationum, a respectivis Conferentiis Episcoporum peculiaris constituatur Commissio Nationalis seu Regionalis pro Catechesi, cui sit adnexum Centrum Catechisticum Nationale aut Regionale.

Proprium eiusmodi Commissionis erit operam dare, secundum Episcoporum praescripta, ut institutio catechetica diligenter et assidue provehatur.

III. Quaelibet Dioecesis proprium suum Officium Catechisticum Dioecesanum rite instructum habeat, cuius sit — praeside Episcopo — totam actionem catechisticam in Dioecesi moderari. Huius Officii moderator sit sacerdos ab Episcopo designatus, a quo pariter Officii Consultores seligantur ex presbyteris, religiosis et laicis de re catechetica vere peritis.

Officii catechistici dioecesani moderator, qui in disciplinis theologicis, in psychologia, in paedagogia, in methodologia catechetica perfecte planeque eruditus sit oportet, itemque prudentia ac zelo apostolico vere probatus, ab officiis oneribusque vacare debet, quae impedire valeant quominus munus suum fructuose explere possit. Eidem autem operis socios, pro necessitate, dabit Ordinarius, cuius est etiam curare ut omnia comparentur, quae ad institutionem catecheticam in tota Dioecesi rite tradendam requiruntur.

Ad Officii Catechistici dioecesani moderatorem, sub Episcopi auctoritate, pertinet:

1) Institutionem catecheticam pro pueris, pro adolescentibus et pro adultis in tota dioecesi ordinare et conectere, simulque curare ut catechesis apte cum ceteris apostolatus mediis componatur, quibus animarum cura exercetur.

2) Prospicere ut religionis magistri et catechistae rite formentur; urgere ut religiosi « qui in scholis primariis publicis aut privatis doctrinam christianam pueris ac puellis explanaturi sint, tum in ipsa catechesi tum in ratione eam pueris proponendi ita instituantur, ut examen coram Ordinario vel iudicibus ab eodem delegatis sustinere valeant »; [1] invigilare ut parentes apte praeparentur ad filios catechetica institutione, pro suo officio, erudiendos, itemque ut plena atque integra sit catechumenorum institutio religiosa eademque uberius ac perfectius post receptum baptisma producatur.

IV. Singuli parochi fideliter ac integre servent normas ab Ordinario statutas per Officium Catechisticum Dioecesanum, ut parentes cum vi et efficacia filios doctrinam christianam doceant; ut, pro necessitate, operam adhibeant clericorum, religiosorum et laicorum ad institutionem catecheticam tradendam; ut scholae catecheticae paroeciales foveantur et munere suo rite fungantur; ut quaevis fidelium pars accurate doctrina christiana imbuatur; ut quotannis opportune de impensis prospiciatur quae fieri debent pro operibus catechisticis et dies catechistica, quae dicitur, magno cum apparatu et pompa agatur.

V. Curent locorum Ordinarii ut in qualibet paroecia, in qua alio modo non sit sufficienter provisum, instituatur Sodalitium doctrinae christianae — quod alio titulo in diversis locis donari potest — ut, ipso parocho praeside ac moderatore, vel aliquo sacerdote designato a parocho, facilius ac melius omnibus rebus consulatur, quae necessariae sunt ad institutionem catecheticam fidelibus rite ac fructuose tradendam.

B) *De magistris religionis et catechistis formandis.*

VI. Episcopi et parochi magna cum sollertia et industria curent ut accuratissime praeparentur magistri religionis et catechistae, qui doctrina et pietate sint conspicui et zelo gloriae Dei salutisque animarum praediti.

VII. Ubi alio modo non fuerit opportune provisum, instituta superiora nationalia vel internationalia necnon interdioecesanae catechistarum scholae a Conferentiis Episcoporum condantur, eum in finem peculiarem ut, clerici et religiosi et laici apte et idonee praeparentur, qui sive optimi magistri religionis seu catechistarum institutores esse possint, sive officia catechistica bene moderari valeant.

Alumnis qui congruo examine probentur, diversi gradus diploma conferatur, pro diversitate studiorum quibus incubuerint.

VIII. Commendatur ut formentur, si fieri potest, catechistae professionales, qui dicuntur, qui scilicet peculiariter destinentur ad munus catechizandi. Propria eorum iura et officia ab Ordinario loci accurate in peculiari Statuto definiantur, sub Officii Catechistici Dioecesani vigilantia fideliter et integre servando.

IX. Ut sacerdotes utriusque cleri plene ac perfecte praeparentur ad institutionem catecheticam rite tradendam, diligentissime serventur praescripta de lectionibus de theologia pastorali in regulari curriculo studiorum habendis, additis practicis exercitationibus praesertim de ratione tradendi pueris aliisve catechismum.[2]

X. Peculiares conventus seu Congressus dioecesani et interdioecesani saepius agantur, ut clerici et religiosi et laici semper magis idonei efficiantur ad doctrinam christianam fructuose tradendam.

Textus definitive probatus in Commissionis Sessione Generali habita diebus 11-16 decembris 1961.

NOTAE

[1] S. Congregatio de Religiosis, *Instructio,* d. 25 novembris 1929 (*A.A.S.,* XXII [1930], p. 29, n. 2).

[2] Cf. can. 1365, § 3; Pius XII, Motu Proprio *Quandoquidem,* 2 aprilis 1949; S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus, *Instructio,* 21 dec. 1944; S. Congregatio de Religiosis, Statuta Generalia adnexa Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1946, art. 48, § 1.

Caput III

DE METHODO INSTITUTIONIS CATECHETICAE TRADENDAE

Ad fideles in doctrina christiana fructuose edocendos non sufficit ut apti libri catechetici habeantur et idonei sint catechistae pro diversa aetate atque condicione eorum qui de rebus fidei et morum erudiri debent, sed requiritur

praeterea ut in tradenda institutione catechetica opportunae serventur normae, quibus finis revera attingi possit ad quem ipsa institutio ordinatur. Pueri enim alliciantur oportet ad ea praesertim consideranda et memoriae tradenda, quae eos ad Dei amorem movent, deinde vero adulescentes gradatim perduci debent ad integram doctrinam christianam clare percipiendam et firmiter amplectendam, ita ut plena cum deliberatione Deo adhaereant eiusque mandata servent omni tempore vitae suae. Institutione adultorum denique catechesis continuari et compleri debet, spectatis praesertim peculiaribus eorum temporis adiunctis.

Haec igitur quae sequuntur, de methodo institutionis catecheticae tradendae proponuntur.

I. Proprius institutionis catecheticae finis est ut fideles non tantum doctrinam theoretice addiscant, sed etiam excitentur ad vitam agendam, quae fidei christianae sit consentanea et bonis operibus perficiendis iugiter intenta.

II. In doctrina christiana exponenda Parochi et catechistae Sacra Scriptura nitantur et Traditione ecclesiastica, prouti proponuntur et declarantur in scriptis Sanctorum Patrum et Doctorum Ecclesiae, in Symbolis fidei et in documentis Magisterii ecclesiastici. Praeterea, accurate explicent textus et actiones liturgicas, et argumenta atque exempla afferant quae ex vita sanctorum hauriuntur.

III. Veritates fidei praedicentur uti evangelium regni Dei ad salutem hominum, eaedemque organice cohaerentes ostendantur in Christo Iesu magistro et salvatore et domino.

IV. Ad normas scientiae paedagogicae et artis docendi, in catechetica institutione tradenda non solius intellectus sed omnium humanarum facultatum eorum qui instituuntur ratio habeatur, pro diversa singulorum aetate et ingenio et condicione.

V. In doctrina christiana proponenda, a factis revelationis divinae et a rebus visibilibus ad invisibilia procedatur, et hi qui instituuntur efficaciter inducantur ad orationem, ad participationem liturgiae, ad receptionem sacramentorum, ad opera caritatis et apostolatus.

VI. Pueri primis fidei rudimentis a parentibus erudiantur, qui etiam curare debent ut tempestive illi ad primam communionem rite disponantur, et cursus catecheticos diligenter et assidue frequentent, cui ipsis sive in paroecia sive in schola destinantur.

VII. In pueris in doctrina christiana instituendis methodus intuitiva et activa adhibeatur, qua facilius et fortius eorum attentio concilietur; eadem autem institutio festis ac temporibus liturgicis vertente anno aptetur, et facta et verba salutis explicet quae in Sacra Scriptura proferuntur, ac denique systematice veritates exponat, secundum ordinem in catechismo praefinitum, quarum claram cognitionem pueri habeant oportet.

VIII. Pueri memoriae mandent preces principaliores, textus praecipuos excerptos ex Sacra Scriptura et Liturgia, formulas veritatum fidei, quas necessario omnes scire tenentur.

IX. Pueri et adulescentes sacerdoti Missam celebranti communiter respondeant, in qua ipsis accommodata homilia habeatur et lectiones pronuntientur a lectore in lingua vulgari, iidem autem preces recitent et hymnos concinant Liturgiae consentaneos.

X. Summa cum diligentia pueri et adulescentes edoceantur de vi et efficacia sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae, ac sedula cura adhibeatur ut fructuose et frequenter illa suscipiant.

XI. Ut melius pleniusque christiana educatione pueri et adulescentes formentur, peculiaria instituta, alia pro maribus et alia pro feminis, foveantur, quae etiam aptis mediis sint instructa ad eorum animos honeste oblectandos.

XII. In adulescentibus et iuvenibus doctrina christiana erudiendis diligentissime adnitendum est ut ii veritates fidei et morum penitus percipiant, iisdemque deliberato actu voluntatis plene adhaereant.

XIII. Peculiaris adhibeatur industria et sollertia ut adulescentes et iuvenes recte, secundum christiana principia, iudicare valeant de novis animi incitamentis, quae sentiunt et experiuntur circa res et personas, de huius mundi bonis et oblectamentis, de vitae genere sibi eligendo. Quapropter catechetica institutio iis tradatur, quae aptis et idoneis ratiocinationibus clare et firmiter innitatur.

XIV. Expedit profecto ut in singulis provinciis ecclesiasticis in catechetica institutione tradenda eadem serventur programmata, quae pro diversa fidelium aetate et condicione in conferentiis Episcoporum praefiniuntur. Ubi vero id commode fieri nequeat, prorsus oportet ut idipsum in singulis saltem dioecesibus integre ac fideliter servetur.

XV. Nullimode unquam catechetica institutio adultorum neglegatur, quae ob hodierna rerum et personarum adiuncta omnino requiritur ut constanter et accuratissime semper tradatur. Potissimum autem nupturientes, certa ratione apte per idoneos et bene paratos sacerdotes ac laicos instituantur, ut ad vitam vere christianam in matrimonio et familia agendam rite formentur.

XVI. Curent Episcopi, ut diebus festis de praecepto non tantummodo in Missa paroeciali sed etiam in aliis Missis, quae ubivis adstantibus fidelibus celebrentur, breve homilia aut alicuius partis doctrinae christianae explanatio fiat (can. 1345). Praecipua huius doctrinae capita ordinatim ita distribuantur, ut trium vel quattuor annorum spatio fideles Missae diebus festis adstantes iterum maiorem et essentialem partem verbi a Deo revelati audiant.

XVII. In peculiaribus associationibus vel coetibus coadunati, fideles pro diversa eorum condicione seu professione specialem habeant institutionem in doctrina christiana, ut de propriis quoque singulorum officiis, qua opifices sunt, vel magistri, technici, advocati, medici, etc., apprime recte eruditi, testes revera esse possint Christi Iesu cum in vita personali et domestica, tum in vita professionali et sociali.

XVIII. Curent Ordinarii ut etiam in locis quae ad Ecclesiam non pertinent et per libros et media audio-visiva modo apto et idoneo doctrina chri-

stiana divulgetur, sicque omnibus quoque qui « longe sunt » (cf. *Act.*, II, 39) innotescere valeat lumen veritatis et via salutis.

XIX. Institutum quoddam, ad instar *catechumenati*, erigatur ut ii qui ad Ecclesiam Catholicam convertuntur iique qui, etsi in eadem ab infantili aetate baptizati, nullam in doctrina christiana institutionem habuerunt, de veritatibus fidei et morum congruenter erudiantur, ita ut vitam vere christianam degere possint et plenam cum ceteris fidelibus unionem habeant.

XX. Ubi id ob circumstantias peculiares expedire seu requiri videtur, v. g. tempore persecutionis vel quia plures ad exteras regiones migrare solent, Parochi curent ut fideles apte formentur ad opportuna media adhibenda, quibus, etiam deficiente sacerdote, nutriantur in fide et cultum Deo per congruas orationis formulas communiter exhibeant.

XXI. Commendatur ut in *Directorio*, quod in Episcoporum conferentiis probandum erit ad normas praefiniendas, quae ab omnibus in tota saltem provincia ecclesiastica servari debeant quod attinet ad libros catecheticos adhibendos et ad organizationem perficiendam institutionis catecheticae tradendae, certae normae etiam praefiniantur de methodo servanda in erudiendis fidelibus doctrina christiana, ut ex huiusmodi praecellenti et quammaxime necessario ministerio pastorali uberiores revera fructus semper colligantur.

XXII. Expedit autem ut in praefato *Directorio* praecipuae etiam normae praefiniantur, quae servari debeant ut Parochi omnesque alii sacerdotes in ceteris quoque sacris concionibus ministerium verbi rite et fructuose exerceant pro hodiernis rerum et personarum adiunctis.

Textus definitive probatus in Commissionis Sessione Generali habita diebus 5-10 februarii 1962.

XI

DE CURA ANIMARUM ET COMMUNISMO *

Permulti sunt in pluribus nationibus ii qui, etsi non ignobili genere nati et vel etiam in Ecclesia catholica baptizati atque educati, a communismo alliciuntur et organizationibus communisticis nomen dant et pro communistis suffragium ferunt in electionibus politicis et administrativis.[1] Plures, equidem, ex ipsis doctrinae philosophicae communismi ex animo non adhaerent, eaque unica aut saltem praecipua de causa communismo tantummodo practice favent, quia putant efficax esse medium ad iustitiam socialem perfecte instaurandam: et in re, ad maius salarium seu stipendium obtinendum, pro minore suscepto labore; ad partem divitiarum et bonorum materialium habendam in eorundem aequa divisione et distributione peragenda; ad vitam commodius faciliusque degendam. At vero, perperam agunt ii qui communismo ob commoda tantum oeconomica favere intendunt, attente siquidem considerare deberent quod communismus modo iniquo condiciones sociales innovare contendit, itemque quod ipsi de facto eius vim augent in republica graviter perturbanda, ac praeterea quod saepe saepius contingit ut, ii qui communismo favent, profitentes se eiusdem doctrinam philosophicam respuere, et ipsi ad ultimum principiis anarchiae et atheismi inficiantur, quibus communismus nititur.

Oportet ergo ut monita, consilia, praescripta, quae praesertim a Romanis Pontificibus Leone XIII, Pio XI, Pio XII, Ioanne XXIII edita sunt, instantissime urgeantur et, pro opportunitate, accuratius determinentur aut etiam hodiernis rerum adiunctis aptius accommodentur, quibus Ecclesia fideles a periculis et damnis communismi munire satagit itemque doctrinam christianam clare exponit, qua iustis et aequis hominum optatis in re sociali et oeconomica vere et aptissime satisfieri potest. Non expedit autem, ut ab Ordinariis et parochis directe et expresse communismus oppugnetur, quatenus utique ad bonum sociale et oeconomicum promovendum et provehendum iniuste procedit: ob eiusmodi enim actionem pastorum animarum com-

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in secunda et tertia congregatione sessionis sextae, diebus 4-5 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 798-842.

munistae aliique viri Ecclesiae infensi causam faciliter confingerent ipsam Ecclesiam criminandi quod actionem mere politicam perficiat.

Sic igitur diligenter curandum est ut fidelium mentibus lumen fidei praebeatur, iique securo Evangelii pabulo nutriantur et supernae gratiae alimento per Sacramentorum usum roborentur. Fideles autem, ii praesertim quibus amplior datur agendi facultas, exstimulentur ut christianam de re sociali doctrinam ad effectum deducant, neve fallacibus doctrinis aures praebeant, quae populorum prosperitati et libertati ac singulorum hominum bono spirituali nocent, neve Ecclesiae hostibus opportunitatem dent eam falso insimulandi, quasi huius etiam vitae necessitates ipsi cordi non sint.

Quibus omnibus attente perpensis haec, quae sequuntur, decernenda proponuntur:

I. Ad gravia pericula propulsanda, quae Ecclesiae et societati civili imminent ex communismo materialistico et atheo, cui accedunt naturalismus et technicismus, clerici ita instituantur, ut in sacro ministerio exercendo semper et ubique ab illius contagione fideles muniant, qui ea non inficiuntur, eos autem qui propter ipsam a fide et a vita christiana agenda defecerunt, rursum adducant ad amorem Dei eiusque servitium.

II. Summopere curent pastores animarum ut omnes fideles perfecte in fide catholica et bonis moribus instituantur, adeo ut individualismum egoisticum et hedonisticum penitus effugiant.

III. Doctrina clare explicetur de dignitate hominis ad imaginem Dei creati, qui veritatem obiectivam per actum sui intellectus adipisci potest, et praeambulis fidei atque motivis credibilitatis innixus Deo rationabile obsequium praestare potest assentiendo veritatibus supernaturalibus revelatis.

IV. Item, perspicue ac plene explicetur doctrina de Ecclesia, praesertim qua est corpus Christi mysticum, cuius membra sunt omnes homines baptizati, sicque fideles exstimulentur ut digne pro sua condicione semper se gerant.

V. Pariter, Pastores animarum magna cum sollertia doctrinam socialem Ecclesiae enucleare et illustrare satagant, quam Litterae Encyclicae Leonis XIII *Rerum novarum,* Pii XI *Quadragesimo anno,* Ioannis XXIII *Mater et magistra,* necnon plura Pii XII documenta accurate exponunt, et expresse ostendant eiusmodi doctrinam socialem Ecclesiae plane sufficere posse ad omnes quaestiones et difficultates rite dissolvendas seu componendas de singulorum iuribus et officiis quae ad res oeconomicas et sociales attinent.

VI. Ut aptius et fructuosius doctrina socialis Ecclesiae exponatur ac divulgetur, de eadem peculiariter edoceantur, modo eorum captui accommodato, operarii et opifices et technici dum iisdem separatim institutio catechetica traditur. Insuper autem, praelectiones de illa ceteris praelectionibus addantur, quae de disciplinis philosophicis et theologicis proprie pro laicis pluribus in locis iam haberi solent, et quammaxime commendatur ut ubique habeantur.

VII. Diligenter curetur ut disciplinae de doctrina sociali Ecclesiae magis ac magis, tanquam disciplinae obligatoriae, studeatur in scholis catholicis

cuiusvis ordinis, praecipue vero in Seminariis Ecclesiasticis et in Institutis Religiosis.

VIII. Librorum aliorumque scriptorum divulgatione, modernis socialis communicationis mediis, conventuum seu congressuum celebratione populo clare ostendatur quaenam sit vera communismi doctrina, quid proprie intendat et quomodo callide agat communismus ut incautos decipiat. Libelli praesertim et folia in vulgus, iuvenes, operarios, agricolas, technicos largissime efferantur, in quibus communismus iudicetur secundum iuris naturalis et doctrinae catholicae principia.

IX. Commendatur ut ex decreto Concilii Vaticani II sollicite hi, qui sequuntur, libri accuratissime conscribantur et quammaxime divulgentur:

1) Doctrinae christianae compendium, in quo perspicue explicentur praecipuae veritates sive ordinis naturalis sive ordinis supernaturalis, quae hodiernis temporibus, peculiariter impeti solent, cuiusmodi sunt praesertim: ratio obiectiva veritatis, praeambula fidei, notio peccati, mysteria redemptionis et corporis Christi mystici et finalis resurrectionis hominum.

2) Doctrinae anthropologicae summarium, in quo accuratae et clarae notiones exponantur de hominis natura, de animae humanae immortalitate et responsabilitate morali, de iuribus nativis et inalienabilibus hominum, de ratione et natura societatis civilis.

3) Codex socialis, in quo paucis et perspicuis verbis, lucido ordine digestis, integra colligatur doctrina socialis Ecclesiae excerpta ex documentis magisterii ecclesiastici necnon ex actis *hebdomadarum socialium.*

X. Ut fideles Communismi contagionis facilius serventur immunes, animarum pastores summo studio in iis fovere contendant pietatem christocentricam, liturgicam, ecclesialem; eosque avocare satagant ab usibus seu moribus devotionalibus, qui veram pietatem alere nequeunt; itemque rite eos instituant ad Sacrae Scripturae lectionem fructuose faciendam et ad vitam christianam agendam, quae spiritu orationis fulcitur et frequenti receptione sacramentorum; ac pariter summopere curent ut eorum vita vere aperteque cohaereat cum normis fidei, quam verbis profitentur, proindeque in exercitio fulgeant omnium virtutum, praeprimis iustitiae et caritatis.

XI. Fideles sedulo edoceantur quod esse debent « sal terrae et lux mundi » (cf. *Mt.* V, 13, 14), et opem efficaciter conferre tenentur ut « adveniat regnum Dei » (cf. *Mt.* VI, 10). Instanter etiam moneantur de gravi officio, quo adstringuntur, ut verbis, data occasione, semper autem vitae suae exemplo hedonismum impugnent, ex quo tot tantaque damna oriuntur in singulis personis et in familiis et in societate civili.

XII. Pastores animarum diligenter curent ut apti et idonei fideles, qui probitate morum praefulgeant, perfecte praeparentur ad munia socialia recte et laudabiliter explenda. Omnes autem fideles, qui iure gaudent ferendi suffragium in electionibus politicis et administrativis, ab Ordinario et a parocho tempestive, prudenter quidem sed aperte ac strenue, moneantur de gravi

officio, quo adstringuntur, eos tantummodo candidatos eligendi, qui vere videantur recte esse functuri munere eis tribuendo.

XIII. Singuli parochi opera socialia, quae dicuntur, in propria paroecia quammaxime foveant et provehant. Sedula autem et actuosa caritate vere paterna omnes pauperes et miseros complectantur, qui in paroeciae territorio commorantur, etiam si vitam christianam non degant et vel forte ad Ecclesiam catholicam non pertineant.

XIV. Cum saepius fideles quoque qui communismo inficiuntur, id saltem curare non omittant ut filiis suis sacramenta baptismi et confirmationis ministrentur utque primam Communionem iidem recipiant, itemque matrimonium religiosum et sepulturam ecclesiasticam non detrectent, parochus summo studio eiusmodi occasiones sibi quaerat ut eos benevolentia et benignitate prosequatur, practice ostendendo qualis revera sit Ecclesia, ad quam proinde iidem alliciantur, ac demum ad vitam proprie vereque christianam agendam perducantur.

XV. Clerici omnes, et praesertim pastores animarum, cunctis hominibus sint exemplo ob humilitatis et paupertatis amorem et exercitium, quo manifeste pateat eosdem a terrenis divitiis possidendis aut expetendis prorsus esse alienos, et hoc unum sibi cordi esse, bonum scilicet quaerere animarum.

XVI. Enixe commendatur ut, quantum pro locorum consuetudinibus fieri potest, nulla ratio habeatur condicionis socialis fidelium in sacris functionibus celebrandis occasione primae Communionis, nuptiarum, sepulturae ecclesiasticae.

XVII. Non prohibentur clerici et religiosi quominus recte atque prudenter auxilia virorum divitum seu potentium exquirant et adhibeant ad opera cultus divini, apostolatus et caritatis exercenda, sed diligentissime caveant ne unquam omnino eis quomodocumque subiecti atque obnoxii sint aut esse videantur; penes humiles enim Ecclesia saepius insimulatur instrumentum esse in manu eorum qui potestate oeconomica vel civica aut politica pollent.

XVIII. Ordinarii locorum attente semper invigilent ut principia et normae iustitiae socialis omnibus fidelibus apte assidueque inculcentur, nec omittant, si quando casus ferat, prudentissime quidem sed aperte graviores iustitiae socialis violationes improbare, quae publice flagitiose committantur.

XIX. Fideles qui publicae rei moderandae intersunt, numquam recordari desinant multiplicem in rem oeconomicam impendendam esse operam, eamque ampliorem quam antea ordinatioremque, et instituta, officia, instrumenta agendique rationes huic efficiendo proposito congruenter accommodanda esse.[2]

XX. Secundum normas a Centris Pastoralibus nationalibus vel regionalibus praestituendas, prudens et accurata fiat inquisitio de fidelium mente et modo sese gerendi quod attinet ad observantiam obligationum, quae christianorum sunt propriae, ut pro singulorum condicione apte et fructuose cura pastoralis exerceatur. Cura pariter adhibeatur, ut fideles magis idonei rite praeparentur ad missionariam actionem explendam, qua homines longinqui

ab Ecclesia suaviter adducantur ad eiusdem veram naturam agnoscendam et considerandam, sicque deinde sacrum ministerium pro ipsis facilius ac fructuosius exerceri valeat.

XXI. Associationes fidelium professionales quae dicuntur, aliasque consimiles tum Ordinarii locorum tum parochi impense foveant, et sedulo curent ut earum socii, praeprimis autem ii qui eisdem praeponuntur, plenam perfectamque habeant formationem technicam, socialem, moralem, religiosam, qui propterea alios suae cuiusque condicionis socialis viros haud difficulter adire possint eosque de Ecclesia opportune docere.

XXII. Operam dent Ordinarii ut scientiae et artes liberales etiam a nonnullis aptis et idoneis clericis ac religiosis diligenter ita excolantur, ut iidem gradibus academicis ornentur, quibus munere magistri vel cappellani studentium rite fungi valeant in scholis superioribus et in Universitatibus, ubi quamplurimi iuvenes in periculo quoad fidem et mores versantur ob quamplurium docentium aut discentium materialismum dialecticum vel atheismum.

XXIII. Enixe commendatur ut in Universitatibus aliisque scholis superioribus scientiarum et artium peculiares coetus vel consociationes sive inter professores sive inter alumnos constituantur, eum in finem ut non solum per doctrinam et vitam vere christianam iidem publicum et praeclarum reddant fidei catholicae testimonium, sed etiam expresse et efficaciter agant ad nefariam operam frustrandam aut saltem cohibendam, quae in praefatis scholis callide et acriter a sic dictis cellulis communistarum promovetur.

XXIV. Pro opportunitate, clerici et laici, verbis et scriptis dilucide comprobent verum non esse quod Ecclesia tum valores temporales non aestimat, tum mala calamitatesque et famem ac bellum non curat; itemque clare ostendant quod Ecclesia laetatur de laudandis tentaminibus, quibus homines secreta naturae perscrutantur et ingentibus eius viribus magis in dies frui contendunt ut sive domi sive in republica commodius ac beatius vita agatur.

XXV. Ut plenius munere suo fungatur Centrum Pastorale, seu Officium orientationis et coordinationis pastoralis, quod est apud Sacram Congregationem Concilii constitutum, inter eius membra et consultores adnumerentur etiam nonnulli sacerdotes et laici, qui operibus apostolatus exercendis in diversis nationibus incumbunt. Proprium enim eiusmodi Officii est:

1) Operam dare ut ubique ea cura pastoralis constanter exerceatur quae vere consentanea sit peculiaribus adiunctis personarum, rerum et locorum.

2) Normas generales praestituere de cura pastorali exercenda, quae in singulis regionibus ab Ordinariis locorum apte et opportune determinentur et compleantur pro diversa fidelium mente et vivendi ratione.

3) Documenta colligere et excutere de mediis et methodis, quibus cura pastoralis in diversis regionibus exercetur, et de eorundem vi et efficacia, ut etiam alibi, pro opportunitate, adhibeantur, vel excludantur.

4) Curare ut probati libri edantur sive ad illustrandam seu exponendam

doctrinam christianam et anthropologicam, sive ad normas deontologiae tradendas pro iis qui munere medici, advocati, et huiusmodi funguntur.

5) Adhortari et auxilium ferre, ut in singulis nationibus Centrum Pastorale ab Ordinariis constituatur, idemque fructuose muneris sui officium exsequatur.

Textus definitive probatus in Commissionis Sessione Generali habita diebus 5-10 februarii 1962.

NOTAE

[1] Mense martio anni 1961 in orbe terrarum septem et octoginta factiones (vulgo « partiti ») communistarum exstabant, quibus aliae plures postea additae sunt, praesertim in Africa. Vertente anno 1960, praeter eos qui in nationibus commorabantur, quae in Russiae dicionem redactae sunt, in ceteris nationibus sexagies centena millia (6.000.000) hominum summatim computabantur, qui inter communistas inscripti erant.

[2] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Mater et magistra*: *A.A.S.*, LIII (a. 1961), p. 414.

XII

DE PRAEVIA LIBRORUM CENSURA EORUMQUE PROHIBITIONE *

Ad finem suum assequendum, ut scilicet homines in ipsa et per ipsam sanctificentur, et ad vitam aeternam perveniant, Ecclesiae ius est et officium praecavendi ne fideles libros legant vel spectaculis adsint, quae sive morum integritati sive catholicae religionis dogmatibus adversentur. Qua de causa iam inde a pluribus saeculis constitutum est ut praeviae ecclesiasticae censurae subiiciantur libri fidelium, typis imprimendi, in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis peculiariter intersit; itemque ut fidelibus prohibeantur ne, sine debita licentia, legant vel retineant vel vendant vel cum aliis personis communicent libros, etsi ab acatholicis conscriptos, qui noxii sint vel periculosi. Certum profecto est normas his de rebus nunc vigentes accurate emendandas esse; quaedam enim earum praescripta rigidiora esse videntur, proindeque saepe saepius non observantur; nonnulla vero alia earumdem normarum praescripta sufficienter non cavent ut fideles revera arceantur a damno vel periculo quod pati possunt a lectione pravorum librorum. Hinc haec quae sequuntur statuenda proponuntur.

1. A competente Episcoporum coetu in singulis Nationibus officium constituatur, sacerdotibus et laicis probis ac peritis constans, cuius sit invigilare editis scriptis.

2. Ad Officii nationalis petitionem alia quoque vigilantiae Officia dioecesana vel regionalia ab Episcopis constituantur, quae in partem vocentur eiusdem muneris explendi.

3. Theologi nationali Officio addicti, tempestive et congruenter doctrinam Ecclesiae exponere atque evulgare curent ad errores refellendos, qui scriptis editis proferuntur.

4. Curent Ordinarii locorum ut modo apto et consentaneo fideles certiores fiant de iudiciis datis ab Officiis vigilantiae.

5. Censores, eruditione ac prudentia commendati, ex utroque clero ab Ordinariis locorum eligantur, sive propriae sive etiam alienae Dioecesis; insuper autem censores possunt quoque deputari ex theologis addictis Officio nationali vigilantiae.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in tertia congregatione sessionis sextae, die 5 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 842-863.

6. Operam dent Officia vigilantiae, cum nationalia tum regionalia, ut variis quae praesto sint mediis fideles moneantur de libris quos legere nefas, vel perniciosum, vel integrum ac liberum haberi debeat, iuxta varias aetates et conditiones.

7. Officia nationalia vigilantiae regulas servandas statuant ut imagines sacrae, quae evulgantur, dignae sint et Ecclesiae sensui ac decretis conformes veramque pietatem foveant. Curent insuper ut imagines, hisce regulis contrariae, expresse reprobentur et, quantum fieri potest, e commercio auferantur.

8. Quando rei adiuncta id postulent, Ordinarius in concedenda vel deneganda libri imprimendi licentia, iudicio unius tantum censoris ne innitatur, sed duorum et vel etiam plurium, pro peculiari materiei gravitate, sententiam exquirat. Censorum autem nomina numquam pateant, antequam hi faventem sententiam ediderint.

9. Magis definite edicatur in can. 1386 § 1: « Vetantur clerici saeculares sine consensu sui cuiusque Ordinarii, religiosi vero sine licentia sui Superioris maioris et Ordinarii loci, libros quoque qui de rebus profanis tractant edere, et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere vel eadem moderari ».

10. Accuratius statuatur in can. 1394 § 1: « Licentia, qua Ordinarius potestatem edendi facit, in scriptis concedatur. Eadem autem in principio aut in fine libri, folii vel imaginis, expresso etiam nomine concedentis itemque loco et tempore concessionis, imprimatur, nisi — iusta de causa — aliud censeat Ordinarius ».

11. Si res postulet, censores designentur etiam librorum qui iam editi sint et quorum censura praecesserit, nec rursum iidem typis imprimantur, nisi cum correctionibus quae forte necessariae videantur.

12. Libri, libelli, folia aliave scripta decreto Auctoritatis ecclesiasticae damnari possunt, ex iusta causa, aut damnari et simul prohiberi.

13. Liber debita cum licentia editus, numquam postea damnetur aut prohibeatur nisi prius audiantur auctor et Ordinarius qui licentiam dedit, iisque « indicetur quid delendum, mutandum corrigendumve fuerit »; [1] quoties autem libri proscriptio decernatur, de re certior fiat auctor et de rationibus ob quas proscriptio lata fuerit.

14. Ab indice librorum prohibitorum auferatur formula *opera omnia,* vel alia id genus. Idem autem index statis temporibus rursum examinetur, et ab eo libri expungantur qui ob peculiaria tantum adiuncta proscripti sunt.

15. Nisi gravis causa aliud suadeat, in indice librorum prohibitorum rationes breviter addantur ob quas singuli libri prohibiti sunt.

16. In can. 1400 magis definite dicatur: « Omnibus qui studiis ecclesiasticis quovis modo operam dant, ipso iure permittitur usus librorum de quibus in can. 1399 n. 1, et librorum editorum contra praescriptum can. 1391, dummodo iidem libri fideliter et integre editi sint neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata ».

17. Haec addantur praescripto can. 1401: « Item, Rectores, Decani, Professores et Docentes in Universitatibus aut in Seminariis maioribus, pariterque — si sint clerici — Directores Bibliothecarum, adhibitis necessariis cautelis, ecclesiastica prohibitione librorum non astringuntur; salva tamen potestate Ordinarii hanc facultatem limitandi in casibus particularibus ».

18. In hunc novum mutetur textus can. 1402: « § 1. - Ordinarii locorum licentiam legendi libros prohibitos, iusta de causa et ad certum tempus concedere possunt suis subditis, etiam extra territorium degentibus, necnon omnibus in suo territorio actu commorantibus.

« § 2 - Eadem potestate gaudent pro suis subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis.

« § 3 - Licentiam legendi ac retinendi libros prohibitos alumnis concedere potest, ad certum tempus et quatenus ad eorum studia peragenda sit necessarium, Rector Seminarii, Cappellanus scholae superioris, itemque — si sint sacerdotes — Decanus Facultatis et Rector Universitatis catholicae atque Rector seu Praeses collegii aut scholae superioris catholicae ».

Textus definitive probatus in V Sessione Generali habita diebus 17-22 iulii 1961.

NOTA

[1] BENEDICTUS XIV, Const. Ap. *Sollicita ac provida,* 9 iul. 1753, par. 9.

XIII

DE CENSURIS EARUMQUE RESERVATIONE *

Proprius Ecclesiae finis spiritualis et supernaturalis, sanctificatio scilicet et salus aeterna fidelium, suadet ac exigit ut disciplina poenalis in Ecclesia aptior reddatur sive ad fideles efficacius deterrendos ne delicta committant, sive ad promptius fortiusque coercendos et corrigendos fideles qui deliquerint. Hinc, nec necessarium nec opportunum est, ut vel nulla poena *latae sententiae* delinquentes plectantur, vel nullam iidem incurrant censuram nisi ex dolo deliquerint, plena videlicet perfectaque imputabilitate, sine ullo defectu cognitionis ex parte intellectus aut libertatis ex parte voluntatis.

Oportet autem ut fideles rite edoceantur de poenis legitime statutis, ne ob ignorantiam ab illis incurrendis excusentur; item, oportet ut praescriptum accurate servetur de poena ferendae sententiae revera infligenda et de poena latae sententiae revera declaranda, quoties ita exigat sive scandali reparatio sive alia ratio boni communis (cf. can. 2223, §§ 3 et 4).

Nulla vero necessitas adesse videtur, ut in suo robore conserventur censurae latae sententiae *nemini reservatae,* de quarum vi et efficacia ad delicta praevenienda et ad delinquentes corrigendos merito dubitari potest; eodem modo necessarium esse non videtur, ut censurae latae sententiae *Apostolicae Sedi reservatae* conserventur distinctae in tres gradus reservationis, ita nempe ut aliae simpliciter, aliae speciali modo et aliae specialissimo modo sint reservatae: eiusmodi enim distinctio nullius est momenti pro his qui a censuris absolvantur a confessario specialis facultatis experte, si ad Sanctam Sedem recurrere debeant pro qualibet censura eidem reservata.

Pariter, prorsus expedire videtur ut ex codice poenali ecclesiastico expungantur poenae, etiam censurae, latae sententiae in delicta quae in praesenti aut numquam aut rarissime tantum perpetrari contingat. E contrario, aequum omnino videtur ut novae poenae statuantur, etiam censurae et quidem latae sententiae ac reservatae, in delicta quae inolescere pergant magno cum scandalo seu damno praesertim puerorum et adulescentium.

Denique, congruum profecto videtur ut aptior determinatio fiat quod attinet ad incurrendam irregularitatem ex delicto ob actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ab eis positum qui eiusdem ordinis

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in tertia et quarta congregatione sessionis sextae, diebus 5 et 7 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 864-893.

exercitio prohibentur poena canonica; ab irregularitate enim non excusat ignorantia vel inadvertentia seu error (can. 988), saepius autem contingere potest ut ad praefatam irregularitatem non attendatur, quando incurritur ob poenam latae sententiae, quae culpabiliter non servetur in casu occulto.

Haec proinde declaranda et statuenda proponuntur, quae sequuntur:

I - De censuris in genere

1. Censuras, praesertim latae sententiae, maxime excommunicationem, infligere non licet, nisi sobrie et magna cum circumspectione (cf. can. 2241, § 2).

2. Censurae infligi aut declarari possunt sive per iudicis sententiam, sive per Ordinarii praescriptum seu decretum extraiudiciale.

I) Si censura infligatur vel declaretur per sententiam iudicialem, serventur iuris praescripta circa pronuntiationem sententiae in processu criminali;

II) Si censura infligatur vel declaretur per praeceptum, serventur normae circa processum administrativum peculiariter statuendae.

3. Censurae inflictae aut declaratae per praeceptum, eosdem sortiuntur iuridicos effectus atque censurae inflictae vel declaratae per sententiam iudicialem.

4. His verbis exprimatur textus can. 2229:

« § 1. Etsi lex habeat verba: praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit, aliave similia, a nullis censuris latae sententiae excusat:

I) Ignorantia graviter culpabilis, sive legis, sive solius poenae, sive facti (seu error);

II) Quaelibet causa, praeter metum (de quo in subsequenti § 2), quae imputabilitatem minuat sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis, si, non obstante imputabilitatis diminutione, actio sit adhuc graviter culpabilis.

§ 2. A censuris latae sententiae excusat metus gravis, dummodo agatur de delicto quod non vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum.

§ 3. Reus qui a censuris late sententiae ob ignorantiam vel metum vel aliam causam excusatur, congrua alia poena ferendae sententiae, si res ferat, vel poenitentia plecti potest ».

Nota: Ad poenas vindicativas quod attinet, sive latae sive ferendae sententiae, in suo robore integre manet norma, qua statuitur quod ab eisdem incurrendis excusat quaelibet imputabilitatis imminutio, sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis, si lex habeat verba: *praesumpserit, ausus fuerit,* etc.

5. Reus qui in poenam latae sententiae incurrit et delicti sibi sit conscius, ipso facto in utroque foro poena tenetur; ante sententiam tamen declarato-

riam a poena observanda excusatur quoties eam servare nequit sine periculo gravis scandali aut infamiae (cf. can. 2254, § 1), et in foro externo ab eo eiusdem poenae observantiam exigere nemo potest, nisi delictum sit notorium, firmo praescripto can. 2223, § 4 (can. 2232, § 1).

6. Irregularitatem ex delicto incurrunt qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, ab eius exercitio prohibiti poena canonica ob delictum notorium notorietate iuris vel facti (cf. can. 985, n. 7°).

II - De excommunicatione

7. Accuratius dicatur in can. 2257, § 1: « Excommunicatio est censura qua quis a certis quibusdam christianorum iuribus excluditur, cum effectibus qui in canonibus, qui sequuntur, enumerantur, quique separari nequeunt ».

8. Magis definite dicatur in can. 2259:

« § 1. Excommunicatus quilibet caret iure partem quamcumque habendi in sacris functionibus, non tamen praedicationi verbi Dei assistere prohibetur.

« § 2. Si excommunicatus toleratus sacris functionibus adsit, non est necesse ut expellatur; si adsit excommunicatus vitandus, expellendus est, aut, si expelli nequeat, a sacra functione cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo. Repelli autem debet ne partem aliquam habeat in sacris functionibus non solum excommunicatus vitandus, sed etiam quilibet excommunicatus toleratus post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam aut alioquin notorie excommunicatus ».

III - De reservatione censurarum

9. Hac forma innovetur textus can. 2245:

« § 1. Censura *ab homine* est reservata ei qui censuram inflixit aut sententiam tulit, eiusve Superiori competenti, vel successori, aut delegato; ex censuris vero *a iure reservatis* aliae sunt reservatae *Ordinario*, aliae *Apostolicae Sedi.*

§ 2. Censura latae sententiae non est reservata nisi in lege vel praecepto id expresse dicatur; et in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget ».

10. Ignorantia reservationis a reservatione non excusat.

Attamen, si confessarius, ignorans reservationem, poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine (cfr. can. 2247, § 3).

11. Omnes sacerdotes, licet ad audiendas confessiones non approbati, valide et licite quoslibet poenitentes in periculo mortis constitutos absolvunt a quibusvis censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto can. 884 (cf. can. 882). Qui tamen a censura absolutionem receperit a sacerdote specialis facultatis experte, sub

poena reincidentiae obligatione tenetur recurrendi, intra mensem postquam convaluerit, ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine, vel ad S. Poenitentiariam, si agatur de censura Sedi Apostolicae reservata, eorumque mandatis parenti. Sacerdos autem, qui poenitentem absolvit, non tenetur praefatum onus ei iniungere aut de eodem eum expresse monere.

IV - De elencho censurarum quae tollendae videntur

12. Censurae tolluntur quae a iure sunt statutae tanquam latae sententiae *nemini reservatae,* sed conscientiae et prudentiae iudicis vel Ordinarii praeceptivis aut facultativis verbis committitur ut loco censurae congruam aliquam poenam ferendae sententiae infligat.[1]

Praefato hoc modo tolluntur:

A) *Excommunicationes* quae statutae sunt:

I) In auctores et editores qui sine debita licentia sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant (can. 2318, § 2);

II) In eos qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles aliosve qui eadem privantur (can. 2339);

III) In eos qui quovis modo deliquerint sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo ad bona ecclesiastica alienanda, si fuerit scienter praetermissum beneplacitum apostolicum a iure praescriptum (can. 2347, n. 3°);

IV) In eos qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem (can. 2352);

V) In eum qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare (can. 2368, § 2).

B) *Suspensiones* quae statutae sunt:

I) In sacerdotem qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire vel a peccatis reservatis absolvere (can. 2366);

II) In eum qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit (can. 2374);

III) In clericum qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit (can. 2400);

IV) In abbatem vel praelatum *nullius* qui benedictionem ad normam iuris non receperit (can. 2402);

V) In Vicarium Capitularem qui litteras dimissorias pro ordinatione illegitime concesserit (can. 2409).

C) *Interdictum personale* in eos statutum qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium (can. 2338, § 4).

13. Plures ex censuris tolluntur quae a iure sunt statutae tanquam latae sententiae *reservatae,* sed in delicta infliguntur quae vel rarissime nunc per-

petrari solent, vel ob peculiaria adiuncta hodierna iam recensenda non videntur inter delicta graviora. Prudentiae et conscientiae iudicis vel Ordinarii praeceptivis vel facultativis verbis committitur ut pro censura aliam congruam poenam ferendae sententiae infligat.[2]

Praefata eiusmodi ratione tolluntur:

A) *Excommunicationes* quae statutae sunt:

I) In editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque in eos qui praefatos libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendant aut scienter sine debita licentia legant vel retineant (can. 2318, § 1);

II) In eum qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit (can. 2326);

III) In quaestum facientes ex indulgentiis (can. 2327);

IV) In absolvere praesumentes sine debita licentia ab excommunicatione latae sententiae Sedi Apostolicae reservata (can. 2338, § 1);

V) In quodvis auxilium vel favorem impendentes excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit; itemque in clericos scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes (can. 2338, § 2);

VI) In clausuram monialium violantes et in eos qui ipsos introducant vel admittant; itemque in mulieres violantes regularium virorum clausuram et in Superiores aliosque eas introducentes vel admittentes; pariter in moniales e clausura illegitime exeuntes (can. 2342);

VII) In usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia (can. 2345);

VIII) In duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes (can. 2351, § 1);

IX) In omnes fabricatores vel falsarios litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem scienter utentes (can. 2360, § 1).

X) In delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis (can. 2392, n. 1°);

XI) In omnes qui documentum quodlibet ad Curiam Episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint (can. 2405).

Nota: Etiam tolli posse videtur excommunicatio per Decretum S. Congregationis Concilii d. 22 martii 1950 statuta in clericos mercaturam seu negotiationem cuiusvis generis exercentes sive in propriam sive in aliorum utilitatem. Ratio est quia certo non constat de negotiationis natura.

B) *Suspensiones* quae statutae sunt:

I) In omnes clericos qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint, aut alia sacramenta ministraverint vel receperint (can. 2371);

II) In eos qui illegitime ordinaverint contra praescriptum can. 955, vel can. 993 n. 4 et 994, vel can. 974, § 1 n. 7, vel can. 966 (can. 2373).

14. Aptius, ob hodierna adiuncta, esse videtur ut *Ordinario* reservatae habeantur hae, quae sequuntur, censurae quae a iure statuuntur tanquam reservatae Sedi Apostolicae:

I) Excommunicatio statuta in nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur (can. 2335);

II) Excommunicatio statuta in eos qui bona ecclesiastica cuiuslibet generis per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserint aut impedire ne eorum fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur (can. 2346);

III) Excommunicatio statuta in eum qui per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit (can. 2363);

IV) Excommunicatio statuta in clericos in sacris constitutos vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque in omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes (can. 2388, § 1).[3]

15. In suo robore integre manent ceterae censurae latae sententiae a iure, etiam extra Codicem, statutae tamquam reservatae Ordinario vel Sedi Apostolicae.

Quoad censuras autem Sedi Apostolicae reservatas tollitur specialis qualitas seu gradus reservationis, ita ut iam amplius non distinguantur tamquam simpliciter vel speciali modo, vel specialissimo modo reservatae.

16. Ad gravissimum scandalum vitandum et gravissimum nocumentum quod Ecclesiae vel Religioni imminere potest, proponitur ut statuatur excommunicatio latae sententiae Sedi Apostolicae reservata in clericos vel religiosos, qui delictum admiserint contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 11-16 decembris 1961.

NOTAE

[1] Si Patribus placuerit, in Concilio statui poterit quandonam praeceptivis verbis et quando facultativis verbis iudici vel Ordinario committitur, ut, pro censura, aliam poenam ferendae sententiae infligere possit, aut debeat.

[2] Cf. notam 1.

[3] A censura tamen nemo unquam, excepto casu periculi mortis, absolvere potest sine praevio recursu ad S. Poenit. Apost. *sacerdotem,* qui cessare non valeat a cohabitatione sub eodem tecto cum suae disertionis complice (S. Poen. Ap., *Declaratio,* 4 maii 1937).

XIV

DE MODO PROCEDENDI IN POENIS IN VIA ADMINISTRATIVA INFLIGENDIS *

In Codice Iuris Canonici nunc vigenti normae praescribuntur quae servari debent ad nonnulla negotia in via disciplinari seu administrativa expedienda, quarum praecipuae eae sunt quae in cann. 2142-2167 exponuntur de modo procedendi ad amotionem vel translationem parochorum decernendam, et eae quae in cann. 2168-2185 determinantur ad sanctiones poenales applicandas contra clericos non residentes vel concubinarios necnon contra parochum in adimplendis paroecialibus officiis negligentem. Expedit profecto ut quaedam ex huiusmodi praescriptis melius et aptius definiantur: quod, sane, perfici poterit in futura nova Codicis Iuris Canonici editione, quae ut ne sit diu expectanda quamplurimi exoptant; in eadem autem nova Codicis editione etiam normae accuratae praestituendae erunt, ut in ceteris quoque negotiis in via administrativa ex bono et aequo expediendis recte procedatur, sive de controversiis dirimendis agatur, sive de poenis infligendis vel declarandis. Sed statim a Concilio Vaticano II promulgandae esse videntur normae principaliores, quae in procedura poenali administrativa observari debeant, quia in pravi fere ubique poenae extraiudicialiter applicari solent: et non immerito, via enim administrativa brevior est atque simplicior, et ipsi reo favet cum publicitatem de se non requirat. At vero, non semper qui extraiudicialiter in reos procedunt eorundem iuribus personalibus sufficienter cavent, cum pluries contingat ut reus puniatur quin ipse sese defendere possit, et vel etiam quin certo probetur quod delictum revera commiserit.

Hunc igitur in finem, ut scilicet sine moris inutilibus, et non raro perniciosis, restauretur ordo socialis laesus per delictum et delinquens congruenter corrigatur, modo utique suaviore et christianae caritati magis consentaneo, Ordinariis commendatur ut, quantum fieri poterit, in via administrativa contra reos procedant, servatis tamen normis, quae sequuntur, ne illegitime agant neve iniuriam vel damnum eis inferant.

I. Abrogetur praescriptum can. 2222, § 2, quia hodiernis moribus incon-

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in tertia et quarta congregatione sessionis sextae, diebus 5 et 7 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 870-893.

gruum videtur sanctiones poenales decernere sive ob delictum solummodo probabile, sive ob delictum cuius poenalis actio praescripta sit. Insuper autem in praedictis casibus plerumque difficillimum et vel forte impossibile est iuste et aeque procedere in sanctionibus poenalibus decernendis.

II. Abrogetur institutum iuridicum suspensionis ex informata conscientia, de quo in cann. 2186-2194. Quidquid enim sentiendum sit de origine et de motivis huiusmodi instituti, ipsum hodiernis temporibus non iam opportunum videtur cum, praesertim a iuvenibus, absonum censeatur quod reus puniatur quin sese defendere valeat, et vel etiam quin eidem causa poenae enuntietur.

III. Remedia poenalia et poenitentiae, de quibus in cann. 2306-2313, ab Ordinario imponi possunt per simplex praeceptum, scripto vel oretenus datum, nullo servato modo procedendi determinato, dummodo tamen reus certior fiat quamnam ob causam sanctio poenalis in eum adhibetur.

IV. Salvo praescripto can. 1576, § 1 n. 2° de poena depositionis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici, degradationis non infligenda nisi per sententiam iudicialem, ad ceteras poenas quod attinet (cf. can. 1933, § 4) proprium Ordinarii erit in singulis casibus, attente perpensis omnibus peculiaribus adiunctis, decernere utrum infligendae sint per sententiam stricte iudicialem aut per decretum in via administrativa ferendum.

V. Si reus expostulet ut de ipsius delicto videatur per viam stricte iudicialem, Ordinarius eius precibus annuat, nisi graves rationes obstent. Datur recursus in suspensivo ad Sanctam Sedem reo, qui acquiescere nolit Ordinario decernenti ut processus fiat in via administrativa.

VI. In processu poenali extraiudiciali seu in via administrativa conficiendo, semper serventur oportet principia iuris naturalis, cum aequitate canonica, et, quantum fieri potest, normae generales iuris processualis ecclesiastici. Insuper autem hae, quae sequuntur, normae integre ac fideliter servari debent:

1) Praevia peragatur inquisitio ab uno tantum instructore, designando ab Ordinario, qui, quantum fieri potest, notarii opera semper utatur.

2) Instructor testes audiat, qui tamen pauci esse debent, sive pro reo sive contra reum, etiam ex officio vocatos.

3) Reus patronum seu advocatum habeat, aut a se electum inter paucos exquisitos viros ab Ordinario designatos, aut ei ex officio datum, qui brevem defensionem pro reo in scriptis exhibeat aut verbis exponat.

4) Ad acta examinanda et discutienda Ordinarius Commissionem constituat trium saltem sacerdotum, qui sint aetate maturi, probi ac docti. Iidem, consideratis etiam promotoris iustitiae conclusionibus, quae in scriptis exhiberi debent aut oretenus proponi, definiant oportet — ad maiorem suffragiorum partem — utrum delictum commissum fuerit, necne, et quaenam poena, in casu, reo infligenda esse videatur.

5) Commissionis decisio, uni dumtaxat Ordinario sub secreto communicanda, ab uno ex eiusdem membris in scriptis redigatur, et summatim con-

tineat rationes seu *motiva* quae dicuntur, tam in facto quam in iure, quibus innititur.

6) Ordinarii est decretum definitivum ferre, in quo pariter motiva breviter exponenda sunt, quibus innititur. Si in Commissionis decisione proponatur ut reo poena infligatur, Ordinarius potest — ad normam can. 2223, §§ 2 et 3 — pro sua prudentia et conscientia vel a poena infligenda abstinere, vel poenam temperare, vel tandem poenam ad tempus magis opportunum differre.

7) A decreto Ordinarii unicum datur iuris remedium, idest recursus ad Sedem Apostolicam intra decem dies a notitia eiusdem decreti.

8) Recursus est in suspensivo. Si tamen Ordinarius in aliquo casu particulari prudenter censeat poenam esse immediate applicandam, praesertim ubi agatur de delicto pluries patrato, vel de gravi scandalo statim removendo, id scripto decernat; rationes autem huiusmodi sui modi agendi uni dumtaxat Sedi Apostolicae reddet, si et quatenus requiratur.

VII. Pro disciplinae recta ordinatione et pro uniformitate iurisprudentiae in re tanti momenti, optatur ut apud Sedem Apostolicam unicum sit Officium ad quod sive a clericis sive a religiosis sive a laicis recursus fiat adversus decretum, quo Ordinarius poenam infligit. Eiusmodi Officium constitui posse videtur apud Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, eique competentia exclusiva hac de re tribuenda esset quae propria est Sacrae Congregationis Concilii vel Sacrae Congregationis de Religiosis.

VIII. Ut recursus adversus Ordinariorum decreta poenalia expeditissime definiantur, Consultores nominentur ex utroque clero, aetate ac eruditione et prudentia commendati, quorum tres saltem ad singulos recursus examinandos deputari debent. Iidem autem promotorem iustitiae audiant necnon Patronum rei, vel ex Advocatis Sacri Consistorii eligendum, vel ex collegio Procuratorum Sacri Palatii Apostolici, vel ex certo numero Advocatorum Rotalium qui semel pro semper designati sint.

IX. Effectus iuridici *decreti,* quo poena infligitur, iidem omnino sunt ac effectus iuridici *sententiae iudicialis,* qua poena infligitur, quod attinet sive ad notorium notorietate iuris (cf. can. 2197, n. 2°) sive ad illiceitatem aut invaliditatem actorum quae ab eo ponantur qui poena astringitur (cf. can. 765, n. 2°; can. 795, n. 2°; can. 1095, § 1, n. 1°; etc.).

Nota: Eaedem normae, quae ad poenas *ferendae sententiae* in via administrativa infligendas statutae sunt, servari debent etiam, congrua congruis referendo, ad poenas incursas *latae sententiae* in via administrativa declarandas.

Textus definitive probatus in Sessione Generali habita diebus 5-10 februarii 1962.

XV

DE FIDELIUM ASSOCIATIONIBUS *

Proprium est hominis, ac verum ius natura inditum ei competit, ut peculiares associationes cum aliis hominibus ineat ad determinatos fines in commune sociorum vel aliarum personarum bonum persequendos. Ecclesia quoque, inde a prioribus suae institutionis saeculis, plures fidelium associationes fovit, quae constituuntur ad perfectiorem vitam christianam promovendam, vel ad aliqua pietatis aut caritatis opera exercenda, aut ad incrementum publici cultus, quin tamen socii vitam communem agant nec evangelica consilia servanda per vota oboedientiae, castitatis et paupertatis suscipiant. In Codice Iuris Canonici duplex species associationum fidelium expresse distinguitur: associationes ab Ecclesia *erectae* et associationes ab Ecclesia *commendatae* (cf. can. 684); dicitur etiam quod associationibus erectis ab Ecclesia accensentur associationes ab ipsa saltem *approbatae* (cf. can. 686, § 1), sed nulla statuuntur praescripta de associationibus simpliciter commendatis ab Ecclesia. Expedit proinde ut opportunae normae de eiusmodi associationibus statuantur, quae *laicales* vocari solent.[1] Insuper vero plura innovanda esse videntur in legislatione nunc vigente de fidelium associationibus, quae ab Ecclesia sunt erectae vel approbatae et ideo *ecclesiasticae* vocantur, sive ut accuratius quaedam Codicis I. C. praescripta exponantur, quae implicata sunt et incerta, sive ut nonnulla hodiernis rerum adiunctis aptius accommodentur.

Haec igitur decernenda proponuntur, quae sequuntur:

I. Ab omnibus in honore habendae sunt consociationes quibus fideles, etiam laici, communi opera contendunt ad perfectiorem vitam christianam fovendam, aut ad cultum publicum vel doctrinam christianam promovendam, aut ad apostolatus vel pietatis aut caritatis opera exercenda; quibus laici possunt praeterea clericis auxilium afferre in variis ministerii pastoralis muneribus explendis.

II. Iis praesertim sua nomina dent fideles associationibus, quae pro tempore et pro re maiorem praebeant utilitatem, ad veram et firmam pietatem informent, ad apostolatum aut ad caritatem christianam exercendam inducant, quaeque ab auctoritate ecclesiastica erectae sint aut laudatae seu commendatae.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in tertia et quarta congregatione sessionis septimae, diebus 14-15 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 284-336.

III. Caveant fideles ab associationibus damnatis, seditiosis, secretis, suspectis aut quae studeant sese a legitima Ecclesiae vigilantia subducere, quamvis inserviant ad bonum vitae temporalis promovendum.

IV. Salvo exclusivo Ecclesiae iure eas erigendi, et moderandi consociationes, quarum finis, et idcirco etiam activitas, ad solam pertinet competentiam auctoritatis ecclesiasticae, integrum est fidelibus, sive clericis sive laicis, alias consociationes ad pietatem excolendam, ad opera christianae caritatis exercenda, ad varia opera socialia fovenda constituere atque iuxta statuta libere condita moderari. Attamen, huiusmodi quoque consociationes subsunt vigilantiae Ordinarii loci, cum fidei et morum Ecclesia sit tutatrix; clerici autem easdem consociationes participare valent solummodo quantum ob activitatem in illis exercendam, nullimode praepediantur in proprii status obligationibus et muneribus rite sub Ordinarii auctoritate implendis.

V. Associationes, quae a fidelibus libere constituuntur, *privatae* potius quam *laicales* appellentur, nunc enim appellatio societas laica seu laicalis pravum sensum passim habere solet. Eaedem autem semper sint secundum Ecclesiae spiritum, nec omittat loci Ordinarius ius suum, et officium, exercere illis invigilandi in iis quae ad fidem catholicam et ad praxim verae vitae christianae spectant, atque praecavendi ne abusus irrepant.

VI. Associationes privatae, quae ab Ecclesia laudantur vel commendantur, possunt quoque certis sub conditionibus, per formale decretum, personalitate morali donari *iuris privati* coram Ecclesia.[2] Huius personalitatis moralis iuris privati ratione, praedictae associationes non fierent verae et propriae personae morales *ecclesiasticae,* quales communiter intelliguntur; nec proinde earum bona temporalia fierent bona ecclesiastica, administranda secundum peculiares leges pro bonis ecclesiasticis praestitutas: remanerent bona privata in patrimonio associationis, quae ab Ecclesia agnosceretur tamquam legitimum subiectum iurium et officiorum, quae personis moralibus competunt.

VII. Associationes *privatae* constitui nequeunt ad fines prosequendos quoad res, quarum ordinatio uni dumtaxat hierarchiae ecclesiasticae reservatur, cuiusmodi sunt cultum publicum promovere, doctrinam christianam aliis tradere vel exponere, et alia eiusdem generis.

VIII. Associationes *ecclesiasticae* sunt quae ab Ecclesia pro fidelibus constituuntur, qui non sunt in statu canonico perfectionis, ad publici cultus incrementum, aut ad doctrinam christianam fovendam, aut ad vitam christianam inter socios promovendam, aut ad apostolatum exercendum, aut ad pietatis vel caritatis opera peragenda, aut ad opera socialia explenda.

IX. Omnes associationes ecclesiasticae per legitimum *erectionis decretum* constituantur, nec proinde distinctio iam fieri debet inter associationes quae ab ecclesiastica auctoritate sunt erectae et associationes quae ab eadem auctoritate sunt simpliciter approbatae. Facultate erigendi associationes, praeter Romanum Pontificem, gaudent Ordinarii locorum, necnon conferentiae Episcoporum provinciae vel nationis, exceptis associationibus quarum instituendarum ius, apostolico ex privilegio, aliis reservatum est (can. 686, § 2).

X. *Personalitate morali* ipso iure gaudent omnes associationes a legitima ecclesiastica auctoritate erectae, et eandem personalitatem habeant quoque ipso facto associationes quae hucusque erant ab ecclesiastica auctoritate simpliciter approbatae. Pariter, personalitatem moralem ipso iure obtineant *confoederationes* plurium associationum eiusdem generis seu speciei, quae per decretum competentis auctoritatis ecclesiasticae erigantur.

XI. Associationes ecclesiasticae reguntur a moderatoribus, iuxta Statutorum praescripta. Iurisdictioni et vigilantiae Sanctae Sedis subsunt associationes internationales; iurisdictioni et vigilantiae omnium Ordinariorum locorum, in quorum dioecesibus sunt, associationes interdioecesanae; iurisdictioni et vigilantiae proprii Ordinarii loci, associationes dioecesanae. Praeterea, iurisdictioni et vigilantiae Ordinarii loci subsunt, servatis propriis earum statutis, sectiones dioecesanae associationum interdioecesanarum vel internationalium.

XII. Peculiaris legislatio condatur de associationibus ecclesiasticis clericorum dioecesanorum, qua tamen indoles propria cleri dioecesani integra servetur et apte caveatur ne oppositae aut diversae sacerdotum classes oriantur, sed intacta permaneat, immo perfectior reddatur unio omnium sacerdotum in dioecesi inter se et cum Episcopo, cui singuli sacerdotes dioecesani semper plane subsint oportet.

XIII. Fideles laici etiam in associationibus ecclesiasticis munus exercere possunt moderatoris, iuxta propria cuiusque associationis statuta; cum enim et ipsi membra sint corporis Christi mystici et participes divinae Ecclesiae missionis sanctificatricis, partem activam in vita Ecclesiae habere possunt ac debent.

XIV. Ordinarius loci normas statuat, quibus apte praecaveatur ne sacrarum functionum et divinorum officiorum celebratio in propriis ecclesiis vel oratoriis associationum ecclesiasticarum, nocumentum afferat vitae paroeciali fidelium. Item, normas statuat ut associationes ecclesiasticae adiutorio sint sibi invicem atque variis operibus paroecialibus, et praecipue ut libenter facultatem concedant ut suis aedibus congruenter uti valeant etiam associationes actionis catholicae aliave opera paroecialia.

XV. Duae dumtaxat sint species associationum ecclesiasticarum: *tertii Ordines saeculares* et *sodalitates catholicae.* De tertiis Ordinibus saecularibus, quibus adscribuntur fideles ut sub moderamine alicuius Ordinis, secundum eiusdem spiritum, ad christianam perfectionem contendere nitantur, modo saeculari vitae consentaneo, leges serventur quae in cann. 702-706 statuuntur; de sodalitatibus catholicis autem, quae omnes associationes complectuntur hucusque distinctas in confraternitates et pias uniones (can. 700), leges tantummodo serventur quae in *Codice Iuris Canonici* statuuntur de piis unionibus.

XVI. Sodalitates catholicae, illae praesertim quae in posterum constituantur, titulum seu nomen eligant hodierni temporis usibus accommodatum, et vel maxime a fine seu obiecto sociali selectum activitatis propriae cuiusque sodalitatis. Sedes vero sodalitatum catholicarum non est obligatorio modo constituenda in ecclesia vel oratorio, sed etiam in loco non sacro haberi potest.

XVII. Ordinarii locorum accurate satagant ut fideles iis praecipue associationibus nomen dent, quae doctrinam christianam promovere intendunt, aut ad veram et firmam pietatem informare, vel ad apostolatum excitare et ad christianam caritatem exercendam. Curent praeterea ut etiam, quae permaneant, antiquae confraternitates et piae uniones, quocumque titulo seu nomine hucusque vocarentur, spiritu apostolico magis imbuantur et earundem statuta ad hodierni temporis necessitates et utilitates accommodentur.

Textus definitive probatus in Commissionis Sessione Generali Romae habita diebus 2-6 aprilis 1962.

NOTAE

[1] S. C. Concilii, *Corrienten.*, 13 novembris 1920 (*A.A.S.*, XIII [a. 1921], p. 139).

[2] In iure etiam civili distinguuntur personae iuridicae publicae et personae iuridicae privatae.

XVI

DE MISSARUM STIPENDIIS, DE MISSARUM ONERUM REDUCTIONE, DE PIIS ULTIMIS VOLUNTATIBUS *

I. De Missarum stipendiis

Verba Christi « dignus est enim operarius mercede sua » (*Luc.,* X, 7) Apostolus explicavit dicens: « Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant. Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere » (*I Cor.,* IX, 13-14). Hinc Ecclesia usum comprobavit, qui certe a saeculo VIII invaluit, ut sacerdotes eleemosynam seu stipendium pro Missae celebratione acciperent, immo et requirerent. Re quidem vera aequum est ut Ecclesiae ministri, qui bono fidelium spirituali fovendo se penitus totosque tradunt, ab iisdem in vita sustententur, utque ab iis maxime sustineantur quibus ministerii sacri exercitio praesertim se devovent. Sacerdos namque « non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiae, aut missae decantandae, hoc esset simoniacum, sed quasi stipendium suae sustentationis » (*S. Th.,* II-II, q. 100, a. 2, ad 2); quae sustentatio est conditio ut minister celebrare et bonum spirituale conferre possit.

Non pauci sacerdotes utique, praesertim saeculis praeteritis, humanae fragilitatis causa, abusi sunt hac facultate ab Ecclesia ipsis concessa; quare iam Alexander II (1061-1073), abutentes graviter increpans, monere non dubitavit: « qui vero pro pecuniis aut adulationibus saecularium una die praesumunt plures facere Missas, non aestimo evadere damnationem » (c. 53, D. I *de cons.*).

Nonnullis optandum videri potest ut Ecclesia proventibus occasione huius praestantissimi Sacrificii receptis renuntiet. Cum tamen in non paucis regionibus Missarum stipendia unicam saepe praebuerint, immo ac hodie praestent viam qua sacerdotes, digni quidem ut a fidelibus sustententur, a dura paupertate et vel etiam egestate salventur, non potuit nec hodie potest Ecclesia quin usum stipendiorum Missarum servet, quem ceterum populus christianus, de eiusdem ratione edoctus, optime intelligit ac libenter recipit.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in tertia et quarta congregatione sessionis septimae, diebus 14-15 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 287-336.

Ordinatio, quam de Missarum stipendiis, ad eorundem definitionem et moderationem atque ad vitandos abusus, Ecclesia statuit, prouti hodie in eiusdem legislatione, in Codice nempe Iuris Canonici, habetur, iuxta communiorem sententiam, sapienter est elaborata, ita ut profundioribus non egeat mutationibus. Attamen, ut eadem novis rerum adiunctis, tempore postbellico praesertim ortis, melius accommodetur, haec decernenda proponuntur, quae sequuntur:

I. Curent Ordinarii ut fideles rite edoceantur non tantum de magno spirituali profectu quem pro vivis atque defunctis praestat sacrosanctum Missae sacrificium, sed etiam de ratione oblationis seu stipendii, quod occasione huius sacri ministerii fideles persolvunt Ecclesiae ministris, quippe qui digni sint ut a fidelibus, quibus ministerium impendunt, sustententur.

II. Secundum receptum et probatum Ecclesae morem atque institutum, sacerdoti cuilibet Missam celebranti et applicanti licet oblationem seu stipendium recipere. Enixe vero sacerdotibus commendatur ut Missas etiam gratis applicent, praesertim cum ob petentis paupertatem vel alia adiuncta id suadeat christiana caritas.

III. Concedatur a iure ut sacerdotes, qui pluries in die Missam legitime celebrant, etiam pro altera et vel pro tertia oblationem seu stipendium accipere valeant. Attamen, hoc alterum et vel tertium stipendium Ordinario loci tradendum est pro seminario aliove pio opere dioecesano, si agitur de Missis celebratis a sacerdotibus cleri saecularis, itemque de Missis celebratis a sacerdotibus religiosis, etiam exemptis, in ecclesiis paroecialibus vel succursalibus ecclesiae paroecialis. Si vero agitur de Missis quae pluries in die celebrantur in ecclesiis propriis religiosorum, quae non sint paroeciales neque succursales ecclesiae paroecialis, alterum et vel tertium stipendium tradendum est eorum Superiori maiori pro alendis et educandis novitiis et fratribus studentibus aut etiam pro Missionibus quae sint eorum religioni commissis.

Cuilibet autem sacerdoti, qui pluries in die Missam celebrat, certa quaedam pars stipendii, ab Ordinario determinata, tribuatur tanquam retributio pro celebratione. Et praeterea, Ordinarius loci sacerdotibus, qui pluries in die celebrant, libenter concedat ut quandoque alteram vel tertiam Missam applicent, sine stipendio, ad liberam suam intentionem.

IV. 1) Ordinarii loci est manualem Missarum stipem in sua dioecesi definire, qui tamen curare debet ut, quantum id sinant locorum et personarum adiuncta, illa definiatur secundum rationem cum aliis provinciae ecclesiasticae aut eiusdem nationis Episcopis compositam.

2) Ordinarii loci pariter est definire stipendia maiora, quae ratione tituli extrinseci exigi possunt. Qui tituli sunt locus celebrationis ideoque et iter peragendum, hora celebrationis, dies certa, cantus in celebratione, aliave adiuncta, non vero altare privilegiatum.

3) Ubi desit Ordinarii decretum, servetur dioecesis aut loci consuetudo.

4) Etiam religiosi, licet exempti, circa stipem manualem stare debent decreto Ordinarii loci aut dioecesis vel loci consuetudini.

V. In ecclesiis paroecialibus semel aut bis in hebdomada Missa applicari potest pro omnibus paroeciae defunctis, pro iis praesertim quorum anniversarium in eadem hebdomada recurrit. Integrae autem oblationes, quae a fidelibus libere fiant pro eiusmodi Missae celebratione, tanquam eiusdem stipendium retineri possunt.

VI. Missae sic dictae *gregorianae,* quae per triginta dies continuos celebrandae sunt, in casu inculpabilis interruptionis compleri possunt per celebrationem Missarum, quae ad numerum trigesimum habendum desunt.[1]

VII. Qui habent numerum Missarum de quibus sibi liceat libere disponere, possunt eas distribuere sacerdotibus sibi bene acceptis, etiam extradioecesanis vel religiosis, dummodo ipsis constet eos esse omni exceptione maiores vel testimonio proprii Ordinarii commendatos. Suadetur tamen ut Missae sacerdotibus extradioecesanis vel religiosis transmittantur per proprium Ordinarium. Nunquam autem licet alicui sacerdoti privato tot Missas celebrandas transmittere, cui oneri ipse intra annum satisfacere nequeat.

VIII. Ne unquam omittatur sedula vigilantia exercenda, ut onera Missarum fideliter et integre adimpleantur; cuius vigilantiae ius et officium spectat ad loci Ordinarium in ecclesiis saecularium, in ecclesiis autem religiosorum ad eorum Superiores (can. 842).

Quocirca, diligenter quoque obligatio observetur, qua etiam Ordinarii locorum et Superiores religiosi adstringuntur, qui propriis subditis aliisve Missas celebrandas committunt, quas acceperint Missas cum suis stipendiis cito in librum per ordinem referendi et curandi pro viribus ut quamprimum celebrentur.

Item, omnes sacerdotes sive saeculares sive religiosi debent accurate adnotare quas quisque Missarum intentiones receperit, quibusve satisfecerit (can. 841, §§ 1 et 2).

IX. A stipe Missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae omnino arceatur (can. 827), nec unquam oblivioni detur nefas esse atque omnino prohiberi res vendere aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis et ephemeridibus inire ope Missarum celebrandarum.[2]

X. Ordinariis nullum tributum imponere licet super stipendiis Missarum sive manualium sive fundatarum (can. 1506), utpote quod contrarium sit stipendiorum instituto et fidelium voluntati. Optandum est ut indulta huic regulae contraria nonnisi rarissime concedantur, et quidem ob gravem et urgentem necessitatem atque dumtaxat ad tempus determinatum.

XI. Nullae in posterum piae fundationes acceptentur cum onere ut in perpetuum vel ultra triginta annos una aut plures Missae celebrentur; saepissime enim difficultates oriuntur ad onera longioris temporis adimplenda ob constantem nummorum valoris fluctuationem. Piis fundatoribus suadeatur ut statuere velint ut dos assignata pro Missarum celebratione, post elapsos triginta annos ad alia pia opera explenda destinetur.

II. De Missarum onerum reductione

XII. Cumulatio et reductio *Missarum manualium* uni reservatur Sedi Apostolicae, et vehementer optatur ut in specialibus tantummodo adiunctis concedatur, et quidem ob solam nummorum valoris gravem imminutionem.

XIII. Quoties adiuncta id sinant, nec obstet lex civilis, onera Missarum, quae piis fundationibus aut ultimis voluntatibus constituta fuerint in perpetuum aut ad tempus longius triginta annis, reducantur ad terminum triginta annorum. Quod si fiat, pro residuo dotis fundationis tot Missae manuales celebrentur quot supputantur secundum taxam dioecesanam tempore celebrationis vigentem.

XIV. Propter imminutos reditus dotis piarum fundationum et ultimarum voluntatum, non eo ipso reducendus est numerus Missarum quae pias fundationes gravant; si tamen tota dos inculpabiliter pereat, totum onus cessat, quod deinde rursum urget, si postea dos restituatur: si vero dos fructus non ferat, aut hi percipi nequeant, interea onerum exsecutio suspenditur.

XV. Cum ob constantem imminutionem valoris pecuniae, saepe saepius necessariae sint reductiones onerum Missarum fundatarum, ipso iure Ordinariis facultas concedatur reducendi onera Missarum quae pias fundationes vel ultimas voluntates gravant, quoties rerum adiuncta id postulent. Quae tamen facultas ita intelligenda est, ut, nisi constet de contraria pii fundatoris mente aut haec legitime praesumatur, alia onera potius quam Missae reducantur.

Iisdem autem Ordinariis facultas quoque concedatur, qua, iustam et gravem ob causam, circumstantias, in celebratione Missarum fundatarum servandas, valeant moderari, vel commutare, aut etiam super iis dispensare.

III. De piis ultimis voluntatibus

XVI. Piae voluntates seu voluntates ad causas pias iure Ecclesiae reguntur. In ultimis autem piis voluntatibus serventur, si fieri potest, sollemnitates iuris civilis; sed, si hae omissae fuerint, heredibus monitio fieri debet de obligatione qua adstringuntur ut testatoris voluntatem adimpleant (can. 1513, § 2 et Pont. Comm. Interpr. Codicis, 17 febr. 1930).

XVII. Piae voluntates definiuntur:

1) Ratione *finis obiectivi,* si nempe bona temporalia expresse destinantur ad promovendum cultum divinum, aut institutionem seu educationem christianam; ad vitam christianam fovendam; ad apostolatus opera exercenda. In casu bona temporalia committi possunt sive personae morali ecclesiasticae, sive fidelium associationi privatae, sive personae morali civili, sive etiam personis privatis.

2) Ratione *instituti,* cui bona temporalia committuntur ad pietatis vel caritatis opera exercenda, si nempe bona personae morali ecclesiasticae aut

associationi privatae fidelium committuntur, quae sit erecta ad opera pietatis vel caritatis christianae exercenda.

3) Ratione *intentionis supernaturalis*, qua bona temporalia destinantur ad opera caritatis *indeterminata* exercenda, sed de voluntate constat — aut eadem legitime praesumitur — qua fundator revera intendit ut bona destinentur ad opera *christianae* caritatis exercenda.

XVIII. Fideles, qui libere de bonis suis disponere valent, hortandi sunt ut bona ad causas pias relinquant, eademque *determinate* committant associationibus quae Ecclesiae auctoritati subduntur.

XIX. Ordinarii omnium piarum voluntatum exsecutionem procurare debent, per se vel per delegatum, quae proprium exsecutorem a fundatore aut a iure designatum non habeant, aut quarum exsecutio a proprio exsecutore perfecta non sit tempore vel modo praestituto (cf. can. 1515, § 1). Ordinarii igitur diligenter vigilare ne omittant, etiam per visitationem, ut piae voluntates fideliter et integre impleantur, et singuli exsecutores legitime constituti proprii perfuncti muneris quo quisque Ordinario rationem reddant (cf. can. 1515, § 2).

XX. Sedulo satagant Ordinarii ut accurate praescripta serventur: 1) de conficienda in qualibet ecclesia, et apud rectorem in loco tuto conservanda, tabella onerum ex piis fundationibus incumbentium; 2) de libro retinendo et apud rectorem servando, in quo singula onera piarum fundationum eorumque implementum accurate adnotentur (can. 1549, §§ 1 et 2).

XXI. Cum, ob continuo decrescentem valorem nummorum, saepius necessariae sint reductiones onerum Missarum, quibus gravantur piae fundationes, ipso iure Ordinarii facultate gaudeant praefata onera reducendi, quando eorundem exsecutio impossibilis evaserit, nulla administratorum culpa, ob imminutos reditus aliamve gravem causam Semper autem, meliore quo fieri potest modo, servetur fundatorum voluntas.

Textus definitive probatus in Commissionis Sessione Generali Romae habita diebus 2-6 aprilis 1962.

NOTAE

[1] Commissio in dubio est utrum necne servari debeat praxis Missarum *gregorianarum*; dum enim decem Commissionis Membra eam servandam tenent, alia decem eandem supprimendam censent, septem aliis dubitantibus.

[2] Cf. S. C. Concilii Decretum, 25 iul. 1874, nn. 1-5; et Decr. *Ut debita,* 11 maii 1904, nn. 8-10.

XVII

DE PROMOVENDIS AD ORDINES SACROS IIS QUI FUERUNT PASTORES SEU MINISTRI ACATHOLICI *

Plures sunt pastores seu ministri acatholici qui ad veram Christi Ecclesiam converterentur, si ad sacros ordines suscipiendos admitterentur et ad curam animarum exercendam. Peculiare autem impedimentum obstat quominus in Ecclesia Latina ad sacros ordines promoveantur viri uxorem habentes (can. 987, n. 2) et quaedam benignae concessiones a Pio XII postremis hisce temporibus factae ut in Germania aliquot paucissimi, qui ministri acatholici fuerant, sacro presbyteratus ordine augerentur eorum vita coniugali integra manente, non ab omnibus libenter acceptae sunt, praesertim in Britannia Maiore et in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis. Hinc, antequam aliae eiusmodi concessiones a Sancta Sede fiant, quaestio examinanda ponitur utrum expediat ut pastores seu ministri uxorati in Ecclesiam recipiantur qui ad sacros ordines promoveri cupiunt, et quaenam normae in casu servari debeant.

Propositiones

I. Ut ad sacros ordines ii promoveantur qui pastores seu ministri acatholici fuerunt, divina eorum vocatio comprobari debet a loci Ordinario, quem eorum quisque adeat intuitu sacrae ordinationis recipiendae.

II. Certo etiam constet oportet de eorum recto charactere psychico et morali, de eorum plena mentis tranquillitate, de eorum firma animi constantia.

III. Antequam ad emittendam catholicae fidei professionem admittantur, secundum formulam praescriptam, pastores seu ministri acatholici, per congruum tempus diligenter praeparentur, ut de veritatibus rite edoceantur a quibus hucusque dissentiebant.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in tertia et quarta congregatione sessionis septimae, diebus 14-15 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 292-336.

IV. Quantum potest Ordinarius praesto sit his, qui munere pastoris seu ministri dimisso, honestae suae sustentationi apte et idonee consulere debent: vel maxime si uxorem habeant et filios adhuc minores.

V. Servatis normis quae in superioribus articulis exponuntur, nulla peculiaris difficultas obstat quominus ii qui pastores seu ministri acatholici fuerunt ad sacros ordines promoveantur, si uxorem non habent nec filios aetate minores, postquam studiis incubuerint et opportunam formationem spiritualem et pastoralem receperint, de quibus in articulis subsequentibus.

VI. Si vero agitur de uxoratis, qui ad sacros ordines promoveri cupiant integra manente vita coniugali:

1) Nullimode unquam expedire videtur ut sacra ordinatione iidem augeantur, si uxorem habeant acatholicam, quae ad Ecclesiam Catholicam sincere converti nolit.

2) Si filios acatholicos habeant, qui ad Ecclesiam Catholicam sincere converti nolint, opportune curandum est ut apte iis consulatur, sed habitualem commorationem in domo paterna habere nequeunt.

3) Facultati renuntient oportet secundas nuptias contrahendi.

4) In singulis casibus ad unum spectat Ordinarium loci prudenter iudicare, omnibus peculiaribus adiunctis attente perpensis, utrum vera adsit ratio boni communis Ecclesiae ut ab Apostolica Sede dispensatio impetretur super impedimento de quo in can. 987, n. 2.

VII. Ad studia quod attinet, hae normae serventur, antequam ad sacros ordines promoveantur, ab omnibus qui pastores seu ministri acatholici fuerunt:

1) Si casus ferat, eorum institutio in studiis mediis classicis convenienter suppleatur.

2) In studium philosophiae perennis saltem per integrum annum diligenter incumbant.

3) In studium disciplinarum theologicarum saltem per integrum triennium diligenter incumbant, ut veram doctrinam catholicam plene addiscant, quoad ea praesertim quae ab acatholicis negantur, vel aliter intelliguntur, aut aliter explicantur.

4) Praefata studia philosophica et theologica peragantur in domo seu collegio ad id peculiariter destinato, ut promovendi ad sacros ordines toto tempore quo iisdem incumbunt rite etiam perdiscant quae sive ad virtutes et sanctimoniam vitae sacerdotalis sive ad exercitium sacri ministerii pertinent.

5) Praestitutum tempus studiorum Ordinarius loci in casibus tantum extraordinariis, pro sua conscientia et prudentia, contrahere potest quando peculiaria adiuncta id suadeant.

Idem Ordinarius, iusta de causa, permittere potest ut promovendi, qui uxorem habent, non per integrum tempus studiorum diu noctuque in praefato collegio commorentur.

VIII. Si ad ordines recipiendos admittantur ii qui pastores seu mini-

stri acatholici fuerunt, ipso iure dispensantur ab impedimento, de quo in can. 987, n. 1, si eorundem parentes in suo errore permanent.

IX. In promovendis ad ordines his, qui pastores seu ministri acatholici fuerunt, interstitia serventur, de quibus in can. 978, §§ 2 et 3, sed diaconus ad presbyteratum ne antea ex regula ordinaria promoveatur, quam per integrum annum in suo ordine fuerit versatus, nisi peculiaria adiuncta, iudicio Episcopi, aliud exposcant.

X. Ad ordines promoti, hi qui pastores seu ministri acatholici fuerunt, iisdem privilegiis fruuntur et iisdem obligationibus adstringuntur ac ceteri clerici eiusdem gradus, salva dispensatione a lege caelibatus pro uxoratis, qui ad ordines sacros promoti fuerint cum expressa concessione eiusmodi dispensationis.

XI. Unius Ordinarii est decernere utrum, omnibus peculiaribus adiunctis prudenter perpensis, magis expediat ut qui pastores seu ministri acatholici fuerunt et ad sacros ordines promoti sint in aliquo ministerio administrativo, vel sociali, vel scholastico occupentur, potius quam in exercenda cura animarum. Item, eiusdem tantum Ordinarii est prudenter statuere utrum expediat, necne, ut iidem remaneant in loco ubi ministerium pastoris acatholici antea exercebant, praesertim si in cura animarum exercenda versarentur.

XII. De pastoribus seu ministris acatholicis, qui ad sacros ordines in haeresi vel schismate promoti fuerint et ad Ecclesiam Catholicam convertuntur, eadem intelliguntur, congrua congruis referendo, quae in articulis praecedentibus statuuntur, iis exceptis quae de interstitiis in ordinationibus praecipiuntur, si certo valide eos ordinatos esse comprobetur.

XIII. Ne forte ansa detur ad exquirendam abrogationem legis caelibatus ecclesiastici, quae in Ecclesia Latina sarta tecta omnino servari debet, pro nunc nullimode expedire videtur ut publice nuntietur pastores seu ministros acatholicos uxoratos, qui ad Ecclesiam Catholicam convertantur, ad sacros ordines promoveri posse integra manente eorum vita coniugali. In singulis autem casibus eiusmodi concessio a Sede Apostolica prudenter fieri possit, iuxta normas apte praefinitas.

Textus definitive probatus in Commissionis Sessione Generali Romae habita diebus 2-6 aprilis 1962.

COMMISSIO DE RELIGIOSIS

DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE *

Pars prima

DOCTRINA DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE

Prooemium

1. Omnis sanctitatis Divinus Magister et Exemplar Christus Dominus perfectionem vitae quam super terram attulerat omnibus asseclis suis sectandam proposuit dicens: « Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est ».[1] Quomodo autem hanc perfectionem quisquis securius prosequi possit haud minore verborum perspicuitate edocuit. Interroganti enim cuidam quid faciendum sit ad vitam aeternam possidendam, respondit: « Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata »;[2] et cum ille asseruisset omnia ista a iuventute custodisse, ait Iesus: « Si vis perfectus esse vade, vende quae habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni, sequere me ».[3]

Hisce verbis aliisque plane consonantibus [4] bonus Magister, « datis spiritualis vitae praeceptis, quibus homines ad finem sibi praestitutum regerentur universi », indubie « docuit praeterea, qui ipsius vestigiis propius insistere vellent, eos evangelica consilia amplecti ac sequi oportere ».[5]

2. Consilia Christi manere irrita non potuerunt. Unde ab initio et omnibus Ecclesiae statibus, operante divina gratia, plurimi fideles utriusque sexus doctrinam Divini Magistri de Consiliis evangelicis mente et opere prompto animo secuti sunt.[6] « Quanto studio maternoque affectu (Provida Mater Ecclesia) contenderit, ut suae praedilectionis filios,[7] qui totam vitam Christo Domino mancipantes, Ipsum per viam consiliorum libere et ardue sequuntur, tam caelesti proposito et angelica vocatione dignos iugiter redderet ac eorum vivendi rationem sapienter ordinaret, frequentissima Pontificum, Conciliorum, Patrum documenta et monumenta testantur, atque integer historiae ecclesiasticae cursus omnisque canonicae disciplinae ratio, ad nostra usque tempora luculenter demonstrant.[8]

---

* Capita I-V discussa sunt a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quarta congregatione sessionis septimae, die 15 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 337-383.

3. Profecto, illa mirabilis Institutorum perfectionis inde a Concilio Tridentino renovata efflorescentia actuosaque operositas, ingens ubique praevalens vitae et laboris conditionum mutatio necnon ineluctabiles apostolatus moderni multiplices exigentiae, enixe postulant ut ecclesiastica ordinatio statuum perfectionis accurate iterum recognoscatur atque in pluribus, sive salutifera pristinorum restauratione, sive congruenti ac prudenti praesentibus adiunctis accommodatione, apte renovetur, quo vita institutorum sodalium sanctitate iugiter fulgeat eorumque labores in dies fecundiores abundent.

4. Quapropter, haec Sacrosancta Synodus, de universo Ecclesiae bono tam sollicita, munus suum merito aestimavit esse ad varios status perfectionis christianae prosequendae mentem suam convertere ut eorumdem necessitatibus prout tempora nostra suadent aptiore modo salubriter provideatur.[9]

NOTAE

[1] *Matth.* V, 48. « Ita omnes tam religiosi quam saeculares tenentur aliqualiter facere quidquid boni possunt... secundum quod requirit conditio sui status ». *S. Th.* IIª IIªᵉ, q. 186, a. 2 ad 2.

[2] *Matth.* XIX, 17.

[3] *Matth.* XIX, 21; cf. etiam: *Mc.* X, 17; *Lc.* XVIII, 18.

[4] Cf. *Matth.* XIX, 12, 16 ss.; *Lc.* IX, 57; XIV, 26; *I Cor.* VII, 25.

[5] Pius XI, Epist. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* d. 19 martii 1924: *A.A.S.,* Vol. XVI (1924), p. 133.

« Les Ordres Religieux tirent, chacun le sait, leur origine et leur raison d'être de ces sublimes Conseils Evangéliques, que notre divin Rédempteur adressa, pour tout le cours des siècles, à ceux qui veulent conquérir la perfection chrétienne... ». Leo XIII, Litt. *Au milieu,* d. 23 dec. 1900 ad Card. Archiep. Parisiensem; cf. *Acta Leonis XIII,* Vol. XX, p. 340.

« Verum benignissimus Dominus qui absque personarum acceptione (II Par. XIX, 7; *Rom.* II, 11; *Eph.* VI, 9; *Col.* III, 25), omnes fideles semel iterumque ad perfectionem ubique sequendam et exercendam invitavit (*Matth.* V, 48; XIX, 12; *Col.* IV, 12; *Iac.* I, 4), mirabili Divinae suae Providentiae consilio disposuit ut etiam in saeculo... » (Pius XII, Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia,* d. 2 febr. 1947: *A.A.S.,* Vol. XXXIX [1947], p. 117).

Cf. etiam Pius XII, Alloc. ad 2ᵘᵐ Congr. de Statibus Perfectionis, d. 9 dec. 1957: *A.A.S.,* Vol. L (1958), p. 36.

[6] Cf. Wernz, *Ius Decretalium,* t. II, Tit. XXIV, *De Ordinibus Religiosis,* n. 601, p. 630.

[7] Cf. Pius XI, Nuncium radioph. 12 febr. 1931: *A.A.S.,* Vol. XXIII (1931), p. 67.

[8] Pius XII, Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia,* d. 2 febr. 1947: *A.A.S.,* Vol. XXXIX (1947), p. 114.

[9] Cf. Votum Episcopi Berolinen. « Optatur redactio totius capitis *De Religiosis* » (Apud: *Acta et Documenta*: Appendix Vol. II, Pars I: p. 673, n. 5).

SECTIO PRIMA

CONSTITUTIO DE STATIBUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE

CAPUT I

DE STATU PERFECTIONIS ADQUIRENDAE IN GENERE

5. [*Opportunitas constitutionis de statibus perfectionis adquirendae*]. Quod prima Oecumenica Vaticana Synodus in mente habuit,[1] Constitutionem nempe de Regularibus edere qua et genuinam status perfectionis adquirendae — qui tunc temporis fere in unis Regularibus exstabat — notionem traderet, et simul ipsum a teterrimis insectantibus defenderet inimicis;[2] hoc idem ab illa, ob adversa adiuncta infectum relictum, Sacrosanctum Concilium Vaticanum II perficere, haud dissimilibus rationibus, necessarium duxit.

Etenim neque hodie desunt pertinaces quibus impetitur status perfectionis oppositiones et detrectationes, quam refellere oportet;[3] praetera extensio status perfectionis ad plures personarum coetus atque consequens nonnullorum requisitorum ad statum perfectionis constituendum mutatio ostendunt convenientiam maximam eum clare et inaequivoce iterum definiendi, ut confusiones, falsae opiniones et errores in huiusmodi negotio perniciosissima devitentur.

6. [*Cura Ecclesiae in doctrina de statu perfectionis illustranda*: *ab initio*]. Et quidem, inter praecipuas Ecclesiae curas iam ab eius primordiis semper fuit, et erit, Christi[4] et Apostolorum doctrinam atque exempla ad perfectionem allicientia suo magisterio illustrare, secure docendo qua ratione ducenda atque componenda esset christianorum vita eidem perfectioni dicata.[5] Ita factum est ut eius opera, nedum primis temporibus, nonnulli christiani consiliis evangelicis ultro oboedirent[6] verum etiam, ut ex testimonio patrum Apostolicorum et ecclesiasticorum scriptorum constat, paulo post, diversis locis perfectionis evangelicae sectatores specialem ordinem seu coetum in societate clare recognitum et probatum constituerent variis nominibus appellatum ascetarum, continentium, virginum.[7] Hos perfectionis asseclas Ecclesia, temporum progressione, numquam fovere intermisit, sed, sibi constans, atque Magistri consiliis fidelissima, perfectionis evangelicae professionis disciplinam continuo perfecit, sive respectu eorum qui singillatim perfectioni sese tradebant: ut patet in benedictione et consecratione virginum,[8] sive, specialiter post Constantinianam pacem adeptam, pro his qui plenam et publicam perfectionem in societatibus collegiisque eiusdem venia erectis profitebantur.[9]

7. [*Elementa constitutiva status perfectionis*: *pedetentim definita*]. Verum elementa status perfectionis nondum accurate iuridice definita, temporis progressione, sive ipsa praxi vitae perfectionis, primum in monachismo

Orientali et Occidentali late diffuso, deinde in novis diversarum formarum religionibus, sive directo Ecclesiae interventu, pedetentim perficiuntur et definiuntur ita ut, medio aevo progrediente, tum disciplina canonica, tum doctrina theologorum et canonistarum ea fixa ac perfecte definita referant. Exinde uti status iuridicus perfectionis non recognoscitur, qui susceptionem trium consiliorum evangelicorum oboedientiae, castitatis perfectae et paupertatis, coram Ecclesia factam non praeseferat, per vota sollemnia, perpetua, et ut plurimum, in aliqua religione vel monasterio ab eadem Ecclesia approbatis vel recognitis, emissa.[10] Haec status perfectionis ecclesiastica ordinatio, quae in Religionibus plenam actuationem seu applicationem habet, immutata ad nostra fere tempora permansit, aliqua tamen exceptione admissa circa necessitatem votorum sollemnium.[11]

8. [*Ultimae innovationes iuridicae circa statum perfectionis*]. Fundamentalem innovationem huic plurisaeculari disciplinae indixit Leo XIII, celebri Const. *Conditae a Christo* [12] per quam inter familias religiosas, iure eis constituto, adnumerantur Congregationes votorum simplicium quas, proinde, in statum iuridicum perfectionis adquirendae immittit, ita huius ambitum ad innumeros extendens utriusque sexus christifideles et, consequenter, perfectionis evangelicae sectatores in Ecclesia mirum in modum multiplicans. Post aliquos vero annos, Codex Iuris Canonici Leonis XIII incepta complet [13] atque ulterius adhuc progreditur, Congregationes veras Religiones ad omnes effectus iuridicos declarans et novam speciem status perfectionis evangelicae agnoscens in Societatibus vitae communis sine votis.[14] Novissima denique evolutionis status perfectionis phasis, non ita pridem, habetur cum Pii XII Constitutione *Provida Mater Ecclesia,*[15] qua nova status perfectionis forma inducitur, nempe Instituta saecularia, quorum sodales in saeculo manentes et operantes sineque votis publicis, valent nihilominus evangelica consilia publice profiteri, et in statu perfectionis iuridico in Ecclesia constitui, iuxta legem peculiarem pro illis in eadem Constitutione latam.[16] His innovationibus allatis status perfectionis adquirendae nedum ambitus ampliatur, verum etiam nonnulla ex traditionalibus elementis constitutivis valde mutata sunt.

9. [*Definitio status perfectionis adquirendae eiusque prima enucleatio*]. Quando ergo de statu perfectionis evangelicae adquirendae nunc loquimur, nihil aliud significare intendimus nisi stabilem in aliqua societate vivendi modum ab ecclesiastica auctoritate christianae perfectionis adquirendae causa constitutum, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia oboedientiae castitatis et peupertatis profitentur.[17]

Ut pressius status perfectionis evangelicae adquirendae natura dignoscatur, praeprimis meminisse iuvabit, Christum Dominum status perfectionis fundamenta posuisse, finem eius ultimum indicando, nempe, perfectam caritatem [18] atque media docendo et proponendo ad ipsam assequendam; [19] sed iuridicam atque socialem eiusdem ordinationem suae Ecclesiae reliquisse perficiendam; quae, profecto, firmis utique fundamentis a Christo Domino

iactis, illam ordinationem diligenter complet perpetuoque excolit ac per saecula perficit, novas et audaciores formas, prout adiuncta temporum et fidelium maturitas exigere videntur, inveniens. Duplex ergo elementorum species cosideranda est in statu perfectionis adquirendae, nempe: elementa *theologica,* quae velut eiusdem substantiam constituunt, et *iuridica* quae ad illa facilius obtinenda destinantur, et simul status socialis rationem conferunt modo vivendi eorum qui perfectionem adquirere in Ecclesia contendunt.

10. [*Elementa theologica status perfectionis*]. Ad obtinendam perfectam caritatem, quae est finis ultimus status perfectionis, absolute requiritur perfecta cordis mundities et liberatio a maioribus impedimentis exercitii caritatis, scilicet: a libidine, avaritia et superbia, alias ab Apostolo Ioanne vocatis « concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitae ».[20] De his concupiscentiis interna victoria, quae ab omnibus qui caritatis perfectionem assequi contendunt exigitur, per se in quacumque vitae conditione attingi valet, ideoque in qualibet vitae conditione possibilis est sanctitatis perfectae consecutio.

At Dominus Noster Iesus Christus, his qui alacriore gressu progredi generoso animo cupiunt, breviorem securioremque, licet magis arduam, indicavit viam, nempe professionem evangelicorum consiliorum oboedientiae, castitatis et paupertatis, quae si publice ab Ecclesia agnoscatur statum perfectionis adquirendae constituit. Haec autem consiliorum evangelicorum voluntaria susceptio hominem totum, omniaque eiusdem interna et externa, Dei servitio mancipat, et holocaustum Eidem gratissimum offert.[21]

11. [*Elementa iuridica status perfectionis*]. At vero status perfectionis evangelicae alia praesefert elementa scilicet iuridica, quae ipsi veram naturam status socialis ecclesiastici conferunt: professionem seu susceptionem consiliorum evangelicorum in aliqua societate ab auctoritate ecclesiastica approbata, adeo, ut nunc vita anachoretica individualis inter status perfectionis minime recenseatur;[22] vinculum vere iuridicum, externum, mutuum, ab Ecclesia recognitum, quo sodalis propriae societati devincitur eique plene traditur ac in ea, iuxta finem proprium et ad Constitutionum vel Regulae normam, susceptam professionem prosequitur,[23] et societas, sua vice, sodali suppeditare tenetur, quidquid sive ordinis materialis sive praesertim ordinis spiritualis necessarium aut opportunum ad finem proprii status assequendum videatur;[24] denique, hoc vinculum, quod est natura sua perpetuum,[25] professioni perfectionis evangelicae illam stabilitatem confert ad verum statum hominis constituendum necessariam.[26] Probe tamen notandum hoc vinculum diversa ratione contrahi iuxta tres species in quas status perfectionis adquirendae vigente iure distinguitur, ut pressius infra describitur.[27] Haec status perfectionis assumptio, quolibet modo facta, obligationem inducit adimplendi ea quae suscepta sunt causa contendendi ad perfectionem evangelicam.[28]

12. [*Differentia status perfectionis adquirendae a statu episcoporum*]. Ex hucusque dictis liquido patet quantum differat status perfectionis adqui-

rendae tum a statu Episcoporum, tum a statu Sacerdotali qua tali. Primi, suscepto pastorali officio, in altissimo statu perfectionis constituuntur, quae exercenda dicitur, vi cuius, ubi opus fuerit, vitam pro ovibus ponere vereri non debent,[29] quod est maximus caritatis actus.[30] Hinc Episcopi, etiam respectu sodalium statuum perfectionis, considerantur ut perfectores et moventes, a quibus vel ipsi religiosi recipiunt.[31]

13. [*Differentia status perfectionis adquirendae a statu cleri saecularis*]. Sacerdotes autem, vi ordinationis, et quidem indelebili charactere, ad altissima mysteria tractanda destinantur, quae absque dubio eximia decet sanctitudo,[32] maior equidem ea simplices religiosos vel aliorum institutorum perfectionis sodales non sacerdotes decente. Nihilosecius haud licet « asseverare clericalem statum, utpote talem et prout ex divino iure procedit, ob naturam suam vel saltem ob eiusdem naturae postulatum quoddam exposcere, ut ab eisdem sodalibus evangelica consilia serventur et hac de causa debere aut posse statum evangelicae perfectionis (adquirendae) appellari. Clericus igitur non vi divini iuris evangelicis consiliis paupertatis, castitatis, oboedientiae devincitur; ac praesertim non eodem modo devincitur eademque ratione, qua ex votis publice nuncupatis in religioso statu capessendo huiusmodi obligatio exoritur. Id autem non prohibet, quominus privatim suaque sponte clericus haec vincula suscipiat. Itidem quod Latini ritus sacerdotes sacrum caelibatum servare tenentur, inter clericalem et religiosum statum discrimen non aufert vel attenuat. Clericus vero regularis, non prout est clericus, sed prout est religiosus, evangelicae perfectionis condicionem et statum profitetur ».[33]

14. [*Terminologia: terminus « religiosus » stricto et lato sensu*]. Iuvabit notasse verbum « religiosus » specificam habere significationem, diuturno et vigenti usu probatam, vi cuius illos tantum status perfectionis sodales designat qui vota publica in aliqua Religione nuncupaverunt.[34] Verumtamen, attento elemento fundamentali tribus speciebus status perfectionis adquirendae communi, nempe, christianae perfectionis professione evangelicis consiliis solide fundata,[35] nihil impedit quominus quandoque, agendo etiam de aliis statibus perfectionis, idem verbum, praesertim sensu adiectivo latiore modo adhiberi valeat. Attamen, nisi aliud expresse vel aequipollenter dicatur, verbum « religiosus » tantum primi status perfectionis seu religionis alumnos connotare praesumitur.

NOTAE

[1] Cf. Schem. Const. *De Regularibus,* Collectio Lacensis, t. VII, col. 671, Friburgi Brisgoviae, 1890.

[2] Cf. *ibid.*

[3] Cf. infra, clausulas: 24, 25, 30, 31, 32, 33.

[4] Cf. *Matth.* XVI, 24; XIX, 10-12; 16, 21; *Mc.* X, 17-21; 23-30; *Lc.* XVIII, 18-22; 24-29; XX, 34-36.

[5] Cf. *I Cor.* VII, 25-35; 37-38; 40; *Matth.* XIX, 27; *Mc.* X, 28; *Lc.* XVIII, 28; *Act.* XXI, 8-9.

[6] Cf. *Act.* IV, 32, 34-35; *Lc.* VIII, 15; *I Cor.* VII, 25-35, 37, 38, 40.
[7] Cf. Ignatius, *Ad Polycarp.* V (*MG* 5, 724). Polycarp., *Ad Philippen.,* V, 3 (*MG* 5, 1009); Iustinus Philos., *Apologia I pro Christ.* (*MG* 6, 349) etc.
[8] Cf. Pontificale Romanum II: *De benedictione et consecratione Virginum;* Optatus, *De schismate donatistarum,* VI (*ML* 11, 1071 ss.).
[9] Pius XII, Const. *Provida Mater,* d. 2 febr. 1947: *A.A.S.,* Vol. XXXIX (1947), p. 115.
[10] Cf. S. C. Ep. et Regul. d. 15 sept. 1864; *Collectanea,* p. 746. Romae 1885, 27 apr. 1864, *ib.,* p. 745.
[11] Cf. Gregorius XIII, Const. *Ascendente Domino,* d. 25 maii 1584, § 21, *C.I.C.F.,* I n. 153, p. 269.
[12] Cf. 8 dec. 1900; Leonis XIII, *Acta,* Vol. XX, p. 317 ss.
[13] Cf. Pius XII, Const. *Provida Mater,* ib., p. 116 ss.
[14] Cf. can. 488, 1°; 673-681.
[15] Cf. 2 febr. 1947, *A.A.S.,* Vol. XXXIX (1947), pp. 114-124.
[16] Cf. *ib.,* pp. 120-124.
[17] Cf. can. 487, 488, 1°, 593 *C.I.C.*
[18] *Matth.,* XXII, 40; *S. Th.* II^{a} II^{ae}, q. 186, a. 5.
[19] Cf. supra, prooemium, nota 3.
[20] Cf. *I Ioan.* II, 16; D. Th., II^{a}-II^{ae} q. 186, a. 7.
[21] Cf. D. Th., *ibid.*
[22] Cf. can. 487.
[23] Pius XII, Const. *Provida Mater,* 2 febr. 1947: *A.A.S.,* Vol. XXXIX (1947), art. III, § 3, p. 121 ss.
[24] *Ib.* n. 2°; Sacra Congregatio De Religiosis, « Instructio »: *A.A.S.,* XL (1948), p. 295, n. 7, b.
[25] Const. *Provida Mater, ib.* n. 10; can. 488, 1°.
[26] *Ib.* D. Th., II^{a}-II^{ae}, q. 183, a. 1.
[27] Cf. infra Caput II.
[28] Can. 487; 488, 1°; 593; 679; Const. *Provida Mater,* a. III, § 2, n. 10; cf. D. Th., II^{a}-II^{ae}, q. 186, a. 2; S. Alf., *Theol. Mor.* (ed. Gaudé), T. II, 1, IV, n. 9 ss., p. 499 ss.
[29] Cf. *Ioan.* X, 11; D. Th., II^{a}-II^{ae}, q. 185, a. 5.
[30] Cf. *Ioan.* XV, 13.
[31] Cf. D. Th., II^{a}-II^{ae}, q. 184, a. 7.
[32] Cf. *ibid.* a. 8; Pius XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* d. 20 dec. 1935: *A.A.S.,* Vol. XXVIII (1936), p. 9, 19 ss.; cf. can. 124.
[33] Pius XII, Alloc. d. 8 dec. 1950: *A.A.S.,* Vol. XLIII (1951), p. 20, II; cf. Motu Proprio *Cleri Sanctitati,* d. 11 iun. 1957. De personis pro Ecclesia Orientali: *A.A.S.,* Vol. XLIX (1957), p. 29; can. 71. D. Th., II^{a}-II^{ae}, q. 184, a. 8.
[34] Cf. can. 488, 7°.
[35] Cf. Pius XII, Motu Proprio *Primo feliciter,* d. 12 mart. 1948, II: *A.A.S.,* Vol. XL (1948), p. 284.

Caput II

TRES SPECIES STATUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE

15. [*Prima species status perfectionis*: *Religiones*]. Prout nunc, iure vigente, perfectionis adquirendae status ordinatus exstat, tres tantum recensentur species quae totidem singulares status perfectionis constituunt.[1]

Sunt imprimis *Religiones* seu societates a legitima auctoritate ecclesiastica approbatae in quibus sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt.[2] Religiones eximie referunt omnia illa elementa quae ad statum perfectionis iuridicum completum necessaria reputantur.[3]

Nulla ergo, ad conceptum Religionis quod attinet, differentia inter vota simplicia et sollemnia, nulla inter vota perpetua et temporaria, dummodo haec sint elapso tempore ad quod emittuntur ex Religionis instituto renovanda, nulla tandem quoad conditiones membrorum inter religiosos clericos et laicos. E contra, ad Religionem constituendam non sufficiunt vota privata, etsi ab Ecclesia recognita, neque vota simpliciter temporaria.[4]

16. [*Secunda species status perfectionis*: *Societates sine votis*]. Religionibus accedunt Societates vitae communis, scilicet, illae societates ab ecclesiastica auctoritate erectae, quorum sodales in communi viventes, christianae perfectionis adquirendae causa, tria consilia evangelica, quamvis publica vota non emittant, stabiliter profitentur secundum proprias cuiusque societatis constitutiones. Licet enim aliquibus iuridicis sollemnitatibus status religiosi careant, tamen substantiam status perfectionis servant et Religionibus arcta similitudine coniunguntur.[5] Iure igitur meritoque his Societatibus magna ex parte ius religiosorum applicatur, non tamen absolute sed congrua congruis referendo.[6]

17. [*Tertia species status perfectionis*: *Instituta saecularia*]. Tertiam et novissimam status perfectionis evangelicae speciem constituunt Instituta sic dicta saecularia, quorum sodales consilia evangelica exercenda suscipiunt plene et perpetuo; sed in saeculo, quin ulla ratione vitae communis canonicae sint obnoxii.

18. [*Tres species status perfectionis comparantur*: *in genere*]. Satis clare inde conspici potest in quo hae tres species status perfectionis adquirendae conveniant, in quo autem inter sese differant. Conveniunt in eo quod est substantia status perfectionis, seu in oboedientiae, castitatis perfectae et paupertatis professione, perpetua de se et obligatoria in aliqua societate ab auctoritate ecclesiastica approbata;[7] differunt autem ex diverso modo profitendi, vivendi, operandi qui unicuique earum propriam physionomiam et veluti specificum characterem conferunt.

19. [*Differentia inter tres status*: *quoad modum suscipiendi perfectionem*]. Profecto, unaquaeque ex his speciebus proprium habet perfectionem

evangelicam profitendi modum: Religiones, per emissionem votorum publicorum;[8] Societas vitae communis, per traditionem aliqua ratione expressam vel vota privata, iuxta cuiusque Societatis Constitutiones;[9] Instituta saecularia, citra vota publica, per vota, iuramentum vel promissionem in saeculo facta, pariter iuxta cuiusque instituti statuta.[10]

20. [*Differentia inter tres status*: *quoad modum vivendi*]. Diversus quoque est modus vivendi horum perfectionis statuum. Etenim, Religiosi in propriis domibus degunt vitamque communem perfectam observare tenentur et, praeter Constitutiones et Regulas pro singulis Religionibus approbatas, etiam disciplina canonica pro ipsis in Iure communi sancita devinciuntur.[11] Societates vitae communis vitam valde similem Religionum ferunt; cum tamen verae Religiones non sint, legislatio canonica religiosorum propria, neque tota, neque plene eis applicatur, sed prout convenire eis videatur vel minus.[12] E contra, sodales Institutorum saecularium in saeculo degunt, conditionem saecularem retinentes; ideoque vitam communem canonicam non habent [13] nec Religionum aut Societatum vitae communis proprio peculiarique iure utuntur [14] nisi « aliquid huiusmodi iuris praescriptum, per exceptionem accommodatum fuerit ».[15]

21. [*Differentia inter tres status*: *quoad modum exercendi activitatem*]. Denique status perfectionis adquirendae non parum inter se differunt, ex modo propriam activitatem exercendi, Religiosi, et sodales Societatum vitae communis, suam ad finem specificum Instituti prosequendum actionem exercent iuxta proprias cuiusque Constitutiones vel Regulas, intra vel extra septa; hoc tamen semper faciunt ex auctoritate Religionis, vel Societatis quae universam alumnorum actuositatem iubet et moderatur. Membra autem Institutorum saecularium non tantum in saeculo operantur; sed, servata oboedientia quam professi sunt, « veluti ex saeculo ac proinde professionibus, exercitiis, formis, locis, rerum adiunctis saeculari huic conditioni respondentibus »,[16] in quibus sese sanctificare et multiformem apostolatum quaquaversus irradiare tenentur.[17]

22. [*De tertiis ordinibus saecularibus*]. Statibus perfectionis evangelicae ab Ecclesia recognitis peculiari modo et intime coniunguntur Tertiarii saeculares qui, in saeculo degentes propriasque conditiones vitae retinentes, unam familiam spiritualem cum Ordinibus a quibus procedunt constituunt. Sub eorumdem enim moderatione et secundum eorum spiritum, ad christianam perfectionem, citra tamen evangelicorum consiliorum professionem, contendere nituntur, modo saeculari vitae, etiam coniugali, consentaneo, secundum regulas ab Apostolica Sede pro ipsis approbatas.[18]

In laudem Tertiariorum saecularium est quod, dum ipsi propriae sanctificationi incumbunt atque cum sincera pietate exempla fidelis praeceptorum Dei et Ecclesiae adimpletionis assidue praebent, ad ipsum Corpus Mysticum Christi aedificandum absque dubio pro parte sua valide quoque conferunt. Id vero ut efficaciter et perseveranter assequi valeant, spiritum sui Ordinis sub propriis regulis sedulo servent oportet, primo Ordine solerter moderante

et fovente. Qua ratione, hoc providentiale institutum « mirifice societati humanae his quoque temporibus idoneum » semper se exhibet.[19]

NOTAE

[1] « Cet idéal (de perfection chrétienne) chaque chrétien est invité à y tendre de toutes ses forces; mais il se réalise d'une manière complète et plus sûre dans les *trois états* de perfection selon le mode décrit dans le Droit Canon et les Constitutions Apostoliques déjà citées » (Pius XII, Alloc. ad 2um Congr. de Statibus perfectionis, d. 9 dec. 1957: *A.A.S.,* Vol. L (1958), p. 36.

[2] Cf. can. 488, 1°.

[3] Cf. can. 487; Const. Apost. *Provida Mater, ib.,* p. 117.

[4] Can. 488, 1°.

[5] Const. *Provida Mater, ib.,* p. 117.

[6] Cf. Tit. XVII, L. II, *C.I.C.*

[7] Cf. supra dicta nn. 9, 10, 11.

[8] Cf. can. 488, 1°; 574; 575 *C.I.C.*

[9] Cf. can. 677 *C.I.C.*

[10] Cf. Const. Apost. *Provida Mater,* d. 2 febr. 1947: *A.A.S.,* Vol. XXXIX (1947), p. 121.

[11] Cf. supra dicta nn. 9, 10, 11.

[12] Cf. *ib.*

[13] Cf. *ib.*

[14] Cf. *ib.*

[15] Cf. *ib.*

[16] Pius XII, Motu Proprio *Primo feliciter*: *A.A.S.,* XL (1948) II, p. 284 s.

[17] Cf. *ib.*

[18] Cf. can. 702 § 1.

« Quae igitur a Christo Domino tributa laus est discipulis, ei praecipuum in modum adhaerentibus, cum dixit: " de mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo ", eadem merito tribuenda his Francisci alumnis qui evangelica consilia, mente et animo, quantum in saeculo licet, observantes, vere de se affirmare idem possunt quod Apostolus: " nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est " » (Bened. XV, Litt. Encycl. *Sacra propediem celebrari,* d. 6 ian. 1921: *A.A.S.,* Vol. XIII [1921], p. 38).

[19] Cf. Encycl. citata: *A.A.S.,* p. 34.

Caput III

DE DIVERSIS FORMIS STATUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE ET DE ERRORIBUS REFELLENDIS

23. [*Diversae formae status perfectionis adquirendae*]. Hac amplissima et sapientissima statuum perfectionis ordinatione, Mater Ecclesia, innumeris Christifidelibus, viris ac mulieribus, copiosam praebet opportunitatem evangelica consilia amplectendi et per ea perfectionem caritatis appetendi, habita

praesertim ratione infinitae paene varietatis formarum quas unaquaque species status perfectionis induere valet, et de facto, decursu saeculorum, induit. Unde, ex una parte asseri potest, nullam fere humano generi obvenisse necessitatem spiritualem vel corporalem ad cuius levamen aliqua religio divinitus suscitata non fuerit;[1] ex alia autem, taliter instructas esse has diversas formas statuum perfectionis ut, praeterea, peculiari indoli, proclivitati, vocationi cuiusque animae egregie respondeant, prout illi « qui evangelica consilia amplexi sunt, vel operosam inter homines, vel umbratilem in silentio vitam agant, vel utrumque pro peculiari instituto suo efficere contendant ».[2]

24. [*Errores refellendi*: *activismus*]. Ad omnem hac in re perniciosam aequivocationem dissipandam, omnino retinendum est quod etiam in institutis quae operibus externis specialiter dedicantur, vita interior et orationis studium minime excluduntur; immo praesupponuntur ad finem generalem instituti status perfectionis assequendum. Quare refellendus est periculosus error penes nonnullos, etiam perfectionis evangelicae sectatores nostris temporibus invalens, dictus « activismus », qui vitam interiorem negligens, et orationis efficaciam parvipendens inficiuntur « febri illa inquieta et non raro sterili « actionis » quam vocant, speciosae magis quam efficacis ».[3]

Ex sancto nempe precationis studio vis illa solummodo hauriri potest, quae a caelestibus sedibus descendit, et quae una valet religiosam alere vitam et fructus etiam in apostolatus edere in sempiternum aevum salutares.[4]

25. [*Errores refellendi*: *naturalismus*]. Nec praetereundum est aliud grave discrimen quod insidiatur illis statibus perfectionis quorum proprium est varia externa opera apostolatus necnon misericordiae corporalis in proximo exercere propter amorem Iesu Christi, qui omnes voluit ad se trahere et in pauperibus et infirmis repraesentari praedilexit.[5] Nunc autem periculum instat caritatem proximis praestitam paulatim religiosam naturam amittere. Quod evenit quia in proximis iuvandis saepe naturalia motiva miscentur adeo ut non raro rationibus supernaturalibus praevaleant. Hoc pacto operum misericordiae supernaturalis ratio valde periclitatur eorumque vis sanctificatrix et apostolica enervatur. Profecto, « beneficentia quae nullum a fide principium ducit sed aliunde scaturit caritas non est neque catholica appellari potest. Habet caritas dignitatem, habet afflatum, habet vires quae simplici philanthropiae, etiam opibus et praesidiis praeditae, desunt ».[6] Sodales igitur statuum perfectionis, cum externis incumbunt operibus, prae oculis semper ferant et assidue colant ea omnia ordinis supernaturalis, cum ceteris ordinis materialis, quae actionis beneficae adaugeant efficaciam. Verum, imprimis, Iesu Christi amorem in cordibus suis intensissime foveant cuius ductu, pro miseris et egenis vel propriam vitam ponere ne formident.[7]

NOTAE

[1] Pius XI, Epist. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* d. 19 mart. 1924: *A.A.S.,* Vol. XVI (1924), p. 134 s.

[2] Pius XII, Encycl. *Mystici Corporis Christi,* d. 29 iulii 1943: *A.A.S.,* Vol. XXXV (1943), p. 201.

[3] Pius XII, Alloc. *Moderatoribus Gen.,* d. 11 febr. 1958: *A.A.S.,* Vol. L (1958), p. 158; Ioannes XXIII, Alloc. in Collegio S. Anselmi, d. 25 sept. 1959: *A.A.S.,* Vol. LI (1959), p. 707 s.

[4] Pius XII, Alloc. 8 dec. 1950: *A.A.S.,* Vol. XL (1951), l. c.

[5] *Matth.* X, 42; XXV, 40.

[6] Pius XII, Alloc. cit., *ibid.,* p. 32.

[7] Cf. Pius XII, Alloc. d. 8 dec. 1950: *A.A.S.,* Vol. XL (1951), p. 33.

Caput IV

HABITUDO STATUUM PERFECTIONIS ADQUIRENDAE AD ECCLESIAM

26. [*Positio status perfectionis adquirendae in Ecclesia*]. Nunc si mentem vertimus ad relationem statuum perfectionis cum Ecclesia Christi, haec adeo apparet intima ut ipsam Ecclesiae constitutionem quadantenus afficere videatur. Etenim ex divina institutione sunt in Ecclesia *clerici* a *laicis* distincti, licet non omnes clerici sint divinae institutionis; utrique autem esse possunt *religiosi.*[1] Divino, igitur, ipso iure, statutum est ut clerici distinguantur a laicis. « Inter duos hos gradus, religiosae vitae status interiicitur, qui ecclesiastica origine defluens, ideo est atque ideo valet, quia arcte proprio Ecclesiae fini cohaeret, qui eo spectat ut homines ad sanctitatem assequendam perducantur ».[2] Hac ratione, Ecclesia, uti supra dictum est, principia a Christo iacta reassumens, Statum perfectionis instituit, nedum ad bonum privatum christianorum verum etiam ad bonum universale totius Corporis Mystici Christi.

27. [*Hierarchia interna status perfectionis adquirendae*]. Ut hunc finem melius attingeret, Ecclesia quos condidit Status perfectionis specialibus legibus ordinavit eosque instructos voluit peculiari interna hierarchia a Sacra Hierarchia clericali distincta, quae propriis Superioribus internis constans, tamquam Supremum Caput habet Romanum Pontificem qui est etiam singulorum omnium sodalium Supremus Superior.[3]

28. [*Duplex officium status perfectionis*]. Statibus perfectionis duplex erga Ecclesiam quae illos induxit tamque sapienter ordinavit incumbit officium. Primum, veluti illorum naturae necessario inhaerens, est efficere ut per assiduam ac strenuam evangelicae perfectionis prosecutionem, sanctitas, quae prima et indeficiens Ecclesiae nota praedicatur, continuo crescat, magis magisque ubique clarescat.[4] Cum vero a perfecta Dei dilectione defluat ipse proximi amor, ab illo primo officio sanctitatem sectandi derivatur alterum cum eo intime connexum, pro viribus scilicet prece actuosaque opera laborandi ad Regnum Christi in animis radicandum ac roborandum illudque ad omnes plagas dilatandum, ut catholicitas Ecclesiae nedum de iure tantum habeatur, verum etiam de facto ubique luculenter fulgeat.[5]

NOTAE

[1] Can. 107.
[2] PIUS XII, Alloc. cit., *ibid.*, p. 27 ss.
[3] PIUS XII, Alloc. cit., *ibid.*, p. 28; can. 499.
[4] Cf. *Eph.*, IV, 12; PIUS XII, Const. Apost. *Sponsa Christi*, 21 nov. 1951: *A.A.S.*, Vol. XLIII (1951), p. 14 ss.
[5] Cf. *Mc.*, XVI, 15.

CAPUT V

EXCELLENTIA STATUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE ET ERRORES REFELLENDI

29. [*Excellentia intrinseca status perfectionis*]. Compertum est quanta alacritate et heroica fidelitate Status perfectionis membra, adlaboraverint in Ecclesia aedificanda ac dilatanda, scilicet, perpetua Dei servitio mancipatione, exemplo virtutum, eximia sanctitate ardentissimoque zelo.[1]

Verumtamen Status perfectionis excellentia non solum ex eius fructibus,[2] sed ex ipsa eius natura ipsoque fine maxime elucet. Etenim, prout in Ecclesia est ordinatus, aptissimum medium sese praebet ad sanctitatem assequendam; nam Dei servitio hominem plene ac perpetuo mancipat, eumque per oboedientiae, castitatis perfectae et paupertatis iugem observantiam, liberat ab iis praecipue quae impediunt exercitium caritatis;[3] praeterea ipsum efficaciter excitat ad actus caritatis erga Deum et erga proximum cui opera misericordiae spiritualis et temporalis omnis generis praestat; exspolians denique illum omnibus quae possidet eumdem expeditum facit ad Christi sequelam.[4]

30. [*Errores refellendi*: *de statu matrimoniali praeferendo*]. Quapropter, prorsus errare dicendi sunt illi qui iuvenes ad hanc sublimem vocationem non tantum non incitant, sed etiam ab ea amplectenda arcent, asserentes Religionis causam melius serviri a laicis coniugatis actionem apostolicam in saeculo exercentibus quam a religiosis a mundo segregatis.[5] Hic error enim proxime accedit alteri iam a Concilio Tridentino damnato, scilicet de statu coniugali statui virginitatis vel caelibatus anteponendo.[6] E contra pro rei veritate omnino tenendum est vocationem ad virginitatem tamquam excellens donum a Deo largiter collatum habendum esse, arcanis intimisque vinculis cum ipsa caritatis perfectione assequenda coniunctum. Iamvero, qui evangelicam perfectionem profitentes, virginitatem sectantur, a gravibus matrimonii muneribus et officiis sese exonerant, non quidem aliquo egoistico sensu vel animi pusillanimitate ducti, sed « ut plenius queant Deum servire et ad proximorum viribus omnibus conferre bonum ».[7] Ideoque, sacerdotes educatoresque ne timeant istam viam evangelicorum consiliorum eis quos dirigunt prudenter ostendere, nec umquam ita loquantur ac si excellentior

esset conditio christianorum qui in saeculo, sub communi praeceptorum iugo viventes, apostolatui Ecclesiae ex animo incumbunt.[8]

31. [*Errores refellendi*: *nimia facilitas in statu perfectionis*]. Nonobstante vero tanta excellentia status perfectionis, non desunt qui leviter asserant illum « natura sua fineque suo nihil aliud esse nisi salutis refugium timentibus et anxiis datum, qui cum non valeant procellosa vitae obire discrimina, et aspera rerum sustinere neque sciant, neque forsitan velint, socordia ducti valedicunt saeculo et in sereni coenobii portum confugiunt ».[9]

Haec sane relata opinatio, « si in universum accipiatur, falsa et iniusta est. Enimvero, quemadmodum sacerdotii ineundi, ita, imo potius, religiosi status ingrediendi propositum atque in suscepto proposito firma constantia magnos spiritus et alacre devovendi studium flagitant ».[10] Quod historia ecclesiastica amplissime confirmat, luculenter attestans statum perfectionis fontem esse heroicae sanctitatis ab Ecclesia proclamatae, dum omnes conspicere valent tot praeclarissima virorum et mulierum exempla virtutum, indefessae actuositatis et generosae immolationis, qui tam in silentio coenobiorum quam in aperto campo apostolatus et operum caritatis, prima acie dimicant.

32. [*Errores refellendi*: *nimia difficultas in statu perfectionis*]. Alius serpit funestissimus denuntiandus error eorum qui status perfectionis amplecti dissuadere nituntur ob rationem opinatui antea relato penitus contrariam, ob nimiam scilicet difficultatem quam « status perfectionis praesefert, libero suo arbitrio sese exuendi et libertatis potestatem deponendi. Immo veluti celsa moralis perfectionis forma a quibusdam extollitur: non ob Christi amorem exuta libertas, sed huiusmodi abnegationis coarctatio ».[11]

Qui huiusmodi sententiam temere proferunt perspicue ostendunt se evangelicae consiliorum praecellentem naturam minime agnoscere et Dei gratiae virtutem parvipendere qui generosis et volentibus animis perfecta, non vero impossibilia, proponit.

Etenim, ille qui in statu perfectionis propriam abdicat libertatem, maximum quidem in sua persona sacrificium Deo offert cuius servitio sic totaliter et radicitus se mancipat ad quod praestandum expeditiorem, immo expeditissimum se reddit. Cum autem id faciat ad exemplum Christi qui « humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem, mortem autem Crucis »,[12] a Divino Redemptore etiam animi fortitudinem necessariam fiducialiter expectare debet ut oboedientiam in omnibus fideliter praestare valeat, dicens cum Apostolo: « omnia possum in eo qui me confortat ».[13]

Fallit igitur et fallitur qui de statu capessendo consilium petenti, absque alio, libertatem suggerit retinendam, huius animi piam proclivitatem et divinae gratiae motum perperam negligens. Quocirca, si Dei vocis incitamentum, indicio certo, aliquem ad evangelicae perfectionis culmen arcesserit, qualibet haesitatione remota, celsi huius propositi proficiendi causa, proponatur libertatis libera immolatio, prout oboedientiae votum exposcit, votum quod Ecclesia per tot saeculorum decursum perpendit, experta est, definivit, comprobavit.[14]

33. [*Comparatio status perfectionis adquirendae cum statu clericali*]. Doctrina statuum perfectionis adquirendae hactenus tradita vera est et certa, placitis Theologiae et iuris canonici conformis, atque Ecclesiae traditione probatissima, immo in ipsis Christi verbis contenta ab Evangeliis relatis.[15] Porro, statuum perfectionis rationes mere iuridicae possunt ab Ecclesia mutari quae eas produxit, quod scimus decursu temporis saepe fecisse. Non ita pridem novum Statum perfectionis aliis duobus iam existentibus adiunxit. E contra, fundamentum a Christo positum, quod, uti dictum est, substantiam statuum perfectionis constituit mutationi obnoxium non est.

His positis, si perfectionis adquirendae status ad clericalem referatur, quin quaestio de praelatione unius prae alio ponatur, oportet dicere quod omnis vocatio a Deo est [16] tum clericorum dioecesanorum tum sodalium statuum perfectionis, utraque proinde bona est, imo in suo genere optima. Paulus dicit: « unusquisque in qua vocatione vocatus est in ea permaneat ».[17] Et hoc quia sanctitas personalis, seu exercitium heroicarum virtutum theologalium et moralium, non directe pendet a statu personae, sed ab eius voluntate, gratia Dei movente et informante. Unde utique sanctitas, idest, perfecta caritas ubique florescere consuevit, in officiis et ministeriis dioecesanis, in paroeciis, in domibus religiosis, apud Societates vitae communis et Instituta saecularia, imo in statum simplicium fidelium.[18] Sanctitas tamen obnoxia est divinae vocationi in qua, quaecumque ea sit, vult apostolatus ut « digne ambulemus cum omni humilitate et mansuetudine ».[19] Hoc planum est, et perspicuum. Si tamen rem obiective inspiciamus, indubium est, status perfectionis, uti in Ecclesia sunt constituti, specialia et aptissima media de se praebere ad perfectionem evangelicam sectandam et ad sanctitatem consequendam; quae media specialia status clericalis dioecesanus ratione sui non secumfert, licet clerici in proprio statu ad apicem sanctitatis contendere eamque adipisci valeant.*

NOTAE

[1] Pius XI, Epist. Apostolica *Unigenitus Dei Filius,* d. 19 martii 1924: *A.A.S.,* Vol. XVI (1924), p. 133 s.; Pius XII, Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia, ib.,* p. 117; Ioannes XXIII, Alloc. in Collegio Sancti Anselmi, die 25 sept. 1959: *A.A.S.,* Vol. LI (1958), p. 707.

[2] *Matth.,* VII, 16.

[3] Cf. supra dicta in clausulis 9, 10, 11.

[4] *Matth.* XIX, 27-29.

[5] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* d. 25 mart. 1954: *A.A.S.,* Vol. XLVI (1954), pp. 177-178.

[6] Cf. Conc. Trid. *de Matrim.,* can. 10.

[7] Pius XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas* cit., *ib.,* p. 168.

[8] Cf. Pius XII, Litt. Encycl. cit., *ib.,* pp. 170-174.

[9] Pius XII, Alloc. cit., d. 8 dec. 1950, p. 30.

[10] *Ib.*

[11] Pius XII, Alloc. d. 8 dec. 1950 ad I[um] Congr. de Stat. Perfect.: *A.A.S.*, Vol. XLII (1951), p. 31.

[12] *Philipp.* II, 8.

[13] *Philipp.* IV, 2.

[14] Cf. Pius XII, Alloc. cit., *ibid.*, p. 32.

[15] Cf. supra, prooemium, not. 3-4.

[16] *II Thess.* I, 11; *II Tim.* I, 9 etc.

[17] *II Cor.*, V, 48.

[18] *Matth.*, V, 48; *II Cor.* XIII, 11; D. Th., II[a]-II[ae], q. 184, aa. 1, 54.

[19] *Eph.* IV, 12.

* *N. B.*: Caput VI, in indice generali signatum, hic supprimitur quia materia de « Exemptione » tractatur in schemate ab utraque Commissione de Episcopis et de Religiosis concordato.

Sectio secunda

DE ALIQUIBUS INSTITUTIS STATUS PERFECTIONIS IN PARTICULARI

1. [*Transitus a sectione prima ad secundam*]. Licet praecedens constitutio omnia sane complectatur instituta Status perfectionis, Sacra Synodus tamen opportunum ducit aliquid in particulari addere tum de institutis laicalibus, praesertim Fratrum docentium, praesentibus in adiunctis speciali ratione commendandis,[1] tum de institutis saecularibus nuperrime iuridice ordinatis et ad statum perfectionis adquirendae adscriptis.

Caput VII *

DE INSTITUTIS LAICALIBUS PRAESERTIM FRATRUM DOCENTIUM

2. [*De aestimatione vitae religiosae laicalis habenda*]. Vita religiosa laicalis, qualis a prioribus temporibus in Ecclesia exculta [2] atque hisce ultimis saeculis volventibus nova forma, tam pro viris quam pro mulieribus, variis apostolatus operibus mirum in modum aptata et nunc ubique vegetior efflorescens, ab omnibus habenda est tamquam evangelicae perfectionis adquirendae et Deo consecrationis status completus a Sancta Ecclesia recognitus; eam igitur Sacra Synodus amplissimis laudibus extollit omniumque aestimationi ac speciali Sacrorum Praesulum sollicitudini commendat.

* Capita VII-XV discussa sunt a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quarta et quinta congregatione sessionis quartae, diebus 23-24 febr. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 653-737.

3. [*De speciali fratrum docentium vocationis indole*]. Inter vitae religiosae laicalis sectatores viros, qui « peculiari Dei vocatione sacerdotii dignitati iisque solaciis quae ex eo oriuntur, renuntiant »,[3] placet specialiter recensere diversorum Institutorum Fratres docentes, qui, sicut de aliis quibuscumque religiosis docentibus quoque dicendum est, ab Ecclesia eorum Constitutiones approbante utpote finem specialem prosequendum munus [4] christiane erudiendi iuventutem receperunt; atque ideo veluti missionem obtinuerunt non tantum disciplinas profanas sensu catholico tradendi sed praesertim docendi doctrinam christianam, qua, in scholis cuiuscumque ordinis et gradus, iuvenis animum ad vitam christianam reapse instituunt.

4. [*De speciali religiosorum docentium vocationis merito*]. Huius peculiaris vocationis Religiosi docentis meritum manifesto apparet consideranti « christianam educationem causam esse sane gravissimam, quod attinet non modo ad singulos homines, sed ad domesticam etiam civilemque consortionem ».[5] Itaque, « dilucidum est quam praestabilis sit, prae ceteris omnibus, christianae educationis opera, quippe quae eo potissimum spectet, ut summi boni, nempe Dei, possessionem adulescentibus educandis comparet, et humanae societati maxima, quoad in terris fieri potest, emolumenta ac commoda pariat ».[6]

5. [*Specialis missio docendi religionem in scholis*]. Quapropter, stante fine speciali Institutorum Fratrum docentium, licentia Ordinarii loci ipsis concessa scholam aperiendi secumfert facultatem docendi in eadem doctrinam christianam, firmo tamen iure Ordinarii loci vigilantiae ac visitationis, servatisque legitimis conditionibus in ipsa permissione forte appositis.[7]

6. [*Congrua praeparatio fratrum ad religionem docendam*]. Tam nobilis vero missio gravem inducit necessitatem ut religiosi docentes ad eam rite explendam profunde accurateque formentur. Immo, si de doctrina Religionis in scholis mediis et superioribus tradenda agatur, seria et proportionata requiritur in docente institutio generalis theologiae, sine qua tantum munus eo gradu tuto ac competenter exerceri vix potest.[8] Huic quidem apostolatui se totos dent, illum caeteris omnibus quae illos ab eo distrahi possint anteponentes.

7. [*Vocatio fratrum docentium fovenda et promovenda*]. Ut tam utilia Instituta maiora in dies incrementa capiant,[9] scriptores de rebus paedagogicis et asceticis, educatores, confessarii et moderatores spiritus christifidelibus ostendant hanc peculiarem Fratrum docentium vocationem secumferre, cum integra personae Deo consecratione, opus omnimode laudandum et fovendum, christianam nempe puerorum et iuvenum institutionem et educationem, quae ars artium et scientia scientiarum [10] merito dicitur quaeque nostris temporibus adeo necessaria et urgens est; itemque adspirantes et religiosos eorum consilia requirentes sapienter illuminent atque in vocatione, quae dispositiones ingenii animique dotes haud communes certo postulat, pro sua prudentia confirment.

Caput VIII
DE INSTITUTIS SAECULARIBUS

8. [*De institutis saecularibus honorandis*]. In Sancta Dei Ecclesia, cuius mirabilis foecunditas singularibus temporum necessitatibus occurrentibus subveniendis numquam impar invenitur, exorta sunt Instituta Saecularia, quae a Sede Apostolica iuridice recognita, christifidelibus in saeculo permanentibus perfectionis evangelicae prosequendae viam commonstrant atque modos apostolatus in saeculo et ex saeculo exercendi amplos et efficaces suppeditant.[11] Igitur, Sacra Synodus facere non potest quin Divinae Bonitati gratias referat, de novo hoc agmine, quod exercitium consilia evangelica profitentium in saeculo adauxit.[12]

9. [*Institutorum saecularium distinctio: A fidelium Associationibus*]. Haec Instituta saecularia, quorum sodales in saeculo dispersi absque votis publicis et sine vita communi canonica « tam generose sanctitatem sectantur »,[13] veras societates, clericales vel laicales, ad modum corporis organici cum propriis internis moderatoribus in Ecclesia constituunt, quae dioecesanae, interdioecesanae vel universales, et quidem iuris sive dioecesani sive pontificii esse possunt. Et licet, quoad externam rationem vitae et modum apostolatum exercendi, cum communibus fidelium associationibus sive laicorum sive sacerdotum conveniant, ab iisdem tamen iuridice distinguuntur, quia veram et essentialiter completam, etsi in saeculo, consiliorum evangelicorum professionem secumferunt, proptereaque inter status perfectionis ab Ecclesia recognitos iure meritoque adnumerantur.[14]

10. [*Institutorum saecularium distinctio: A religionibus et societatibus*]. Ad institutorum saecularium naturam, ut iam supra innuitur, necessario pertinet plena christianae perfectionis professio, tribus evangelicis consiliis solide fundata et quoad substantiam vere religiosa. Attamen, non solum in iisdem vota publica non admittuntur; sed indoles saecularis vel ut aiunt, « saecularitas » in qua eorum specifica existendi ratio consistit, fideliter quoque asservanda est et in omnibus elucere debet.[15]

Quapropter, haec Instituta nec religiones nec societates vitae communis sunt, neque iis in omnibus aequiparari possunt. Ideoque, proprium nomen, scilicet: « Instituta saecularia » de iure sortiuntur, a nulla societate vitae communis etiam sine votis a nullaque alia fidelium associatione in saeculo usurpandum.

11. [*Instituta saecularia proprio utuntur iure*]. Pariter, instituta saecularia proprio quoque utuntur iure, peculiaribus suis conditionibus socialibus, vitae et operae in saeculo necnon saecularibus muneribus, officiis et operibus quae licite exercentur plane accommodato. Ea, igitur, pro aliis statibus perfectionis specialiter praescripta, ipsis non applicantur nisi ob peculiarem rationem a Sancta Sede aliter provisum fuerit.[16]

12. [*Forma genuina institutorum saecularium praeservanda*]. Ideoque,

cavendum est ne propria institutorum saecularium indoles extraneis formis alteretur vel a sua genuina ratione et integritate iuridica certis modis vivendi vel apostolatum exercendi sibi alienis incaute acceptis recedat, non sine vero periculo confusionem inducendi inter varios status perfectionis.

Hinc, in iis quae particulariter spectant ad praxim consiliorum evangelicorum, speciatim in materia paupertatis, et ad officia ac munera in saeculo suscipienda necnon ad externam formam vitae socialis sodalium, non iure pro aliis statibus perfectionis vigenti, sed propriis normis a Sancta Sede sibi impertitis reguntur.

13. [*De subiectione institutorum saecularium Ordinariis locorum*]. Instituta saecularia ad normam iuris pro non exemptis Congregationibus et Societatibus vitae communis vigentis, subiecta sunt Ordinariis locorum [17] quibus etsi de iure innotescunt,[18] potest tamen haud raro iuvare, immo aliquando omnino necessarium esse ut sodalium nomina vel ipsa centra ceteris prorsus ignota maneant.

14. [*De subiectione sacerdotum incardinatorum Ordinariis locorum*]. In iuridica autem ordinatione institutorum clericalium, quorum sodales incardinationem propriae dioecesi ex instituto retinent, id semper prae oculis habendum est, auctoritatem Ordinarii loci in hos clericos nullo sub respectu imminuendam sed potius novo vinculo firmandam esse. Quamobrem, in Constitutionibus apte definienda est materia obedientiae Superiori interno debitae, qui numquam quidquam praecipere vel consulere potest quod dependentiae ab Ordinario adversetur, cuius sententia in omnibus casibus conflictus praevalere debet.

15. [*De subiectione sacerdotum non incardinatorum*]. Quando sacerdotes incardinationem dioecesanam ex instituto non retinent, statuendum est tempus quo illam de iure amittunt.[19] Interim, ad normam Constitutionum plane pendent a proprio Superiore interno, quin tamen ipse in officia ab Ordinario commissa directe intervenire valeat, salva semper eorumdem adimpletionis vigilantia.

16. [*De institutis saecularibus alicui religioni aggregandis*]. Ad relationem quod attinet alicuius Instituti saecularis cum aliqua Religione, nihil impedit quominus, ex speciali Sanctae Sedis concessione, Institutum saeculare alicui Religioni aggregetur ut ab ipsa adiuvetur et etiam aliquomodo moraliter dirigatur.[20] Attamen, aliae strictioris formae, quae Instituti saecularis autonomiae detrahant, etiamsi ab ipsis Institutis desiderentur et invocentur, nonnisi difficulter, bono Instituti attente considerato, opportunisque adhibitis cautelis, concedi poterunt.[21]

NOTAE

[1] Cf. Epist. PII XII ad Card. Valeri, d. 21 martii 1954: AAS, vol. XLVI (1954), p. 204.

[2] « Etiam, dum antiquitus Monachi plerumque sacerdotio carebant et pauci inter eos ad illum suscipiendum quasi necessitate compulsi, ut populi scilicet ad chri-

stianam religionem converterentur, a propria Regula fere distrahebantur ... » (PIUS XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* 7 iulii 1956, I, n. 3): AAS, vol. XXXXVIII (1956), p. 355.

[3] Epist. PII XII ad Card. Valeri, d. 21 martii 1954: AAS, vol. XXXXVI (1954), p. 204.

[4] Ibid., p. 202.

[5] PIUS XI, Encycl. *Divini illius Magistri,* d. 31 dec. 1929: AAS, vol. XXII (1930), pp. 51-52.

[6] Ibid.

[7] Cf. can. 1381, 497 § 2; Circ. S. Congr. Concilii d. 21 iunii 1930, IV: AAS, vol. XXII (1930), p. 397.

[8] Cf. can. 1373 § 2.

[9] PIUS XII, Epist. ad Card. Valeri, d. 21 martii 1954: AAS, vol. XXXXVI (1954), p. 202.

[10] S. GREG. NAZ., *orat. II*; MIGNE PG XXXV, col. 426.

[11] Cf. Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia,* d. 2 februarii 1957; n. 7: AAS, vol. XXXIX (1947), p. 117.

[12] Cf. Motu Pr. PII XII *Primo feliciter,* d. 12 martii 1948: AAS, vol. XXXX (1948), p. 283.

[13] Const. Apost. citata *Provida Mater,* ibid., n. 12, p. 119.

[14] Cf. Const. Ap. PII XII *Provida Mater,* d. 2 febr. 1947, § 8: AAS, vol. XXXXIX (1947), p. 117; Motu Pr. PII XII *Primo feliciter,* d. 12 martii 1948: AAS, vol. XXXX (1948), pp. 285-286; Alloc. PII XII, d. 8 dec. 1950 ad Congress. de St. Perf.: AAS, vol. XLIII (1951), p. 29.

[15] Cf. Motu Proprio PII XII, d. 12 martii 1948, II: AAS, vol. XXXX (1948), p. 284.

[16] Cf. Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia,* d. 2 februarii 1947, *Lex peculiaris,* II, § 2: AAS, vol. XXIX (1947), p. 120.

[17] Cf. Const. Apost. PII XII *Provida Mater Ecclesia,* d. 2 febr. 1947, *Lex peculiaris,* art. VIII: AAS, vol. XXXIX (1947), p. 123.

[18] Cf. S. C. EE. et RR. decretum *Ecclesia Catholica,* d. 11 aug. 1889: AAS, vol. XXIII (1931), p. 634; Const. cit. *Provida Mater,* ibid., p. 119.

[19] Cf. can. 585.

[20] Cf. can. 500 § 3.

[21] Cf. Instr. S. C. de Religiosis *Cum Sanctissimus,* d. 19 martii 1948, n. 9, b: AAS, vol. XL (1948), p. 296.

SECTIO TERTIA

DE VOCATIONE RELIGIOSA

CAPUT IX

DE VOCATIONE RELIGIOSA IN SE CONSIDERATA

(Caput unicum) *

17. [*Divina origo vocationis religiosae*]. Dominus Deus, cuius est fortiter disponere omnia et suaviter [22] atque dividere singulis prout vult,[23] diversimode hominibus suae gratiae dona dispensat ut ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio consurgat Ecclesiae,[24] dicente Apostolo: « unicuique... data est gratia secundum mensuram donationis Christi ».[25] Quos vero, arcano praedilectionis suae consilio, altiorem tutioremque sanctificationis viam ingredi vult, eligit et vocat ad evangelica profitenda consilia, quorum auctor ipse Divinus Magister merito habetur.

18. [*Definitio descriptiva vocationis religiosae*]. Quae quidem vocatio, adaequate sumpta, duplici veluti essentiali elemento constans, altero scilicet divino, altero autem ecclesiastico,[26] gratia est specialis et excellens qua Deus quos, arcana liberaque sua voluntate, ad statum evangelicae perfectionis eligit, ad illum amplectendum congruis donis ac dotibus disponit, movet et adiuvat; ac tandem in eumdem statum per ministerium suae Ecclesiae admittit.[27]

19. [*De idoneitate positiva ad statum perfectionis: in genere*]. Iamvero, status perfectionis adquirendae natura sua peculiarem postulat idoneitatem positivam seu aptitudinem quae externe manifestari et ab Ecclesia comprobari debet. Haec vero requiritur certa, positivis argumentis suffulta, secumferens omnes dotes et qualitates physicas, intellectuales, morales et psychicas, sive naturae sive gratiae, cum genuina pietate coniunctas, quibus candidatus ad perfectionem christianam, observantia consiliorum evangelicorum prosequendam, et ad onera electi instituti sustinenda apte disponitur.[28]

20. [*De requisita immunitate ab impedimentis et recta intentione*]. Insuper, ut candidatus vocationem prosequi valeat, haud sufficit aptitudo adaequate comprobata; sed attendi quoque debent impedimenta quibus admissio ad electum institutum interdicitur. Tandem, requiritur recta intentio qua ipse sincere moveatur ad hunc statum amplectendum eumque revera desideret et libere eligat ex supernaturalibus motivis, ut scilicet soli Deo placeat animaeque saluti et sanctificationi consulat.

21. [*Divina vocatio ex signis certis dignoscenda*]. Etsi divina vocatio in seipsa omni humano intellectui directe impervia sit, adsunt tamen in divinitus vocato signa certa et sufficientia quibus nisus, tum ipse a Deo vocatum esse merito se aestimare potest et debet, tum legitimus Superior illum tamquam

divinitus vocatum tuto agnoscere atque in publicum Ecclesiae statum rite admittere valet. Haec tria supra numerata, scilicet: idoneitas positiva, immunitas ab impedimentis et recta intentio, tamquam divinae vocationis signa necessaria et sufficientia proculdubio habenda sunt.

In adulescentulis autem, qui primae Divini Magistri secretae invitationi annuunt, haec nondum solent esse perfecte evoluta nec de futuro omnem excludere incertitudinem. Attamen haud desint oportet quaedam saltem genuina indicia quae spem afferant eos vitam professione consiliorum evangelicorum Deo consecratam digne ac fideliter ducere posse.

22. [*De universali vocatione divina ad perfectionem*]. Cum benignissimus Dominus, absque personarum acceptione fideles ad perfectionem sequendam et exercendam invitaverit,[29] in religionem aliudve institutum status perfectionis, clericale sive laicale, admitti potest quilibet catholicus qui signa certa et sufficientia vocationis praeseferat, nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur, et ad onera vitae amplectendae ferenda sit idoneus.[30]

23. [*Nemo a vocatione sua prosequenda impediendus*]. Quare, nemini licet a statu perfectionis in aliquo instituto amplectendo vere idoneos avertere aut impedire, nisi urgeat adimpletio alicuius praecepti divini in casu praevalentis vel agatur de clerico in Sacris constituto cuius discessus in grave animarum detrimentum cedat quod aliter vitari minime possit.[31]

24. [*Nemo invitus ad statum perfectionis amplectendum cogendus*]. Quamvis haud sine gravi periculo sit vocationem certo sibi agnitam negligere, nemo tamen ad statum perfectionis suscipiendum quovis modo umquam cogatur; sciantque omnes quod ad validam admissionem in novitiatum et professionem, plena ab omni coactione libertas lege ecclesiastica requiritur.[32]

25. [*Nemo non vocatus statum perfectionis suscipiat in eove remaneat*]. Grave quoque esset si non vocati aut non rite dispositi, statum perfectionis temere amplecterentur in eoque, dum adhuc facultas sit discedendi, permanere statuerint. Propterea, bene intelligant candidati ipsis non expedire hunc nobilissimum statum amplecti nec malum esse ab illo recedere quando de prudentis viri consulto error circa propriam vocationem detegitur vel eorum ineptitudo comperitur.[33]

26. [*Vocati obligatio perseverandi in statu rite suscepto*]. Etsi vocationi divinae sibi certo compertae non obsequi gravi spirituali detrimento animum exponat, sane, periculosior est infidelitas qua status perfectionis, quem quis vocatione divina certo probata amplexus est, leviter ideoque culpabiliter, deseritur. Etenim, personae Deo consecratio in quovis statu perfectionis de se perpetua est; ideoque, quando professio fit ad tempus, ad professionem perpetuam tempore suo emittendam tendit, vel saltem, si ita in instituto habetur, ad eam semper iterandam. Benignissimus Deus, hunc statum ingressos ita congruis copiosisque suae gratiae auxiliis prosequitur ut defectio a vera divina vocatione iuste damnetur.[34]

27. [*Deminutio vocationum religiosarum arcenda*]. Valde dolendum est vocationes religiosas, sicut et sacerdotales, pluribus in locis in dies rariores fieri. Inter huiusmodi deminutionis causas proculdubio recenseri debent tum morum relaxatio in individuis, in familiis et in societate, tum hodiernae vitae affluentia commoda et oblectamenta quae iuvenum animum saepe debilitant et ad saeculum haud levi pondere attrahunt in eoque retinent.[35]

Quapropter, seria conamina ab omnibus ad quos spectat adhibeantur, ut vocationibus religiosis novum detur incrementum exigentiis temporum nostrorum plane respondens.

NOTAE

* Caput X, sub hac Sectione Tertia in indice generali Capitulorum positum, ad Partem Secundam totius schematis transfertur ut in proprio loco indicabitur (cf. p. 484).

[22] Cf. *Sap.* VIII, 1.

[23] Cf. *I Cor.* XII, 11.

[24] Cf. D. TH., *Summa Th.,* I-II, q. 112 a. 4; q. 183, a. 2.

[25] Cf. *Eph.,* IV, 7.

[26] Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956, II: AAS, vol. XLVIII (1956), p. 357.

[27] Const. Apost. cit., *ibid.*

[28] Cf. Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* d. 20 dec. 1935: AAS, vol. XXVIII (1936), p. 40.

[29] Cf. Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia,* d. 2 febr. 1947: AAS, vol. XXXIX (1947), p. 117; *Matth.* V, 48; XIX, 12; *Col.* IV, 12; *Iac.* I, 4.

[30] Cf. can. 538.

[31] Cf. can. 542 § 2.

[32] Cf. can. 542, 1°; 572 § 1, 4°.

[33] Cf. Instruct. S. C. de Relig. d. 2 febr. 1961, n. 20.

[34] Cf. Instruct. citata, n. 28.

[35] Cf. Epist. S. PII X *Cum primum* ad Magist. Gen. O. P., d. 4 aug. 1913: AAS, vol. V (1913), pp. 388-389.

PARS SECUNDA

DISCIPLINA DE RENOVATIONE VITAE ET OPERAE IN INSTITUTIS STATUS PERFECTIONIS ADQUIRENDAE

SECTIO PRIMA

DE ACCOMMODATA RENOVATIONE VITAE RELIGIOSAE

CAPUT XI

DE IPSA VITA RELIGIOSA RENOVANDA IN GENERE

1. [*De excellentia institutorum status perfectionis adquirendae*]. Neminem latere potest quanta excellentia praestent Instituta status perfectionis quorum sodales Divinum omnis sanctitatis Exemplar, Iesum Christum, arctiore imitatione prosequentes, electissimam Mystici Corporis Christi portionem constituunt,[1] atque non solum propriae animae sanctificationi et saluti consulunt, sed universae quoque Ecclesiae civilique societati, quibus tantam per saecula attulerunt et adhuc afferunt utilitatem.[2]

2. [*De speciali praestantia institutorum vitae contemplativae monasticae*]. Speciali autem praerogativa omnino praestant Instituta vitae contemplativae, in Ecclesia, cui « perpetuum decus exstant et coelestium scatebra gratiarum ».[3]

Etenim, licet omnes asseclae status perfectionis adquirendae, ad divinam internam contemplationem invitentur,[4] instituta tamen vitae contemplativae, quae scilicet ad contemplationi vacandum secundum peculiarem et traditionalem formam monasticam integre ordinantur,[5] cum in Corpore Mystico Christi suas partes semper habeant atque ipsa rei natura ad uberrimos fructus Ecclesiae afferendos aptissima sint, tamquam nostris non minus quam antiquis temporibus plane consentanea habenda sunt ideoque omnino fovenda.[6]

3. [*De necessitate vitae religiosae renovandae in Institutis*]. Ut autem instituta status perfectionis sanctitate iugiter floreant atque crescentibus in dies Ecclesiae animarumque necessitatibus efficaciter occurrere valeant, maxime oportet ut in eis vita religiosa, spiritu unicuique proprio fideliter servato, prudenti consilio fortique animo renovetur.[7]

4. [*Conditio fundamentalis renovationis peragendae*]. Vitae autem religiosae renovatio obtineri nequit, nisi concurrentibus omnibus instituti sodalibus, imprimis Superioribus, quibus speciale incumbit officium illam verbo et exemplo constanter promovendi.[8]

Quae, ut recte et tuto procedat, omnes prae oculis habeant statum perfectionis, quem Deo vocante amplexi sunt, ordinis esse supernaturalis; ideo-

que, naturalibus auxiliis haud spretis, primatum supernaturalibus principiis, motivis et mediis, non solum in doctrina sed etiam in praxi tribuant, vitamque interiorem assidua oratione et virtutum exercitatione magis magisque augere contendant.

5. [*Duplex processus renovationis peragendae*]. Renovatio in institutis status perfectionis duplici sane processu efficitur:

Restauratione pristinorum, ubi opus sit, ea scilicet resumendo quae vel ad genuinam rationem religiosae vitae necessaria sunt vel Instituto iam a primordiis fuerunt propria aut subsequentibus temporibus legitime inducta, quorum amissio detrimento evasisse compertum est; necnon, *accommodatione,* qua Institutum intra ambitum finis sui et iuxta spiritum proprium, ad progredientis temporis ac locorum exigentias, in sua vivendi et operandi ratione congruenter aptatur.

6. [*Restauratio: criterium fundamentale*]. Praeprimis, sodales status perfectionis solliciti sint vitam et operam ad normam Regulae et Constitutionum quam fidelissime componere, et, si casus fuerit, sub ductu Superiorum in pristinum restaurare ea quae ad integritatem vitae religiosae pertinent et ad finem specialem instituti requiruntur.[9]

7. [*Accommodatio: criterium fundamentale*]. In ipsa vita religiosa accommodanda, ii ad quos tam grave officium pertinet caute at viriliter procedant, semper intuentes propositum ac genuinum spiritum Fundatorum, prout ab Ecclesia approbatum, necnon venerabiles traditiones in proprio instituto receptas, quibus omnis sana accommodatio conveniat oportet.[10]

Generatim, nihil innovetur circa naturam, finem et spiritum, quae instituti patrimonium constituunt sancte praeservandum et posteris fideliter transmittendum.[11] Quandoque tamen, expedire potest ut, probante Sancta Sede, alicuius instituti specialis finis qui in hodiernis rerum adiunctis nullam amplius vel parvam habeat utilitatem in novum indoli et spiritui instituti consentaneum transmutetur vel alio compleatur.[12]

8. [*Accommodatio: criteria particularia utenda*]. Ea vero quae, cum de essentia vitae religiosae non sint, peculiari ratione pro temporum et locorum adiunctis praescripta vel inducta fuerunt, diligenti prudentique disquisitioni a Superioribus et Capitulis subiiciantur et si expediat, accommodentur.[13] Eodem modo agendum est circa alia forte de novo inducenda.

Quidquid autem sic contingat innovari nullatenus indebitam inferat relaxationem a primaeva observantia, quin potius ad ipsam roborandam, quatenus temporibus nostris adhuc congruat, dirigatur.

9. [*Accommodatio: technicae modernae assumendae*]. De his vero quae praebet humanus progressus instituta ne dubitent ea sibi assumere, prudenter tamen, quae ad Sodalium profectum vere conferre possunt, scilicet, ad eorum formationem seu institutionem religiosam, culturalem et apostolicam vel ad opera apostolatus exercenda aut etiam ad sanitatem praeservandam aliamque veram utilitatem. In quorum tamen delectu et usu nihil admittatur quod evangelicam perfectionem aut propriam cuiusque instituti indolem minus

deceat. Quare, si ista praecipue suppeditent vitae commoda quae ad spiritum mortificationis et paupertatis minuendum vel ad animas dissipandas potius tendant aut periculis vitam Deo consecratam infuscandi non vacent, generoso animo respuantur, ne de pulvere mundano religiosa corda sordescant.[14]

CAPUT XII

DE IPSA VITA RELIGIOSA RENOVANDA IN PARTICULARI

10. [*Renovatio quoad vitam interiorem sodalium*]. Exoptata haec vitae religiosae renovatio, ab ipsa Sodalium vita interiore, pro cuiusque conditione, proculdubio exordiri debet.

Qui vitam plene contemplativam profitentur, meminerint se, Divinae Maiestatis obsequio integre et publice mancipari. Ideoque, sollicite curent ut dum impensius divino cultui vacent, mortificatione sensuum spiritualique ascesi ad intimam cum Deo unionem mentis et voluntatis in solitudine contendant,[15] atque pro eadem Ecclesia ac humano genere piacula prompto animo offerant et gratias enixe postulent.[16]

Qui autem apostolatus operibus incumbunt, ne obliviscantur quod eorum impensa actuositas ex abundantia vitae interioris profluere debet, orationisque spiritu fulciri ut et plenam in salute animarum quaerenda obtineat foecunditatem. Igitur tam subditi apostolatus operibus incumbentes quam Superiores ea pro instituto acceptantes et suis sodalibus imponentes, maxime studeant ea cum exercitiis pietatis, quibus vita interior alitur, ad normam Constitutionum congruenter componere.[17]

11. [*Renovatio: quoad vitam liturgicam*]. Cum Sacra Liturgia non solum externum exercitium rituum aut caeremoniarum sit, sed imprimis, necessarius et sacratissimus cultus Dei, in Ipsius summam laudem et gloriam atque christiani populi salutem impensus, ut elementum quodammodo principale in vita Ecclesiae habenda est. Quapropter, religiosi et religiosae Sacram Liturgiam pro cuiusque instituti indole colant atque ex hoc ditissimo fonte vitam suam spiritualem assidue nutriant.

12. [*Renovatio: quoad virtutes morales cum caritate excolendas*]. Perfectio christiana quae principaliter secundum caritatem attenditur, a complexu ceterarum virtutum disiungi nequit.[18] Hae enim, non solum sunt instrumenta necessaria quibus anima in variis actibus occurrentibus ad Deum proximumque perfecte diligendum utitur; sed et ipsam animam spiritualiter coram Deo mirifice exornant illamque ita perficiunt ut vera sanctitas dari nequeat quae sit ab aliqua virtute deficiens. Quapropter, perniciose errant qui sub praetextu caritatem maxime aestimandi et supra omnia excolendi, alias virtutes vel aliquam earum despiciunt aut negligunt; hi enim, quantocumque perfectionis desiderio se reputent animatos, imperfecti certo semper remanebunt. Ideoque, qui ad perfectionem assequendam sincero animo se

accingit, omnes virtutes, nulla excepta, exercendas et acquirendas amplectatur oportet, cum vero spiritu abnegationis, mortificationis et obedientiae, in vera caritate quae est vinculum perfectionis.[19]

13. [*Renovatio: quoad mortificationem et abnegationem*]. Inter essentialia vitae religiosae connumerari debet christiana mortificatio quam nonnulli hodie silentio praetermittunt quasi rem parvi momenti, quaeque e contra magni aestimanda est assidueque exercenda.[20] Oportebit tamen discrete recognoscere receptum indicem poenitentiarum, et illis forte obsoletis aut nonnisi symbolice et perfunctorie peractis aut nocivis alias expeditiores substituere, reapse comprobatas tamquam vitae spirituali promovendae aptas, sanitati mentis et corporis contemperatas coaevorum captui perspicuas.

Foveatur pariter saecularium desideriorum abnegatio in cotidiana consuetudine vitae quae a mundo spiritualiter segregata, Deo integre consecratur et ad coelestia unice tendit.[21]

14. [*Renovatio: quoad obedientiam: notio genuina et necessitas*]. Religiosa obedientia in ea consistit subiectione, qua sodalis, facto ad Deum holocausto suae voluntatis, supernaturali fide et caritate motus, humile in omnibus quae ad normam Regulae et Constitutionum legitime praecipiuntur, Superiori praestat obsequium.

Hic traditionalis et authenticus conceptus obedientiae religiosae in ipso Evangelio fundatus, contra hodiernas erratas opiniones circa hanc virtutem fideliter est retinendus. Quare, nullatenus admitti vel tolerari potest illa obedientiae ratio hisce temporibus a quibusdam excogitata, secundum quam, simplici submissione erga Superiorem praecipientem praetermissa, subdito liceret cum eo de agendis quasi disceptare donec uterque in idem placitum consentiat.[22] Patet subditum ita se gerendo non amplius a Superioribus regi, sed propriis tantum indulgere rationibus et voluntati: quod prorsus alienum est a genuina obedientiae notione, maximeque a ratione evangelici consilii, cuius professione propria voluntas Superiori libere subicitur ad Illius exemplum imitandum qui, postquam Deo Patri dixerat: « ecce venio ut faciam voluntatem tuam »,[23] « factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ».[24]

Quoniam vero nemo ad perfectionis christianae fastigium expeditius velociusque perfecto obediente currit, ita unusquisque ad obediendum sit paratus ut in Superiore ipsum Dominum praecipientem considerans, eius iussa et optata prompte et humili animo diligenter exsequi studeat.[25]

15. [*Renovatio: quoad obedientiam: officium superioris praecipientis*]. Superior autem subditos suos plurimi faciens, cum humilitate et vera dilectione,[26] firmiter et paterne[27] eos ducere curet, ita ut ipsi ad obediendum suaviter alliciantur, non quidem humanis rationibus moti, sed tamquam se Deo eiusque voluntati tradere cupientes.

16. [*Renovatio: quoad castitatem religiosam*]. Perfecta ac perpetua castitas, quam sodales cuiusvis instituti perfectionis voluntarie profitentur, ipsos Christi imitatores et ad perfectum amorem intimioremque cum Eo spiritua-

lem conversationem assequendam expeditiores facit, immo, ad ceteros in regnum caelorum conducendos.

Sed quia haec sublimis et angelica virtus arduum valde animae imponit onus atque nimis internis externisque obnoxia est periculis, nemo de propriis viribus temere praesumat quin e contra ab omnibus ad eam tuendam quaerantur imprimis supernaturalia auxilia, scilicet: humilis et constans ad Deum precatio, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentorum devotus usus incensaque erga Dei Matrem Immaculatam pietas. His adiungantur oportet apta ascetica adiumenta quorum praecipua sunt: sedula assiduaque vigilantia cordis et sensuum, asperitas vitae et carnis mortificatio.[28] Nec praetermittenda sunt praecepta illius pudicitiae quae « castitatis prudentia » [29] merito dicta est, quaeque eos maxime decet qui se totos Christo consecratos esse gloriantur.[30]

17. [*Renovatio: quoad paupertatem individualem*]. Paupertas evangelica, qua religiosus, ex supernaturali motivo Christi paupertatem imitandi, temporalium bonorum dominium penitus abdicat vel saltem eorum liberae dispositioni, usui et usuifructui renuntiat, eum in ipsis quae ad vitam necessaria sunt, a Superioribus omnino dependentem reddit. Ad veram autem paupertatem religiosam assequendam haud sufficit haec a Superioribus dependentia; sed eidem sociandus est rerum temporalium usus reapse pauper, indoli propriae cuiusque instituti consentaneus.

Ideoque, religiosus ad modum pauperum se gerere debet, rebus quibus reapse indiget moderate utendo et a superfluis commoditatibus etsi dono vel minore pretio oblatis pariterque ab expensis haud necessariis sedule abstinendo. Sola hac ratione, a cupiditatibus mundanis plene liberatus et terrenis alienus factus, ad Deum sincere ac totali affectu fertur.[31]

18. [*Renovatio: quoad paupertatem collectivam*]. Religiosa autem paupertas non in sola sodalium vita individuali servanda est; verumtamen, etiam in tota collectivitate relucere debet.[32] Certe, bona temporalia instituti, fideliter ac prudenter ad normam iuris administranda sunt, tamquam Ecclesiae et pauperum patrimonium sacrum; sed id fiat oportet vero spiritu paupertatis congruentique moderamine,[33] ne ob nimiam bonorum communium affluentiam, talis spiritus in ipsis sodalibus periclitetur et testimonium paupertatis evangelicae, mundo dandum, minus perspicuum evadat vel penitus evanescat.

Quare, amoveantur oportet in institutis luxus et immoderata bonorum accumulatio; atque in modo vivendi ratio habeatur conditionum loci et incolarum. Domus religiosae exigentiis vitae et laboris communitatis sane respondeant; in iis autem aedificandis et exornandis, curandum est ut, dum ad silentium tutandum et animae recollectionem conciliandam vere aptentur, indolem religiosae paupertatis externe quoque praeseferant atque omnis excessus qui populi admirationem iuste provocare possit caute vitetur.

19. [*Renovatio: quoad paupertatem in modernis inventis servandam*]. Item, in hodiernis inventis quae vere et serio utilia sunt, religiosi sive Supe-

riores sive subditi, semper memores sint paupertatis evangelicae quam professi sunt, et rationem agendi saecularium, etsi honestam minus tamen statui pauperum congruentem, sedule devitent.[34]

20. [*Renovatio: congrua a mundo segregatio*]. Insuper, ad illibatam vitam religiosam integre servandam, quicumque evangelicam perfectionem prosequitur, necesse est ut sese ab hoc mundo retrahat et secernat: re quidem secundum ea quae propria requirit a Deo indita vocatio: affectu autem, penitus. Ab hoc mundo, de quo Dominus et Magister noster discipulos praemonebat suos dicens: « de mundo non estis »; [35] dilectissimus autem Apostolus: « mundus totus in maligno positus est »; [36] Doctor quoque Gentium: « mihi mundus crucifixus est, et ego mundo ».[37]

Ideoque, saecularia oblectamenta, inutile cum saecularibus commercium et in eorum domibus indebitas commorationes necnon egressus et itinera haud necessaria vel non semper utilia sedule devitent.

21. [*Renovatio: etiam in parvis communitatibus*]. Etiam in parvis communitatibus, renovatio vitae religiosae, et si opus fuerit, restauratio, est promovenda: etenim, ad regularem observantiam omnes tenentur. Propterea, in singulis institutis, normae habeantur quae clare et modo efficaci definiant regimen parvarum communitatum necnon, attentis circumstantiis particularibus, praesertim apostolatus exigentiis, disciplinam ab omnibus observandam.

Illis quoque sodalibus qui iusta de causa, praesertim ob missionalem apostolatum, probantibus Superioribus, extra instituti proprii domos canonice erectas dispersim degunt, aptis normis provideri debet ad eorum vitam spiritualem, disciplinam et operam rite tuendam et fovendam.

22. [*Renovatio: in locis missionum aliisque aequiparatis*]. Cum status perfectionis adquirendae ad integritatem Corporis Christi Mystici pertineat, in quibuscumque terrae regionibus, inde a prima Ecclesiae implantatione, prout adiuncta ferunt, diligenter promovendus ac fovendus est, non solum ad opera apostolatus exercenda, sed etiam ad vitam contemplativam excolendam.[38]

Ut autem vita religiosa in istis locis rite constituatur et ordinetur, necesse est indolis morumque incolarum necnon loci consuetudinum et conditionum rationem habere. Ideoque, illi ad quos res spectat mature perpendant an tale propositum ad effectum adduci possit fundationibus institutorum iam existentium congruenter accommodatis, vel potius deveniendum sit ad nova instituta erigenda quae peculiaribus locorum adiunctis plane respondeant.

23. [*Adhortatio pastoralis ad vitam religiosam renovandam*]. Sacra ergo Synodus vehementer hortatur, ut omnes sodales institutorum status perfectionis maximam foveant aestimationem propriae vocationis necnon Regularum et Constitutionum, quae, post Ecclesiae approbationem, Dei voluntatem erga eos authentice exprimunt et securam perfectionis evangelicae viam ipsis ostendunt.

Vota, igitur, aliasque obligationes proprii status fideliter exsolventes et fraterna caritate mutuoque exemplo sese coadiuvantes, renovato fervore ad

sanctitatem strenue contendant, omnibus virtutibus praecellentes fructuosisque operibus abundantes; ita ut in Ecclesia Dei, christianae perfectionis exemplar magis magisque splendescere faciant et ad mundum spiritualiter renovandum ac regnum Dei latius propagandum et roborandum, pro sua cuiusque conditione, efficaciter cooperentur.

NOTAE

[1] Cf. LEO XIII, Ep. *Au milieu,* ad Card. Archiep. Paris., d. 23 iunii 1900: Acta Leonis XIII, vol. XX, p. 340; PIUS XII, Alloc. ad Congr. Statuum Perf., Romae, d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 31; Alloc. ad Congr. Stat. Perf., d. 9 dec. 1957: AAS, vol. L (1958), p. 37.

[2] Cf. LEO XIII, Ep. ad Card. Gibbons, d. 22 ian. 1899, §§ 10-12: Fontes CIC, vol. III, p. 340; Ep. ad Card. Richard, d. 23 dec. 1900: Acta Leonis XIII, vol. XX, p. 340; Ep. ad Superiores Gen., d. 29 iunii 1901: Fontes CIC, vol. III, p. 646; PIUS XI, Ep. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* d. 19 martii 1924: AAS, XVI (1924), p. 133; PIUS XII, Ep. ad Card. Micara, d. 12 nov. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 25.

[3] PIUS XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf., d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 33.

[4] Cf. Const. Apost. *Sponsa Christi,* Statuta Adnexa, art. II § 2: AAS, vol. XLIII (1951), p. 15.

[5] Cf. PIUS XII, Alloc. Radioph. ad Moniales, I, d. 19 iulii 1958: AAS, vol. L (1958), pp. 565-567.

[6] Cf. Alloc. cit. II, ibid., p. 570; PIUS XII, Alloc. Conventui studiorum de Monachatu, d. 11 aprilis 1958: AAS, vol. L (1958), p. 285.

[7] Cf. PIUS XII, Ep. ad Card. Micara, d. 12 nov. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 25; Alloc. ad Congr. Statum Perf., d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 31.

[8] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Relig. d. 9 dec. 1957: AAS, vol. L (1958), p. 37.

[9] Cf. PIUS XI, Ep. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* d. 19 martii 1924: AAS, vol. XVI (1924), p. 135.

[10] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Sup. Gen., d. 11 febr. 1958: AAS, vol. L (1958), pp. 154-155.

[11] Cf. PIUS XII, Alloc. d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 34.

[12] Cf. PIUS XI, Ep. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* d. 19 martii 1924: AAS, vol. XVI (1924), p. 135; PIUS XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf. d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 33.

[13] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf. d. 9 dec. 1957: AAS, vol. L (1958), p. 36.

[14] Cf. Litt. S. C. de Religiosis, mense aug. 1957 ad Sup. Gen., de usu Radiophonii et Televisionis, § 4, 7.

[15] Cf. PIUS XII, Alloc. Radioph. ad Moniales, II, d. 25 iulii 1958: AAS, vol. L (1958), p. 570.

[16] Cf. PIUS XII, Alloc. cit. III, d. 2 aug., ibid., pp. 584-585.

[17] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf., d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 32.

[18] S. THOMAS, *Summa Th.* II^a-II^{ae}, q. 184, a. 1 ad 2.
[19] Cf. *Col.* III, 14.
[20] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf., d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 34; Alloc. ad PP. Iesuitas, d. 10 sept. 1957: AAS, vol. XLIX (1957), p. 808.
[21] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Sup. Gen., d. 11 febr. 1958: AAS, vol. L (1958), p. 156.
[22] Cf. PIUS XII, Alloc. cit. ad PP. Iesuitas: ibid., pp. 807-808.
[23] Cf. Ps. XXXIX, 8.
[24] *Phil.* II, 8. Cf. PIUS XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf., d. 9 dec. 1957: AAS, vol. 4 (1958), p. 38.
[25] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf., d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 30; Alloc. d. 9 dec. 1957: AAS, vol. L (1958), p. 38 ss.
[26] Instr. S. C. de Relig. d. 18 aug. 1915: Enchirid. de Stat. Perf., n. 286, p. 343.
[27] PIUS XII, Alloc. ad Religiosas, d. 15 sept. 1952: AAS, vol. XLIV (1952), p. 825.
[28] Cf. PIUS XII, Encycl. *Sacra Virginitas,* d. 25 martii 1954: AAS, vol. XLVI (1954), p. 186.
[29] PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* d. 25 martii 1954: l. c., p. 185.
[30] Cf. Litt. Encycl. cit., ibid., pp. 185-186.
[31] PIUS XII, Alloc. ad Carmelit. Discalc., d. 23 sept. 1951: AAS, vol. XLIII (1951), p. 737.
[32] Cf. PIUS XII, Alloc. ad FF. Minores, d. 24 maii 1951: *L'Osservatore Romano.*
[33] Cf. S. THOMAS, *Summ. Theol.* II^a-II^{ae}, q. 188, a. 7.
[34] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Soc. Iesu, d. 10 sept. 1957: AAS, vol. XLIX (1957), p. 808.
[35] *Ioann.* XV, 19.
[36] *I Ioann.* V, 19.
[37] *Gal.* VI, 14. Cf. PIUS XII, Alloc. ad Mod. Gen. Romae, d. 11 febr. 1958: AAS, vol. L (1958), p. 156.
[38] Cf. PIUS XII, Epist. ad Relig. Lusitaniae, d. 3 aprilis 1958: AAS, vol. L (1958), p. 315; Alloc. Conventui studiorum de Monachatu, d. 11 aprilis 1958: AAS, vol. L (1958), p. 285.

CAPUT XIII

DE CONSTITUTIONIBUS, « DIRECTORIIS », « CONSUETUDINARIIS » ALIISQUE CODICIBUS CONGRUENTER TEMPORIBUS NOSTRIS APTANDIS

24. [*Necessitas aptandi codices vitae religiosae*]. Cum sodales statuum perfectionis Evangelica consilia profiteantur et apostolatum exerceant secundum proprias cuiusque instituti leges, ut vitae religiosae piaeque actuositatis renovatio, a Sacra Synodo exoptata, pleniorem obtineat effectum, oportet omnino institutorum Constitutiones, « Directoria », « Consuetudinaria », ut

aiunt, aliosque id genus codices quibus hae leges continentur, explicantur et applicantur, « hominum et temporum ingenio et necessitatibus » [39] congruenter aptari.

Huius quidem aptationis necessitas eo magis urget quod non solum ab externa evolutione temporum et rerum imponatur; sed intimius profluit etiam ex obligatione spiritum Fundatoris et instituti iugiter conservandi vivum et vivificantem, ideoque hodiernis vitae asceticae et apostolatus conditionibus plane adhaerentem; cui certo graviter obstaret mera materialis fidelitas litterae antiquae, si revolventibus annis forte obsoleta facta esset.[40]

25. [*Criterium ad aptationem recte faciendam*]. In Constitutionibus aliisque codicibus aptandis, nihil circa instituti naturam, finem et spiritum est innovandum vel demendum, salvo casu in quo finis specialis instituti, ut supra statutum est, transmutandus vel complendus sit.

Aequa ratione etiam curandum est ne Constitutiones, praesertim illae quae nulli Regulae adnectuntur, tamquam rigidus et nimis aridus codex appareant. Quapropter, brevia spiritualis et religiosae vitae documenta, maxime quae spiritum proprium instituti apte proponunt, firmant et applicant, utilia reputanda sunt et digna quae commendentur.

26. [*Quaedam capita vitae religiosae aptanda*]. Inter alia quae, in Constitutionibus, « Directoriis », « Consuetudinariis » aliisque codicibus instituti aptatione indigere possent, specialiter recensentur:

1) quae inefficacia evaserunt vel amplius observari nequeunt, eo quod mira vel insolita nimis apparent aut quemdam sterilem archaismum praeseferunt;

2) quae classes sodalium spectant;

3) quae ad regimen instituti pertinent quoad Superiores, consilia et capitula ut gubernatio recte ordinetur;

4) quae referuntur ad poenitentias ita obsoletas ut regularis observantia careat debita sanctione;

5) quae rationabili curae sanitatis forte adversantur, cauto tamen ne detrimentum patiantur praxis et spiritus mortificationis, quae in omni instituto perfectionis pro cuiusque indole semper vigere debent;

6) quae speciatim circa horaria et exercitia in communi peragenda hodierni apostolatus exigentiis et receptis moribus sint accommodanda;

7) quae modernae technicae inventa spectant, attentis iis quae supra hac de re statuta sunt.

27. [*Aptatio obligatoria: munus Superiorum*]. In singulis institutis status perfectionis, speciale erit officium Superiorum procurare ut Constitutiones, « Directoria », « Consuetudinaria » aliique codices, attento examini et serio studio, maxime quidem suorum consiliorum et capituli generalis, convenienti et efficaci modo subiiciantur. Re accurate considerata et mature perpensa, si quid in iisdem appareat esse mutandum vel de novo inducendum, prudenti consilio fortique animo omnes ad quos pertinet id perficiant, salva

legitima approbatione expostulanda, si de mutando textu agatur ab Ecclesia approbato.

Cum ergo praedictum examen et studium obligatoria sint, quicumque in iis perficiendis partem habent, de ratione et opportunitate textus examinatos modificandi pro sua prudentia et conscientia libere iudicare debent.

28. [*Aptatio obligatoria: circa textus venerabiles*]. Aptationi Constitutionum aliorumque codicum instituti obstare nequit quod textus emendandus ab ipso Fundatore sit exaratus, vel venerabili traditione commendatus. Ii enim codices, suapte natura indolem legislativam imprimis habent, ideoque eorum valor ab efficacia pendet quam ipsi pro temporum adiunctis ad vitam et operam instituti moderandam reapse retinent.

Sicut Legiferi Patres leges tulerunt, pro sua prudentia, temporibus suis accommodatas; ita nunc, ut eorum sacra hereditas semper vivens et foecunda permaneant, secundum novas exigentias et conditiones a suis filiis prudenter retractari oportet.

Caput XIV

DE INSTITUTIS STATUUM PERFECTIONIS UNIENDIS, SUPPRIMENDIS VEL DE NOVO CONDENDIS

29. [*Necessitas arctioris unionis inter instituta*]. Hodierna rerum adiuncta, quae ad regnum Dei promovendum ac dilatandum, arctiorem in variis apostolatus campis animorum et virium exigunt unionem, instituta status perfectionis impellunt ad intimiorem caritatem strictioremque inter se unitatem, cum in proprium tum in fidelium emolumentum enixe quaerendam.

Itaque Sacra Synodus, exempla institutorum quae foederibus fraternis iam sociari coeperunt plene comprobans, caetera hortatur, ut pro eorum gradu affinitatis et rei opportunitate, arctiores inter se uniones sub ductu Sanctae Sedis promoveant, fine et spiritu cuique propriis fideliter servatis.

30. [*De unione institutorum commendanda*]. Imprimis Sacra Synodus valde commendat ut familiae religiosae quae similes fere habent Constitutiones et usus eodemque spiritu animantur, praesertim si adhuc parvo exstent numero, ad quamdam unitatem reducantur, quatenus iudicio Sanctae Sedis expedire videatur.

31. [*Unio institutorum eiusdem generis operum*]. Instituta vero indole etiam diversa sed iisdem aut similibus operibus externis dedita opportune consociari possunt, saltem intra regionis vel nationis limites, quo mutuum adiutorium idque valde proficuum, sibi praestare valeant, praesertim in sodalibus ad opera explenda rite instituendis ipsisque operibus maiori cum facilitate et fructu exercendis.

32. [*Foederatio et confoederatio monasteriorum sui iuris*]. Monasteriis sui iuris, enixe commendatur ut in foederationes et confoederationes coalescere summopere studeant, non solum ad spiritum primaevum Ordinis con-

servandum, verum etiam ad fraternum sibi mutuo praestandum adiutorium, « tam in regularis observantiae conservatione, defensione, incremento rebusque oeconomicis, quam in omnibus aliis ».[41]

Hae confoederationes et foederationes regantur oportet statutis a Sede Apostolica approbatis, quae essentiali et necessariae autonomiae singulorum monasteriorum haud derogent; caveatur praeterea ne « quomodolibet clausurae vigor enervetur vel recollectioni vitaeque monasticae severiori disciplinae damnum inferatur ».[42]

33. [*De Superiorum Maiorum « conferentiis »*]. Omnia vero instituta, etiamsi nullam peculiarem inter se affinitatem praeseferant, per sic dictas conferentias seu consilia Superiorum Maiorum utiliter sociantur. Etenim, ex amplissima iam habita experientia perspectum est quantum hae conferentiae proficere possint ad pleniorem assecutionem finis singulorum institutorum, ad efficaciorem conspirationem fovendam cum aliis in bonum Ecclesiae operantibus, ad aequiorem distributionem operariorum evangelicorum in determinato territorio necnon ad communia religiosorum negotia tractanda.

34. [*Normae pro « conferentiis »: constitutio et subiectio*]. « Conferentiae » Superiorum Maiorum quae per regiones vel nationes vel etiam inter nationes constituuntur, sunt personae morales ecclesiasticae atque statutis regantur approbatis a Sancta Sede, a qua directe dependent.

Sacros Praesules qua par est reverentia prosequantur atque, consultationibus cum Ipsis initis, studeant in commune bonum Ecclesiae et animarum concorditer adlaborare.

35. [*Normae pro « conferentiis »: potestas in negotiis gerendis*]. « Conferentiae » Superiorum Maiorum negotia et quaestiones secundum propria statuta pertractant.

Nullam tamen potestatem habent institutis imponendi deductiones et decisiones ad quas devenerint. Harum enim executio prudentiae singulorum Superiorum, propriis quidem Constitutionibus servatis, perficienda relinquitur, exceptis illis provisionibus quae ad vitam ipsius « conferentiae » directe referuntur.

36. [*De institutis languescentibus*]. Instituta languescentia, quae, iudicio Sanctae Sedis, nullam amplius praebeant fundatam spem incrementi, alii instituto vegetiori, quod fine et spiritu haud multum differat uniantur, ne detrimentum pati pergant animae Deo sacratae. Quod si plane constet huiusmodi unionem, quacumque de causa, impossibilem esse vel non expedire, talia instituta prohibeantur ne in posterum novitios recipiant.

Idem servetur pro monasteriis sui iuris, quorum deterior conditio nec per foederationem nec per aliam viam sublevari possit.

In omnibus istis casibus, illi ad quos spectat, magna cum prudentia et caritate se gerant, et perfecta aequitate semper servata, solliciti sint de sorte sodalium qui renuunt alii instituto sociari vel in aliud transire.

37. [*De novis institutis numero temperandis*]. Indubium est Spiritum Sanctum nova et multiformia instituta status perfectionis quae Ecclesiae sub-

sidio sint et ornamento semper et opportune excitare. Nihilominus, in novis institutis promovendis et erigendis, moderate et prudenter semper procedendum est. Ideoque, instituti condendi necessitas vel saltem magna utilitas necnon incrementi possibilitas, ab omnibus ad quos spectat serio ponderandae sunt, ne incaute oriantur instituta inutilia aut sufficienti vigore destituta.[43]

38. [*De institutis iuris dioecesani ad gradum iuris pontificii evehendis*]. Cum instituta status perfectionis in sua iuridica ordinatione substantiali a Sancta Sede praeformentur communique iure pontificio fundamentaliter regantur, connaturale omnino est ut instituta iuris dioecesani, sufficientem maturitatem et propagationem semel adepta, ad gradum instituti iuris pontificii, servatis servandis evehantur.

Quapropter tempestive providendum est ut religiones, societates vitae communis sine votis necnon instituta saecularia iuris dioecesani, cum primum conditiones ad pontificiam approbationem consequendam praescriptas obtinuerint, eam sollicita cura implorent.

Caput XV

DE HABITU RELIGIOSO

39. [*De honore habitui religioso debito*]. Habitus religiosus sive virorum, sive mulierum, cum ad personae consecrationem, separationem a mundo et vitae sanctitatem significandam ordinetur, ut quid sacrum fideliter et digne est deferendus atque ab omnibus in honore habendus.[44]

40. [*Qualitates habitus religiosi*]. Sit igitur simplex ac modestus, pauper simul et decens, sanitatis postulatis consentaneus et temporum locorumque adiunctis necnon ministerii necessitatibus accommodatus.

41. [*Emendatio obligatoria habitus religiosi in aliquo deficientis*]. Hae autem normae non ad sola Instituta condenda spectant, sed etiam ad Instituta iam existentia; quorum habitus, si opus sit, ita, approbante Sancta Sede, immutandus est ut cum iisdem normis plene congruat.

42. [*Obligatio deferendi habitum eiusque substitutio*]. Firma manente generali obligatione religiosorum proprium habitum suae religionis, tum intra tum extra domum deferendi,[45] si Superioribus opportunum visum fuerit, religiosi clerici extra domum vestimentum induere possunt ad instar vestimenti Cleri saecularis regionis; religiosi vero laici, habitum pro locorum adiunctis convenientem.

NOTAE

[39] Pius XII, Alloc. ad Congr. Stat. Perf., d. 8 dec. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 34.

[40] Cf. Pius XII, Epist. *Laetanti admodum,* d. 17 nov. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 25

[41] Instr. S. Congr. de Relig. *Inter praeclara* ad Const. Apost. *Sponsa Christi* in praxim deducendam, d. 23 nov. 1950: AAS, vol. XLIII (1951), p. 41. Cf. etiam Const. Apost. *Sponsa Christi,* art. VII, § 7, 2°, ibid., p. 19.

[42] Const. Apost. *Sponsa Christi,* ibid., p. 13.

[43] Cf. Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia,* d. 2 febr. 1947: AAS, vol. XXXIX (1947), p. 119.

[44] Cf. S. Th., *II^{a}-II^{ae}*, q. 185, a. 8; q. 187, a. 6.

[45] Cf. can. 596.

Sectio secunda

DE ALUMNORUM STATUUM PERFECTIONIS INSTITUTIONE

Caput XVI *

DE ALUMNORUM INSTITUTIONE IN GENERE

43. [*De alumnorum institutionis necessitate*]. Quam vigilans Mater Ecclesia tantopere exoptat institutorum status perfectionis accommodata renovatio, maxime pendet ab illa integra aptaque alumnorum institutione, qua ipsi, a primis vocationis germinibus, assidua cura congruentique ratione instruuntur, educantur et exercentur, tum ad vitam religiosam ferventi perseverantique animo ducendam, tum ad opera instituti, pro cuiusque conditione, supernaturali cum zelo rite ac fructuose explenda.[1]

44. [*Quam late patent normae de alumnorum institutione*]. Normae vero quae de alumnorum institutione hic traduntur, non tantum clericos spectant; sed, nisi ex rei natura vel sermonis contextu aliter constet, ceteros quoque sodales utriusque sexus instituendos, monialibus non exclusis, quibus omnibus pro subiecta materia debitaque cum proportione applicandae sunt.

Ecquidem, horum formatio, sicut et clericorum, fini religiosae vitae et proprii instituti plene respondere debet, omnia complectens elementa quae illam faciunt integram, super fundamento personalitatis moralis convenienter evolutae exstruendam.

Insuper considerandum est munera religiosis laicis, sive viris sive mulieribus, in Ecclesia concredita, eosdem clericis in apostolatu magis ac magis adsociare; atque saepe in aliquibus professionibus seu artibus exercendis, ipsos cum personis eiusdem professionis vel artis aut cum administratoribus civi-

* Capita XVI-XXXI discussa sunt a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in sexta et septima congregatione sessionis sextae, diebus 9-10 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 1116-1180.

libus a quibus pendet frequens habere commercium. Quae omnia pleniorem et firmiorem sodalium formationem proculdubio exigunt ut munera sua in futuro rite obire valeant et in iisdem explendis propriae sciant quaerere sanctificationis incrementum et robur.[2]

45. [*De superiorum officio instituendi alumnos*]. Quapropter, Superiores institutorum status perfectionis, sive virorum sive mulierum, gravi officio conscientiae tenentur curandi ut aspirantes, novitii necnon professi, pro instituti indole aptam atque undequaque completam per praescriptum tempus recipiant institutionem, ad illam quidem excellentiam adducendam « quam peculiaris statuum perfectionis dignitas eorumque in Mystico Christi Corpore munera exigunt ».[3]

46. [*De generali indole institutionis alumnorum*]. Ut tanto fini alumnorum status perfectionis institutio plene respondeat, omnino esse debet « secura, illuminata, solida atque vere integra »,[4] totum scilicet hominem cum naturali tum supernaturali ratione complectens et quidem, pro omnibus: sub duplici respectu vocationis religiosae et apostolicae; pro sacerdotio autem destinatis, etiam sub respectu vocationis clericalis.[5]

Ideoque, nihil prorsus neglegatur, quod ad corpus animumque perficiendum et ad omnes naturales virtutes excolendas quolibet modo conferat, ita ut supernaturalis deinde sive religiosa sive sacerdotalis institutio huic solidissimo inhaereat naturalis honestatis excultaeque humanitatis fundamento.[6]

Insuper, retinendum est alumnorum institutionem pleniorem non posse obtinere effectum nisi ipsa sit « sapienter et audacter hodiernis sive internis sive externis necessitatibus accommodata, assidue exculta vigilanterque probata ».[7]

47. [*Formatio « personalitatis » alumnorum*]. In hoc adeo gravi et implexo munere, Superiores, Magistri et Directores semper prae oculis habeant alumnorum institutionem, etiam ad vitam religiosam, non a sola eorum externa quantacumque diligenti opera pendere, sed a propria quoque alumni industria quae eo maior erit quo plus aetate et rerum cognitione progredietur. Non quod ei integrum sit, ut quidam temere contendunt, ingenio atque arbitratu plane suo seipsum informare,[8] sed, sub prudenti educatorum ductu ac influxu, et divina iuvante gratia, proprias ipse latentes vires et facultates apte exercere debet, easque, sic gradatim evolutas, ad maturitatem ac perfectionem adducere.

Curent igitur educatores ut alumni indoles non comprimatur sed recte conformetur, inordinatas eius inclinationes cohibendo, bonas autem promovendo et peculiares aptitudines et dispositiones quae cum vita religiosa componi possunt ad perfectiora dirigendo; simulque ita cum iuveni agant ut, se suorum operum auctorem esse eorumque rationem sibi reddendam magis magisque sentiens atque de hominibus et de eventibus maturius in dies iudicium ferens, semetipsum prudenter moderari et libertate sapienter uti addiscat.[9]

Ipsi vero maxime inculcandum est ut, spontaneis impulsibus sub volun-

tatis dominio redactis, divinae humanaeque legi ultro se subiiciat atque omnia peragere assuescat iuxta dictamina rectae conscientiae, fide illuminatae. Tunc vero, caritate Dei et proximi motus supernaturalibusque auxiliis fretus, ad opera bona, illo se generoso animo accingat, quo in sanctimoniae culmina ascendere valeat, enixe studens ut in seipso homo in Christo Iesu perfectus quotidie formetur ac roboretur.[10]

Qua ratione exculta, alumni « personalitas », quam vocant, sine periculo, immo magno cum proventu in dies efflorescet, donec ipse occurrat « in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi »,[11] qui finis est ultimus christianae institutionis, maxime pro illis qui se Dominum Iesum propius secuturos esse profitentur.

NOTAE

[1] Cf. PIUS X, Epist. Apost. ad Gen. Mag. O. P., d. 4 augusti 1913: *A.A.S.*, Vol. V (1913), pp. 388-389.

[2] Cf. PIUS XI, Epist. Apost. d. 19 martii 1924 *Unigenitus Dei Filius,* ad Sup. Gen.: *A.A.S.*, Vol. XVI (1924), pp. 133-134.

[3] Statuta Gen. Const. Apost. *Sedes Sapientiae* adnexa, d. 7 iulii 1956, art. 1.

[4] Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956: *A.A.S.*, Vol. XLVIII (1956), p. 358.

[5] Cf. Statuta Gen. cit., art. 1.

[6] Const. Apost. *Sedes Sapientiae* cit. ibid., pp. 359-360.

[7] Const. Apost. *Sedes Sapientiae* cit. ibid., p. 358.

[8] Cf. Litt. Enc. *Divini illius Magistri,* d. 31 dec. 1929: *A.A.S.*, vol. XXII (1930), p. 69; Litt. Circ. S. C. de Seminariis d. 5 iulii 1959 (Num. 541/59), p. 6.

[9] Cf. Adhort. Apost. *Menti Nostrae,* d. 23 sept. 1950: *A.A.S.*, Vol. XLII (1950), p. 686; Alloc. PII XII ad Congr. de Statib. Perf. d. 9 dec. 1957: *A.A.S.*, Vol. L (1958), pp. 39-40.

[10] Cf. *Colos.* I, 28.

[11] *Eph.* IV, 13.

CAPUT XVII

DE ALUMNORUM EDUCATORIBUS ET DE INSTITUTIONIS DOMIBUS

48. [*De alumnorum educatoribus accurate seligendis et praeparandis*]. Omnibus in comperto est alumnorum institutionis efficacitatem et incrementum ab educatorum idoneitate et diligentia maxime pendere. Quare, haec sit norma sancte observanda ut in Superiores, Moderatores, Magistros seu Directores spiritus et professores, optimi quique sodales totius instituti probatae virtutis, solida doctrina congruentique experientia ditati adsciscantur etiam, si opus sit, ex alia provincia, monasterio seu domo.[1]

In munere autem constituti, ii ab omnibus officiis et oneribus vacare debent quae alumnorum formationem impedire vel ei nocere valeant.

49. [*De technica educatorum praeparatione*]. Technica praeparatio educatorum, qui alumnis instituendis quovis titulo praeficiuntur, etiam in institutis laicalibus tum virorum cum mulierum urget. Etenim, methodus docendi et educandi alumnos non mero sensui singulorum formatorum est relinquendus; « sed procedat oportet ex comprobatis principiis scientificis, adhibitis etiam illis artibus quae usu maxime efficaces demonstrantur novisque in dies inventis perficiuntur ».[2]

Propterea, haec praeparatio per speciales cursus et exercitationes etiam in scholis externis si opus fuerit adipiscenda est; et, in quantum fieri potest, magistri seu professores congruentibus titulis academicis vel aequiparatis, qui de eorum cultura sint certa documenta, ornati inveniantur, illi praesertim qui in disciplinis ecclesiasticis munus suum exercere debent.[3]

Insuper, in singulis institutis curandum est ut quidam habeantur sodales in scientia et arte psychologica versati; non quidem ut casus psychopaticos inter alumnos educandos forte emergentes ipsi pertractent; sed ut tempestive eos detegere queant, et si expedierit, peritis committere, normis a Sancta Sede hac in re sedule servatis.[4]

49-bis. [*Directio spiritualis commendatur*]. Pro alumnorum institutione enixe commendatur directio spiritualis a saeculis iam in usu, quae praesupponit intimae conscientiae manifestationem Sacerdoti Directori libenti animo facta et intra forum internum stricte claudendam, qua ipsi lumen, monita opportuna et efficaces impulsus accipiant ad tutius et celerius progrediendum in arduis viis sanctitatis.[5]

Director autem spiritualis ut suo gravi officio vere aptus reputari possit, non solum virtutibus, regularitate sinceraque pietate praestare debet; sed insuper callere solida de viis spiritualibus scientia et de hominum indole cognitione necnon arte, experientia comprobata, discernendi spiritus atque animos ad vitam spiritualem informandi. Tantum his munitus adiumentis, quos alumnos vere idoneos reperiat vel prudenter tales esse praesumat ad optatum portum tuto conducere poterit, ceteros autem ut a proposito suo recedant tempestive et firmiter persuadere.

50. [*Directores spirituales et confessarii accurate seligendi*]. Quare, sicut de moderatoribus et magistris dictum est, ita pariter magna cum cura seligantur omnium alumnorum directores spirituales atque confessarii, non solum clericalium sed aliorum quoque institutorum, sive virorum sive mulierum; quod maxime urget cum de alumnis agitur ad vitam religiosam instituendis.

51. [*De domibus institutioni alumnorum destinatis*]. Ut alumnorum institutio prospere succedat, variae domus hunc in finem necessariae habeantur, supellectili caeterisque subsidiis congruenter instructae.

Provideant autem competentes Superiores, etiam monasterii sui iuris, ne in formationis sedibus, plures aut pauciores sint alumni quam ut apte institui queant.

NOTAE

[1] Cf. Epist. Apost. cit., ibid., p. 143.
[2] Cf. Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* Statuta Gen. adnexa, d. 7 iulii 1956: art. 43 § 4; art. 24 § 1; art. 30 § 2, 2°.
[3] Cf. Stat. Gen. cit., art. 46 § 5.
[4] Cf. Monitum SS. Congr. S. Officii, d. 15 iulii 1961: *A.A.S.,* Vol. LIII (1961), p. 571.
[5] Cf. Leo XIII, Litt. *Testem benevolentiae,* d. 22 ianuarii 1899: *Acta Leonis,* Vol. XIX, pp. 11-12.

Caput XVIII

DE ALUMNORUM INSTITUTIONE IN SPECIE

52. [*De institutione humanistica sociali*]. Alumni statuum perfectionis ceteris adulescentibus et iuvenibus nihil cedant, quod attinet ad congruum humanitatis cultum, veram christianamque urbanitatem et in conversando comitatem cum modestia et gravitate coniunctam: quae omnia religiosum, speciatim sacerdotem atque educatorem omnino decent et apostolum valde iuvant.[1]

53. [*De institutione religiosa: quae praestare debet*]. Sed in iisdem proculdubio praestare debet religiosa institutio, quae scilicet illos ad christianam perfectionem, praeterquam per communia praecepta, per Consilia quoque Evangelica, iuxta indolem proprii instituti perducit.[2] Insuper, alumni addiscant instituti finem, spiritum, ministeria, ita ut illud tamquam propriam familiam diligant et vestigia Fundatoris ab Ecclesia probati prementes ab eiusdemque consiliis et exemplis inspirationem trahentes, suae vocationi melius respondeant.[3]

54. [*De institutione religiosa: mortificatio excolenda*]. Inter autem huius institutionis essentialia locum semper habet tum christiana mortificatio tum saecularium desideriorum in consuetudine vitae abnegatio, ambae magni aestimandae assidueque exercendae.

55. [*De institutione intellectuali: in genere*]. Alumni statuum perfectionis omnes, sive viri sive mulieres, apta intellectuali institutione donandi sunt pro cuiusvis instituti indole necnon singulorum sodalium conditione et capacitate.

Haec intellectualis institutio primum respicere debet et ipsam vitam religiosam, ita ut alumni non modo in eius disciplina exerceantur, sed eiusdem principiis et rationibus, modo cuique accommodato, sedule instruantur.

Pro clericis vero specialis urget obligatio ut in omnibus disciplinis ecclesiasticis ad normam iuris rite instituantur.

Qui autem munere docendi aliove specifico ministerio funguntur, cul-

turam professionalem acquirere debent quae illos ad haec munera vel ministeria aptos atque saecularibus eadem exercentibus haud impares reddat, necessariis titulis etiam civilibus adeptis.

Neque in ceteris sodalibus penitus negligenda est cultura intellectualis et technica.

Monialibus autem impertiatur solida institutio in sacris disciplinis earum conditioni accommodata.

56. [*De institutione apostolica*]. In toto institutionis et probationis cursu ne omittant Moderatores et Magistri animos alumnorum, pro singulorum conditione et capacitate atque iuxta mentem Ecclesiae et cuiusque instituti naturam et finem, ad apostolatum allicere, quin etiam in eodem, novitiatus anno canonico excluso, moderate et vigili ductu exercere sine tamen studiorum et regularis observantiae detrimento. Haec enim apostolatui initiatio, si recte fiat, etiam ad profundiorem supernaturalem sensum acquirendum haud parum conferre potest.[4]

Eos insuper, praesertim intra annum Pastoralem, aperte praemoneant de periculis et insidiis quae in vita apostolica occurrere possunt.

Sane, haec praeparatio alumnorum imprimis ad opera propria Instituti dirigatur oportet. Nihilominus, praesertim in anno Pastorali, extendatur, saltem sub quadam generica ratione, collata opera quatenus fieri potest cum Clero saeculari, ad varia munia sacerdotalia et curam animarum quae sacerdoti cuilibet, data occasione, contingere possunt. Tandem omnibus religiosis viris et mulieribus congruae notiones tradantur de Actione Catholica, cui ipsi secundum propriam quisque conditionem, validum auxilium afferre valent.

57. [*De sensu esthetico in alumnis excolendo*]. Toto curriculo alumni informentur ad genuinum sensum estheticum sive lectionibus sive moderato artium exercitio, speciatim ad artes sacras recte diiudicandas et pro opportunitate, modo singulis accommodato, etiam excolendas, iuxta criteria traditionalia in Ecclesia et normas a Sancta Sede datas.[5]

58. [*De institutione circa media technica communicationis socialis*]. In hodiernis mundi condicionibus amplissimus est usus mediorum communicationis socialis quae vocantur prelum, cinematographeum, radiophonia et televisio. Haec autem maximum in mentes et mores hominum influxum exercent; ideoque sicut filii tenebrarum illis cum pernicie animarum saepe utuntur, ita filii lucis ipsa tamquam aptissima apostolatus instrumenta adhibere debent.

Sodales, igitur, Statuum perfectionis, ii praesertim qui sive in docendo, sive in iuventute instituenda, sive in pastorali ministerio occupantur, de momento et usu horum mediorum rite instruantur et opportune praeparentur ad hoc genus apostolatus, secundum propriam cuiusque conditionem, rite exercendum.

Insuper illi qui muneri docendi vacant probe intelligant, iuxta Ecclesiae iam satis amplum magisterium de his mediis communicationis socialis [6] grave

proprii muneris officium esse iuvenes, in ephebeis et collegiis quibus praeponuntur, pro singulorum aetate et gradu instructionis erudiendi circa haec moderna media, praesertim circa eorum influxum in vitam religiosam et moralem hominum; quod officium adhuc gravius urget in universitatibus catholicis.

NOTAE

[1] Cf. Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* Statuta Gen. adnexa, a. 35 § 3; a. 40 § 5.

[2] Cf. Statuta Gen. citata, a. 5 § 1.

[3] Cf. Statuta Gen. citata, a. 37 §§ 1 et 2.

[4] Cf. Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* Statuta Gen. adnexa, a. 47 §§ 1 et 2.

[5] Cf. Instruct. S. Officii d. 30 iunii 1952: *A.A.S.,* Vol. XLIV (1952), pp. 542-546.

[6] Cf. Litt. Circ. S. C. de Rel. d. 6 augusti 1957 de usu radiophoniae et Televisionis; Litt. Encycl. *Miranda prorsus* Pii XII, d. 8 sept. 1957: *A.A.S.,* Vol. XLIX (1957), p. 765; Alloc. Pii XII d. 14 sept. 1956: *A.A.S.,* Vol. XLVIII (1956), p. 699; Motu Pr. *Boni Pastoris* Ioannis XXIII d. 22 febr. 1959: *A.A.S.,* Vol. LI (1959), p. 183.

Caput XIX

DE ALUMNORUM INSTITUTIONIS CURSU PROPAEDEUTICO

59. [*Divisio cursus institutionis: propaedeutici et formalis*]. Institutio alumnorum statuum perfectionis duplici cursu ad effectum perducitur: quorum prior, quem *propaedeuticum* vocant, ad hoc tendit ut praeparentur candidati, pro sua quisque vocatione, ad ipsam institutionem rite instaurandam et cum fructu prosequendam; posterior autem, qui *formalis* dicitur et ab incepto novitiatu vel a prima probatione initium sumit, eo spectat ut alumni per gradus tam plene instituantur, ut apti evadant ad vitam religiosam digne ducendam et instituti opera expedite explenda.

60. [*Cursus propaedeuticus: divisio*]. Propaedeuticus cursus vero in duas periodos dispescitur, prout agatur de candidatorum ad novitiatum praeparatione remota vel proxima.

In priori periodo, quae *adspirantatus* nuncupatur,[1] adolescens generali humana et religiosa cultura, praecipue ope studiorum et congruae exercitationis virtutum ac pietatis, ita praeparatur ut vocationem suam deinde expedite prosequi valeat.

In altera cursus propaedeutici periodo, quae *postulatus* dicitur, candidati vocatio mutuo quodam tam ipsius quam Superiorum experimento statuto tempore exploratur[2] atque ipse ad disciplinam novitiatus rite amplectendam religiose et ascetice disponitur,[3] eo fine ut ille propositum suum tuto elicere valeat dum Superiores iudicant an prudenter admitti possit.

61. [*Scholae apostolicae commendantur*]. Sacra Synodus laudat, inter

alia media, Scholas Apostolicas seu Seminaria Minora religiosa, tamquam aptas ad vocationes religiosas in institutis clericalibus augendas riteque excolendas. Ideoque, probat ut eaedem instituantur, quatenus et quousque opportunae retineantur; [4] et dummodo rite et legitime erectae fuerint, ut vere publicae quoad omnes effectus iuridicos a Sede Apostolica agnoscuntur, non secus ac seminaria minora dioecesana.[5]

62. [*De candidatis admittendis in scholas apostolicas*]. Ut candidati in scholas apostolicas vel similia collegia seu seminaria religiosa admittantur, firmis normis hac de re supra statutis, requiritur et sufficit ut prima germina vocationis saltem genericae praeseferant. Habitu tamen religioso vel veste talari ne induantur, nisi peculiares rationes in determinatis locis id potius suadeant.

63. [*De scholis apostolicis non clericalibus*]. Ad instar illarum scholarum pro alumnis sacerdotio destinatis, scholae seu collegia ad vocationes religiosas laicales, etiam mulierum, augendas riteque excolendas, congrua congruis referendo opportune eriguntur.

64. [*De obligatione postulatus*]. In omnibus mulierum institutis, etiam a votis dumtaxat temporariis, candidatae antequam novitiatum vel primam eidem aequiparatam probationem incipiant, postulatum secundum disciplinam in iure receptam peragere debent ad sex saltem integros menses, non ultra aliud semestre prorogandum.

In institutis autem virorum sive clericalibus sive laicalibus, ad necessitatem et tempus postulatus canonici quod attinet standum est propriis Constitutionibus.[6] Sed, licet Constitutiones de postulatu sileant vel non omnibus illum imponant, Superiores nullum candidatum ad novitiatum admittant nisi sibi constet eius vocationem ex praevia quadam cum instituto satis frequenti et protracta conversatione sufficienter mutuo experimento exploratam esse ipsumque ad disciplinam novitiatus ferendam rite dispositum. Quare, his conditionibus deficientibus, candidati, etiam clerici, ad postulatum per congruum tempus adigendi sunt.

65. [*Exercitia spiritualia ingressui novitiatus praemittenda*]. Omnes, sive postulatum egerint, sive non, antequam novitiatum vel primam eidem aequiparatam probationem incipiant, exercitiis spiritualibus vacent per octo saltem integros dies; et iuxta prudens confessarii iudicium, praemittant generalem anteactae vitae confessionem.[7]

NOTAE

[1] Cf. Statuta gen. citata, a. 6 § 2, 2°.
[2] Cf. Statuta gen. citata, a. 6 § 2, 1°; a. 7 § 1, 2°.
[3] Cf. Statuta gen. citata, a. 6 § 2, 1°.
[4] Cf. Statuta gen. citata, a. 21 § 1, 1°; a. 6 § 2, 2°.
[5] Cf. Statuta gen. citata, a. 41 § 2, 1°.
[6] Cf. can. 539 § 1 *C.I.C.*
[7] Cf. can. 541 *C.I.C.*

CAPUT XX

DE ALUMNORUM INSTITUTIONIS CURSU FORMALI INCHOATIVO SEU DE NOVITIATU

66. [*Divisio cursus institutionis formalis*]. Cursus formalis institutionis alumnorum triplex dignoscitur: primus seu cursus inchoativus, in novitiatu vel prima eidem aequiparata probatione peragitur, quo totius religiosae institutionis necessarium ponitur fundamentum.[1]

Secundus seu cursus progressivus usque ad definitivam cooptationem et, pro diversitate institutorum, etiam ulterius progreditur, quo alumnus ad institutionem sibi consentaneam et substantialiter completam pervenit;[2] tertius seu cursus perfectivus, quo sodalis, etsi propriis instituti ministeriis iam addictus, ad perfectiorem solidioremque formam vitae religiosae et apostolatus adducitur.[3]

67. [*De candidatis in novitiatum prudenter admittendis*]. Cum vocatio divina sit totius vitae in statu perfectionis evangelicae fundamentum,[4] ut in novitiatum vel aequiparatam primam probationem postulantes admittantur, requiruntur, praeter adaequatam praeparationem, signa verae religiosae vocationis et quidem specificae, scilicet pro determinato instituto.[5]

Omnino caveant Superiores competentes ne ullum candidatum ad novitiatum admittant nisi ipsis solide constet eum pollere integritate et sufficienti maturitate iudicii necnon physica ac psychica aptitudine ad obligationes et onera propria vitae amplectendae.

Quae omnia ab illis ad quos spectat praevie exquirenda et ponderanda sunt, haud praetermissis, prout id singulis in casibus opportunum visum fuerit, peritorum scientiae pervestigationibus.[6]

68. [*De duratione novitiatus*]. Novitiatus vel prima probatio saltem per annum integrum et continuum ad normam iuris peragi debet. Constitutiones autem alterum annum praescribere possunt, servatis normis Sanctae Sedis hac de re datis. In utroque casu, competens Superior tempus novitiatus a Constitutionibus praefinitum prorogare valet, non tamen ultra sex menses.

69. [*De specifica institutione in novitiatu*]. Toto novitiatus tempore, alumnus de sua vocatione iam conscius, ad vitam religiosam instituendus est studio Regulae et Constitutionum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad Evangelicorum Consiliorum professionem et virtutes pertinent, necnon opportunis exercitationibus ad vitiorum semina radicitus exstirpanda, ad compescendos animi motus et ad virtutes adquirendas.[7]

Quae etiam servanda sunt, congrua congruis referendo, in institutis saecularibus ubi novitiatus seu probatio prima, diutius protrahenda, in saeculo et seorsim sub alicuius prudentis magistri ductu peragitur.

70. [*Institutio novitiatus rite accommodanda*]. Etiam novitiorum institutio, ut supra inculcatum est, hodiernis tam internis quam externis necessitatibus accommodetur. Et, dum germina vitiorum et defectus gradatim extir-

pantur, alumni virtutes et aptitudines, nedum nimia severitate depressae, sapienti Magistri cura quam maxime in bonum efflorescant et perficiantur.

NOTAE

[1] Cf. Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* Statuta gen. adnexa: a. 6 § 1.
[2] Cf. Statuta gen. citata, a. 5 § 2; a. 9 § 1.
[3] Cf. Statuta gen. citata, a. 9 §§ 1 et 2.
[4] Cf. Statuta gen. citata, a. 6 § 1.
[5] Cf. Statuta gen. citata, a. 31 § 2, 1°.
[6] Cf. Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* Statuta gen. adnexa, art. 33; Monitum S. Officii *Cum compertum* d. 15 iulii 1961: *A.A.S.,* Vol. XLIII (1961), p. 571.
[7] Cf. can. 565 § 1 *C.I.C.*; Pius XI, Epist. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* d. 19 martii 1924: *A.A.S.,* Vol. XVI (1924), p. 142.

Caput XXI

DE ALUMNORUM INSTITUTIONIS CURSU FORMALI PROGRESSIVO

71. [*De alumnorum institutione post novitiatum protrahenda*]. In quovis instituto status perfectionis, institutio alumnorum post novitiatum seu primam formalem probationem, ulterius saltem per tres integros annos ita protrahenda est ut eorum vocationis exigentiis et proprii instituti indoli plane respondeat.

72. [*Ratio generalis qua institutio post novitiatum est protrahenda*]. Pro clericis, religiosa institutio pari gressu cum formatione clericali, intellectuali et apostolica procedere debet per totum studiorum ecclesiasticorum curriculum, scilicet, philosophicum, theologicum et pastorale, secundum normas a Sancta Sede datas.

Sodalium laicorum cuiuscumque classis, sive virorum sive mulierum, servatis normis Sanctae Sedis ac singulorum institutorum probatis methodis, religiosa institutio progrediatur oportet una cum congruenti formatione intellectuali et apostolica necnon technica qua eorum aptitudo ad opera instituti rite explenda perficitur.

73. [*De alumnis circa castitatem specialiter instruendis et monendis*]. Alumni, praesertim qui a prima adulescentia in scholis apostolicis vel collegiis religiosis educati fuerint, opportune et prudenter instruantur circa sacrum coelibatum, obligationes castitatis perfectae et media eam fovendi atque moneantur de periculis quibus haec virtus exponitur effugiendis et superandis.[1] Pariter de excellentia virginitatis supra matrimonium ita edoceantur ut bonum matrimonii christiani satis agnoscentes, maius bonum castitatis perfectae deliberate et libere amplectantur.

74. [*De perseverantia in vocatione et de libertate discedendi*]. Iuxta ea quae supra declarantur de obligatione vocationem divinam certo probatam

non leviter deserendi, alumni qui perfectionem christianam iam professi sunt, largitionibus divinis volenti animo cooperantes, per bona opera satagant certam suam vocationem et electionem facere, in eaque altius in dies radicari. Moderatores autem eos sedule hortentur ut semper digne ambulent vocatione qua vocati sunt, cum Deus sua gratia vocatos numquam deserat nisi ab eis prius deseratur. Attamen, ante definitivam instituto cooptationem, integra remanere debet discedendi libertas alumni qui advertit se certam vocationem ad institutum non habere.

75. [*Immediata praeparatio spiritualis ad definitivam cooptationem*]. Ad perpetuam seu definitivam cooptationem alumni immediate parentur speciali recollectione ad modum renovati novitiatus congruenti tempore protrahenda, qua sub ductu Magistri spiritus vel Instructoris seu Moderatoris, peculiaribus exercitiis assidue incumbant atque sibi accommodatas recipiant instructiones, servatis Constitutionibus et ratione institutionis proprii instituti.[2]

NOTAE

[1] Cf. Instruct. S. C. de Relig. d. 2 febr. 1961, ad Moderatores Supremos, p. 6, n. 8.

[2] Cf. Statuta gen. *Sedes Sapientiae,* art. 19; art. 39 § 1.

CAPUT XXII

DE ALUMNORUM INSTITUTIONIS CURSU FORMALI PERFECTIVO

76. [*De cursu formali perfectivo institutionis: in genere*]. Expleto cursu progressivo, alumni institutionem pro sua quisque conditione subsequentibus annis congruenti modo prosequi debent. Hisce annis ne temere existiment se, propria prudentia nisos, posse in omnibus tuto agere et multo minus ea quae iam sunt constituta reformare vel seniorum methodos aut consilia sine sua pernicie semper deserere.[1] E contra personarum prudentium monitis et auxilio freti atque propria vitae experientia aliquantulum edocti, indesinenter studeant, sub peculiari assiduaque Superiorum vigilantia et directione, suam formationem perficere, expolire et consolidare.

77. [*Specialis cura de neosacerdotibus gerenda*]. Neosacerdotes sacra ministeria exordiantur in domo regularis observantiae, sub tutela experti et prudentis moderatoris, speciatim si de ministeriis agatur quae peculiarem consuetudinem cum personis alterius sexus secumferunt.

78. [*De ultima perfectione institutionis alumnorum*]. Ad personalis sanctitatis atque apostolatus uberiores fructus adipiscendos sodales, sive viri sive mulieres, ultimam aliquam perfectivam institutionem recipiant quae sit veluti totius formationis complementum, confirmatio et authentica obsignatio.[2] Haec institutio quidem, ut suos plene obtineat effectus, post aliquot

annos a definitiva cooptatione et circa trigesimum aetatis annum [3] et ad sex saltem menses, per modum regularis cursus peragenda est,[4] sub competentis Magistri ductu in domo ad hoc convenienter sita et instructa.

Ubi hic cursus institui nequeat, suppleatur meliore qua fieri possit ratione, ita ut intentus finis pro viribus obtineatur.[5]

NOTAE

[1] Cf. Instruct. S. C. de Relig. d. 2 febr. 1961 ad Moderatores Supremos, p. 26, n. 46.

[2] Cf. Pius XII, Alloc. ad PP. Soc. Iesu d. 17 sept. 1946: *A.A.S.*, Vol. XXXVIII (1946), p. 383; Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* Statuta gen. adnexa d. 7 iulii 1956, art. 9 § 2.

[3] Cf. Statuta gen. citata, a. 51 § 1.

[4] Cf. Statuta gen. citata, a. 51 § 1; a. 52.

[5] Cf. Statuta gen. citata, a. 53 § 2, 1°.

Caput XXIII

DE STUDIIS IN INSTITUTIS STATUS PERFECTIONIS NORMAE GENERALES

79. [*De studiis aestimandis et promovendis in Institutis*]. Firmis iis quae de cursu propaedeutico, progressivo et perfectivo institutionis alumnorum supra statuuntur, studia magni aestimanda sunt et pro singulorum peculiari indole institutorum a Superioribus diligenter promovenda et curanda, seposito omni fallaci praetextu maioris utilitatis practicae aliave qualibet inani ratione. Altiora studia enim necessaria sunt, maxime nostris temporibus, ut sectatores perfectionis christianae, praesertim sacerdotes [1] et qui muneri educatoris vacant, multiformem ampliatoremque intellectualem adipiscantur culturam quae eos decet et ad apostolatum, etiam inter rudes, fructuose exercendum requiritur.

80. [*Scholae internae Institutorum status perfectionis*]. Inter media promovendi studia praecipuum locum habent scholae internae omnis gradus in singulis institutis Status perfectionis propriis alumnis instituendis destinatis, quae dummodo legitime erectae, ut vere publicae quoad omnes effectus iuridicos ab Ecclesia agnoscuntur.[2]

Moderatores nihil omittant ut sufficientes huiusmodi studiorum sedes convenienter instructae habeantur, in quibus Magistri seu Professores congruenti numero collocentur non solum regulari observantia et pietate conspicui, sed ad disciplinas tradendas et artem paedagogicam exercendam specialibus etiam cursibus bene praeparati.[3] Pari zelo procurent alumnos ad studia serio peragenda excitare et in iisdem strenue prosequendis sustentare

et adiuvare, cauto ne illi retineantur qui studiis cum fructu vacandis impares se ostendunt.

81. [*De studiis cum fine Institutorum status perfectionis iungendis*]. Omnes praeterea, tum magistri cum discipuli, prae oculis semper habeant studia, in institutis status perfectionis, non ad intellectualem solummodo institutionem, sed ad integram et solidam sive religiosam et apostolicam, sive, in institutis clericalibus, etiam sacerdotalem formationem spectare; ideoque non ad scholarum tantummodo periculum superandum dirigenda esse, sed ad quandam quasi formam alumnorum animis imprimendam, quae numquam elabatur, et ex qua, cum usus postulabit, lumen atque robur pro sui aliorumque necessitatibus semper hauriant.

Ad quod assequendum, sit imprimis intellectualis instructio arcte cum precationis studio divinarumque rerum contemplatione coniuncta; sit deinde plena, nulla ex praescriptis disciplinis parte praetermissa; insuper sit ita composita et cohaerens, ut disciplinae omnes in unum dumtaxat systema idque solidum et apte temperatum conspirent.[4]

82. [*De scholis superioribus et specialibus frequentandis*]. Decursu institutionis progressivae, Moderatores alumnos rite iam praeparatos et in vita spirituali solide firmatos, normis Sanctae Sedis servatis et cum debitis cautelis mittere possunt ad scholas superiores frequentandas, praesertim ut titulos academicos vel technicos, etiam civiles, consequi valeant.[5]

Curabunt insuper ut ii cum condiscipulis saecularibus comiter et prudenter agentes, vitae spiritu supernaturali imbutae exemplum verbo et opere indesinenter praebeant.

NOTAE

[1] Cf. PIUS XI, Epist. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* d. 19 martii 1924: *A.A.S.,* Vol. XVI (1924), pp. 136-137; PIUS XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956: *A.A.S.,* Vol. XLVIII (1956), p. 361.

[2] Cf. Statuta gen. *Sedes Sapientiae,* a. 41 § 2, 1°.

[3] Cf. Epist. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* ibid., p. 143.

[4] Cf. Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956: *A.A.S.,* Vol. XLVIII (1956), pp. 362-363.

[5] Cf. Decr. S. C. Consist. d. 30 aprilis 1918: *A.A.S.,* Vol. X (1918), p. 237.

CAPUT XXIV

DE STUDIIS ALUMNORUM CLERICORUM

I - DE STUDIORUM CURRICULO PROPAEDEUTICO HUMANISTICO SEU MEDIO

83. [*De necessitate curriculi propaedeutici humanistici seu medii*]. Ad studia ecclesiastica instauranda illi tantum admitti possunt qui studia propaedeutica humanistica iam compleverint [1] sufficientique humana cultura cal-

lere certo ostenderint.[2] Praeterea de rebus eruditi sint quae ad sacras disciplinas addiscendas viam sternunt.[3]

84. [*Studium linguae latinae specialiter promovendum*]. Sacrosancta Synodus, perspectis hodiernis rerum conditionibus et prae oculis habens bonum universale, iniungit ut studium linguae latinae, nunc passim adeo neglectum et oppugnatum, plene iterum efflorescat; ita ut lingua illa quam Ecclesia Romana veluti patrimonium inde a prisco aevo hereditavit eiusdem remaneat propria, debito honore circumdata, usu semper expedita atque ecclesiasticae omnium clericorum culturae validissimum adiumentum.

Ad hos effectus obtinendos omnino necessarium est ut in curriculo propaedeutico magistri seu professores scientia et usu linguae latinae vere periti sint qui apta methodo alumnos ad latine scribendum et loquendum efficaciter instituant.

In Ecclesia Latina nemo ad curriculum philosophicum vel theologicum admittatur nisi, facto experimento, scriptores ecclesiasticos facile legere et intelligere valeat, eodemque sermone prolatas lectiones cum fructu audire et de materia sacrarum disciplinarum convenienter scripto et ore conceptus exprimere. Quod si opus fuerit, ad hanc peritiam comparandam, congruens tempus sub ductu magistri competentis, etiam post novitiatum, impendatur, antequam quis studia ecclesiastica incipiat.[4]

85. [*Studium linguae graecae curandum*]. Neque studium linguae graecae praetermittatur ut iidem alumni iam quodammodo initientur ad textus Sacrae Scripturae et Patrum postea legendos.[5]

II - De curriculo formali progressivo studiorum ecclesiasticorum

86. [*Ratio generalis curriculi studiorum ecclesiasticorum*]. Studia ecclesiastica omnibus alumnis Sacerdotio destinatis praescripta triplici curriculo peragenda sunt: *Philosophico* nempe saltem per integrum biennium; *Theologico* saltem per integrum quadriennium [6] et *Pastorali* per annum.

Quoad disciplinas tradendas serventur normae a S. Sede religiosis communiter impertitae necnon singulorum institutorum statuta legitime approbata.

In potioribus disciplinis tum docendis tum discendis a magistris discipulisque usus fiat linguae latinae.[7]

In disciplinis tradendis, Magistri ne proprio sensui contra communes doctorum sententias temere indulgeant, memores se Ecclesiae nomine docere eiusque doctrinam alumnis erudiendis impertiri debere.[8]

87. [*Principium informativum: reverentia magisterii ecclesiastici*]. In disciplinis autem superioribus, maxime philosophicis sive theologicis, sanctissime ea omnia serventur quae a sacris canonibus et a Summis Pontificibus praescripta sunt, de debita praesertim Magisterio Ecclesiastico reverentia atque omnimoda fidelitate semper et ubique profitenda et discipulorum men-

tibus animisque instillanda, de prudentia et cautela quae semper socianda est cum diligentissima eaque maximopere commendanda pervestigatione novarum, quae progrediente aetate exsurgunt, quaestionum.[9]

88. [*Ratio generalis curriculi philosophici*]. In curriculo philosophico tradenda est philosophia sic dicta scholastica quae perennis in Ecclesia merito agnoscitur, quoad omnes suas partes et quidem secundum doctrinam et principia Divi Thomae, non omissis tamen aliis Magistris ab Ecclesia probatis; [10] servetur methodus scholastica quae plurisaeculari experientia tam efficax comprobatur ad alumnorum ingenium acute exercendum et informandum, ad conceptus etiam subtiliores distincte percipiendos, ad veritatem tuto et expedite investigandam,[11] necnon ad errores insidiose latentes promptius et efficacius refellendos.

Insuper haud sufficiat antiquorum opiniones referre et quatenus necessarium, confutare. Magistri debent etiam doctrinas philosophicas hodiernas suis alumnis congruenti modo exponere, accurate ostendendo qua ratione cum catholica doctrina componi possint vel ab ea discrepent.

89. [*Ratio generalis curriculi theologici*]. Supra dicta de curriculo philosophico, congrua congruis referendo, curriculo quoque theologico applicanda sunt, quo futuri sacerdotes integram et solidam institutionem theologicam, iuxta rationem a S. Sede praescriptam, sibi comparare debent.

In sacris disciplinis tradendis, magistri ne praepropere solliciti sint de aspectu practico institutionis impertiendae, plane scientes actionem sacerdotalem, ut recte procedat uberioresque optimos afferat fructus, imprimis solido fundamento sanae profundiorisque doctrinae fulciri oportere. De cetero, omnibus compertum est veritates fidei eo facilius fidelium captui accommodari quo penitius et clarius investigatae fuerint.

Alumni curriculi theologici speciali cura ad studium Sacrae Scripturae applicari debent, ita ut non solum de sacrorum Librorum structura, compositione, divina inspiratione et interpretatione iuxta criteria ab Ecclesiae Magisterio proposita tuto edoceantur; sed, Patrum sententiis et ecclesiasticae traditioni firmiter adhaerentes, addiscant etiam ex sensu litterali sacrarum Litterarum solidum spiritualem cibum copiose percipere tam pro se quam in fidelium aedificationem.[12]

90. [*Ratio generalis curriculi pastoralis*]. Quamvis pastoralis alumnorum conformatio, ab ineunte studiorum curriculo inchoanda, progrediente vero aetate gradatim perficienda sit, absoluto tandem theologico curriculo, ipso sacro sacerdotio iam aucti, de rebus pastoralibus sub aspectu practico per annum diligentissime instruantur atque in iisdem sub ductu periti magistri exerceantur, etiam partes in sacro ministerio assumentes, ut sic ea quae studio didicerint aliis valeant competenter tradere.[13]

Cursus pastoralis complectatur omnia quae ad actionem pastoralem completam hodie requiruntur, ut alumni veram peritiam et dexteritatem in multiplicibus christiani apostolatus muneribus rite obeundis acquirant.[14] Quapropter, haud sufficiet ipsos de communi sacro ministerio rite exercendo

edoceri; sed instrui etiam debent de pluribus aliis apostolatus mediis, etsi forte natura sua profanis, quae pro temporum nostrorum adiunctis actuosam sacerdotum et religiosorum operam iuvare possunt.

III - De curriculo formali perfectivo studiorum ecclesiasticorum

91. [*Ratio generalis curriculi perfectivi studiorum*]. Neosacerdotibus religiosis iniungitur ne, ordinario cursu institutionis expleto, studia praesertim sacra intermittant quin potius ea secundum Sanctae Sedis praescripta fideliter prosequantur.[15]

Praeterea, cum aetate nostra necessarium sit saltem quosdam clericos in determinatis disciplinis omnino excellere, ad explenda peculiaria munia sive in proprio instituto, speciatim in domibus formationis, sive in apostolatu, seligantur inter aptiores qui ad scholas sic dictas « specializatas » mittantur, ut exoptatam competentiam sibi comparent.

NOTAE

[1] Cf. Epist. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* d. 19 martii 1924: *A.A.S.,* Vol. XVI (1924), p. 140.

[2] Cf. Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956: *A.A.S.,* Vol. XLVIII (1956), pp. 361-362; Statuta gen. art. 43 § 1, 1°.

[3] Cf. Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* cit. ibid., pp. 359-360.

[4] Ioannes XXIII, Const. Apost. *Veterum sapientia,* d. 22 febr. 1962, § 3.

[5] Cf. Statuta gen. *Sedes Sapientiae,* a. 43 § 3, 3°; Ioannes XXIII, Const. Apost. *Veterum sapientia,* d. 22 februarii 1962, § 7.

[6] Cf. can. 589, 1365 §§ 1 et 2.

[7] Cf. Const. Apost. Ioannis XXIII *Veterum sapientia,* d. 22 febr. 1962, § 5.

[8] Cf. Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956: *A.A.S.,* Vol. XLVIII (1956), p. 362.

[9] Cf. Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* ibid., p. 362.

[10] Cf. Statuta gen. *Sedes Sapientiae,* art. 44 § 2, 2°.

[11] Cf. Epist. Apost. *Unigenitus Dei Filius,* d. 19 martii 1924: *A.A.S.,* Vol. XVI (1924), p. 144.

[12] Cf. Encycl. *Divino afflante Spiritu,* d. 30 sept. 1943: *A.A.S.,* Vo.l XXXV (1943), p. 322.

[13] Cf. Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956; *A.A.S.,* Vol. XLVIII (1956), p. 364.

[14] Cf. Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956: *A.A.S.,* Vol. XLVIII (1956), p. 363.

[15] Cf. can. 590. Statuta gen. citatae Const. Apost. adnexa, art. 49.

CAPUT XXV

DE STUDIIS ALUMNORUM LAICORUM UTRIUSQUE SEXUS

92. [*Ratio generalis studiorum alumnorum laicorum*]. Sodales laici statuum perfectionis, viri et mulieres, ad iuventutem erudiendam destinati, novitiatu rite expleto, congruentem intellectualem et technicam institutionem, cum opportunis titulis academicis accipiant, secundum modum et tempus a Constitutionibus definitum, eis applicando, congrua congruis referendo quae pro clericis instituendis praescribuntur.

Sodales vero aliis muniis exterioribus pro sua vocatione addicti, technica institutione post novitiatum apte formentur, titulis, qui eorum peritiae sint documenta, pro rei opportunitate obtentis.

Religiosorum quoque conversorum institutio intellectualis, expleto novitiatu, modo ipsis consentaneo, perficienda est, praesertim ad vitam spiritualem et religiosam necnon ad eorum munia quod attinet.

SECTIO TERTIA

DE VOCATIONIBUS RELIGIOSIS PROMOVENDIS ET DE ALUMNORUM ADMISSIONE AD PROFESSIONEM

CAPUT XXVI (*)

DE VOCATIONIBUS RELIGIOSIS PROMOVENDIS

93. [*Officium sacerdotum religiosas vocationes inquirendi et fovendi*]. Cum vero status perfectionis evangelicae ab ipso Divino Magistro in suis fundamentalibus elementis conditus et ab Ecclesia apte ordinatus indesinenterque commendatus sit, etiam pro vocationibus ad ipsum valet invitatio Ecclesiae sacerdotibus, praesertim parochis, facta, ut data opera, pueros qui indicia praebeant vocationis ad statum perfectionis inquirant atque peculiaribus curis divinae in eis vocationis germen foveant.[1] Immo clerici et laici, confessarii, directores spiritus et praedicatores, ut supra innuimus, parentes et educatores, vocationes ad statum perfectionis, sive cum sacerdotio coniunctum, sive absque eo, tam pro viris quam pro mulieribus libenter promoveant.

(*) Hoc caput erat X in Sectione tertia Primae Partis ut in schemate Capitis IX, pag. 3 indicatur. (Cf. *Acta...*, Series II, vol. II, pars II, pag. 686).

94. [*Vocationes in diversis coetibus suscitandae*]. Prudens ac sapiens ad perfectionis statum candidatorum inquisitio et vocationum suscitatio instituantur non tantum inter adulescentulos, sed inter alios etiam fideles, eos potissimum qui variis apostolatus formis, praesertim in Actione Catholica, adiutricem opem praestant.[2]

95. [*De mediis ad vocationes religiosas colligendas adhibendis: in genere*]. Omnes curae et licitae industriae adhibendae sunt quae illud imprimis spectant, ut in generosis iuvenum animis divinitus acceptus afflatus ad perfectionem evangelicam prosequendam diligentissime excolatur.[3] Attamen, semper abstinendum erit a mediis quae statum perfectionis dedeceant aut candidatorum libertatem minuere videantur; [4] sedule cavendo etiam ne immoderatus conatus augendi sodalium numerum eorumdem qualitati detrimento evadat, vel illi recipiantur qui verae divinae vocationis signa vel saltem seria indicia non praebeant.[5]

96. [*Media supernaturalia in promovendis vocationibus anteponenda*]. In vocationibus ad statum perfectionis promovendis, rationes et media ordinis naturalis haud sunt certo spernenda. Verumtamen, meminisse oportet vocationes a Deo solo impertiri et efficaciter foveri; atque Ipsum, ut experientia docet, vocationum ubertate ditare religiones quae fervore animi perfectaeque disciplinae observantia florent. Quare, ad vocationes suscitandas, media supernaturalia ceteris semper anteponantur,[6] praecipue oratio, conspicua inter sodales fraterna caritas et fulgens sanctitatis apostolatusque exemplum.

97. [*Finis proprius status perfectionis adspirantibus proponendus*]. Ne candidati ineptis rationibus ad statum perfectionis amplectendum adducantur, quod in eorum et Instituti perniciem faciliter vertere posset, finis et natura propria huius status qua talis cum eiusdem excellentia ipsis inde a primo ingressu clare, modo tamen cuiusque capacitati accommodato, proponendi sunt, ita ut non solo apostolatus exercendi desiderio ad Institutum attrahantur, sed praesertim sincera ac sufficienter illuminata voluntate profitendi evangelicam perfectionem iuxta proprii Instituti indolem ac spiritum atque in ea prosequenda perseverandi.[7]

NOTAE

[1] Cf. can. 1353.

[2] Cf. Pius XII, Motu proprio *Primo feliciter,* d. 12 martii 1948, VI: *A.A.S.,* Vol. XL (1948), p. 286.

[3] Cf. Litt. Encycl. Pii XI *Ad catholici sacerdotii,* d. 20 dec. 1935: *A.A.S.,* Vol. XXVIII (1936), p. 45.

[4] Cf. Statuta Generalia Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956, adnexa, art. 32 § 3.

[5] Cf. Statuta Generalia cit., art. 31 § 2, 2°.

[6] Cf. Instructio S. C. de Relig. de Candidatis ad Statum perfectionis et ad Sacros Ordines sedulo deligendis et instituendis, d. 2 febr. 1961, n. 14.

[7] Cf. Instruct. cit., n. 37.

CAPUT XXVII

DE ADMISSIONE AD PROFESSIONEM SEU IN INSTITUTUM COOPTATIONE

98. [*De sollertia generaliter adhibenda in alumnis admittendis*]. Cum nemo statum perfectionis evangelicae amplecti debeat nisi divinitus sit vocatus,[1] omnes ad quos spectat maxima cum prudentia perpendant adolescentium vocationem ne forte, cum gravissimo salutis periculo, aut vocati ad religionem accedere renuant, aut non vocati accedere praesumant.

Quae sollertia in candidatis seligendis et admittendis exigitur tam ob praecellentem dignitatem status perfectionis quam ob necessitatem praecavendi lamentabiles defectiones sodalium incaute receptorum.[2]

99. [*De officio Superiorum alumnos prudenter admittendi*]. Quamobrem Superiores candidatos ne festinanter neve gregatim adsciscant sive ad cursum propaedeuticum seu scholam apostolicam sive ad novitiatum seu primam formalem probationem; [3] sed eos tantum admittant qui, post diligens examen et accuratas informationes, nullo detenti impedimento, veram ostendunt pietatem, recta pro sua capacitate et aetate intentione moventur atque ob eorum dotes corporis et animi, ad instituti onera ferenda et obligationes adimplendas idonei merito praesumuntur.[4]

Insuper, sedule praecavere debent ab iis omnibus quae candidatorum libertatem minuere possunt, sicut esset indebitus parentum, propinquorum aliorumve influxus aut anxietas animi ob praevisas oeconomicas aliudve genus difficultates in saeculo experiundas, ne religiosos faciat potius necessitas quam voluntas.[5]

Gravissimum quoque est Superiorum officium ut ad professionem vel instituto cooptationem illos tantum admittant quos ad perfectionem christianam in instituto assequendam et, si de futuris sacerdotibus agatur, ad sacerdotium sufficienter idoneos rite probaverint, servatis omnibus praescriptis scrutiniis [6] et, si opus fuerit, aliis etiam opportunis mediis adhibitis.[7]

100. [*De officio confessariorum et directorum spiritualium erga alumnos admittendos*]. Ad forum autem internum quod attinet, inviolabili Sacramenti secreto servato, confessarii re mature perpensa ac memores gravissimi officii ipsis quoque iniuncti, candidatis certo indignis aut non idoneis imponant ut, nullo habito humano respectu, ab Instituto tempestive recedant.[8]

Pariter, directores spirituales officium habent in foro interno non sacramentali, iudicandi de divina vocatione alumnorum, atque, secreto servato, indignos et non idoneos monendi ut vitam inchoatam sponte relinquant.[9]

101. [*De utriusque fori actione moderatorum coordinanda*]. Signa quidem vocationis divinae vel defectus vocationis, alia ex natura sua innotescunt Moderatoribus regiminis externi, alia vero, ad intimam mentis et conscientiae rationem potius pertinentia, a confessariis et directoribus spiritualibus plerumque tantum cognoscuntur; [10] quapropter, cum alumnus, de pru-

dentis confessarii aut directoris spiritualis consilio, Superiori declarat se ad statum perfectionis vel sacerdotium non esse vocatum, Superior huic declarationi acquiescat.[11]

102. [*Alumnorum recta intentio investiganda*]. Superior antequam de candidatorum admissione decernat, certus esse debet de eorum recta intentione. Quare, per se vel per alium scientia ac prudentia praeditum sibique alumnorum fiduciae comparandae idoneum, curet illos interrogare an libere ac deliberate necnon ex supernaturalibus motivis statum perfectionis appetant,[12] cauto speciatim ne quis vereatur in saeculum redire ob nimias difficultates subsidia vitae sibi decorose comparandi.[13]

103. [*Alumnorum oeconomicae conditiones attendendae*]. Attente consulant Superiores ne timor redeundi ad saeculum, non vocatos in instituto retineat. Immo, in casu praevisae exiguae vel incertae conditionis oeconomicae, Superiores de egressuri necessitatibus solliciti, illum prout media suppeditant ex caritate adiuvare satagant.

104. [*Alumnorum dispositiones circa castitatem specialiter attendendae*]. Cum ad statum perfectionis amplectendum in eoque digne perseverandum firmitas omnino requiratur in servanda castitate perfecta,[14] si quis ad eam colendam impar inveniatur, omnibus etiam excellentioribus qualitatibus posthabitis, in religiosam militiam minime recipiatur; et si iam receptus, ab ea tempestive discedat vel excludatur.

105. [*Alumnorum dispositiones psychopaticae attendendae*]. Superiores aliique ad quos spectat sedule attendant ut tempestive detegere valeant alumnos qui signa praebeant morbi neuropsychici vel alicuius vitii mentis aut tabis hereditariae. Quos vero ita affectos repererint, diligenter observent eorumque casus mature perpendant, et si expedierit, ut supra dictum est, normis Sanctae Sedis hac in re servatis, ad peritos, in quantum fieri potest catholicos, remittant ut ex eorum sententia sciant quid tuto decernere possint.[15]

106. [*Vocatio signis externis agnoscenda*]. De candidatorum vocatione divina in foro externo congruentibus signis constare debet, quibus prudenter recognitis, a Superioribus competentibus candidatus libere postulans in Institutum tuto admitti potest; quibus deficientibus, nefas esset illum recipere.[16]

107. [*Certitudo iudicii de vocatione candidatorum ad definitivam cooptationem*]. Omnes qui de alumnorum vocatione iudicium ferre debent meminerint absolute requiri pro candidatis ad professionem perpetuam vel cooptationem definitivam admittendis, moralem certitudinem de eorum vocatione, positivis argumentis suffultam.

Quare, si de alicuius idoneitate vel rectitudine intentionis post debitas investigationes supersit prudens dubium, nefas est omnino eum ad contrahendum vinculum perpetuum vel ex parte instituti definitivum admittere. Si vero seria spes detur ut ulteriore experimento, servatis servandis, concesso, dubium deponi possit, ad professionem vel promissionem temporariam re-

novandam admitti valebit; secus, ab ea renovanda excludatur et discedat.[17]

Eaque in causa pertractanda, tutior semper sententia sequenda est, quae quidem, ad rem quod attinet, multo magis alumnis favet, cum eos ex itinere avertat, per quod ad aeternam ruinam adduci possunt.[18]

108. [*Iudicium de vocatione candidatorum ad temporariam cooptationem*]. Pro admissione autem ad professionem vel cooptationem non definitivam, eadem, inquantum fieri potest, quaeratur certitudo. Nihilominus, cum hoc tempore alumni probationem suam nondum compleverint, stante aliquo dubio de eorum idoneitate vel intentione, ad hanc professionem vel cooptationem admitti poterunt, dummodo fundata spes habeatur ut post experimentum longius protractum signa certa vocationis praebere valeant.

Si e contra aliquis candidatus, etiam post primam cooptationem, ineptus aut non recta ductus intentione certo appareat, ad normam iuris, dimittatur vel saltem a professione vel promissione renovanda excludatur; non tamen ratione infirmitatis, nisi certo probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam.[19]

NOTAE

[1] Cf. Instruct. S. C. de Relig. *Illud saepius,* d. 18 aug. 1915 ad Moderatores Inst. Relig.: *Enchiridion de Statibus Perfectionis,* p. 340, n. 286.

[2] Cf. Instruct. cit. ibid., p. 341; Instruct. S. C. de Religiosis, d. 2 febr. 1961, pag. 8, n. 13.

[3] Cf. Pius X, Epist. Ad Rev.mum P. Cormier, O. P., d. 4 aug. 1913: *A.A.S.,* Vol. V (1913), p. 388.

[4] Cf. Instruct. *Illud saepius,* cit. ibid., pp. 341-342; can. 538; Pius XII, Alloc. ad Sup. Gen. 11 ian. 1958: *A.A.S.,* Vol. L (1958), pp. 160-161; Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* Statuta Generalia, art. 31 § 1; Instruct. S. C. de Religiosis ad Moderatores Generales, d. 2 febr. 1961, p. 8, n. 14.

[5] Cf. Decr. S. C. de Relig. d. 1 ian. 1911: *A.A.S.,* Vol. III (1911), p. 30.

[6] Cf. Instr. S. C. de Relig. ad Moderat. Gen. d. 2 februarii 1961, p. 23, n. 39.

[7] Cf. Instruct. citatam, p. 12, n. 21.

[8] Cf. Pius XI, Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* d. 20 dec. 1935: *A.A.S.,* Vol. XXXVIII (1936), p. 41; Pius XII, Encycl. *Sacra Virginitas,* d. 24 martii 1954: A.A.S., Vol. XLVI (1954), p. 181.

[9] Cf. Instr. S. C. de Relig. d. 2 febr. 1961, p. 11, n. 18.

[10] Cf. Instr. citatam, p. 11, n. 17; Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* Stat. Gen., art. 31 § 2, 1°.

[11] Cf. Instr. S. C. de Rel. d. 2 febr. 1961, p. 14, n. 25.

[12] Cf. Instr. citatam, p. 23, n. 39.

[13] Cf. Instr. cit., p. 6, n. 9.

[14] Cf. Encycl. *Sacra Virginitas,* d. 25 martii 1954: *A.A.S.,* Vol. XLVI (1954), p. 180.

[15] Cf. Instruct. S. C. de Religiosis, d. 2 febr. 1961 ad Moderatores Supremos, p. 18, n. 31.

[16] Cf. Constit. Apost. *Sedes Sapientiae,* d. 31 maii 1956: *A.A.S.,* Vol. XLVIII (1956), p. 357.

[17] Cf. Constit. Apost. *Sedes Sapientiae,* Statuta Generalia adnexa, art. 34 § 2; Instruct. S. C. de Religiosis, d. 2 febr. 1961 ad Moderatores Supremos, p. 10, n. 16.

[18] Cf. Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* d. 20 dec. 1935: *A.A.S.,* Vol. XXVIII (1936), pag. 41; Litt. Encycl. *Sacra Virginitas,* d. 25 martii 1954: *A.A.S.,* Vol. XLVI (1954), p. 181.

[19] Cf. can. 637, 647 § 2, 2° *C.I.C.*

CAPUT XXVIII

DE ADMISSIONE ALUMNORUM AD SACROS ORDINES

109. [*De officio Superiorum, Confessariorum et Directorum spiritualium circa candidatos promovendos*]. Ad Ordines Sacros, nemo admitti potest nisi immunis agnoscatur ab impedimentis et de eius idoneitate et recta intentione positivis argumentis certo constet. Quare ea quae superius declarantur et statuuntur circa officia et obligationes Superiorum, Confessariorum et Directorum spiritualium necnon de scrutiniis aliisque investigationibus peragendis ad positivam certitudinem obtinendam, potiore ratione, observanda sunt in alumnis ad Ordines Sacros promovendis, ne ullus eorum qui de vocandis iudicare debent, periculo se committat non solum gravissime peccandi, sed etiam alienis communicandi peccatis.[1]

110. [*Specialis cautio erga candidatum ad Presbyteratum*]. Cautius adhuc procedendum est cum agitur de Sacro Presbyteratu, ad quem candidatus, etsi iam diaconus, promoveri nullo pacto potest stante defectu idoneitatis vel dubio gravi de eius vocatione. Illi vero, qui ab instituto sponte sua discedere vult vel dimittendus sit, Superiores indulta necessaria ab Apostolica Sede obtinere curent.[2] Secus in eodem statu permaneat nisi ad alteram classem in ipso instituto, servatis servandis, transire maluerit.[3]

111. [*Fructuosa receptio ordinum minorum*]. Ordinationes, praesertim sacerdotales, anni tempore magis congruenti habeantur quo clerici ad eas accuratius praeparentur, amotis omnibus quae tali praeparationi obstare possent.

Insuper, ordinum minorum dignitas candidatis sedule inculcetur, ut eos sincera reverentia intensioreque devotione suscipiant atque ita ad Sacrum Presbyteratum capessendum gradatim et efficacius disponantur.

112. [*De titulo canonico Sacrae Ordinationis*]. Titulus canonicus Sacrae Ordinationis « Paupertatis » omnibus Religionibus a votis sive simplicibus sive sollemnibus communis sit.

Quoad autem Societates vitae communis et Instituta saecularia, standum est cuiusque eorum Constitutionibus.

113. [*De litteris dimissorialibus a Superioribus dandis*]. Nisi agatur de

institutorum sodalibus qui incardinationem propriae dioecesi perpetuo retinent, Superiores Maiores, ad normam Constitutionum, litteras dimissorias suis subditis dare possunt ad Primam Tonsuram et Ordines Minores, emissa prima professione vel habita prima cooptatione; ad Ordines etiam Maiores, professione perpetua emissa vel post definitivam cooptationem.[4]

NOTAE

[1] Cf. can. 973 § 3; Instr. S. C. de Relig. d. 2 febr. 1961 ad Moderatores Supremos, p. 26, n. 45.
[2] Cf. Instruct. S. C. de Relig. d. 2 febr. 1961 ad Moderatores Supremos, p. 14, n. 25.
[3] Cf. Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* Statuta Generalia adnexa, art. 34 § 2, 4°.
[4] Cf. can. 964, 3°, 4° *C.I.C.*; Litt. Apost. *Postquam Apostolicis Litteris,* d. 9 febr. 1952, de Iure *Ecclesiae Orientalis,* can. 131: *A.A.S.*, Vol. XLIV (1952), p. 101.

SECTIO QUARTA

DE QUIBUSDAM QUAESTIONIBUS PARTICULARIBUS STATUS PERFECTIONIS

CAPUT XXIX

DE REGIMINE SACRAMENTI POENITENTIAE ET DE ASSISTENTIA SPIRITUALI IN INSTITUTIS STATUS PERFECTIONIS

114. [*Iurisdictio ad sacramentales confessiones in Institutis clericalibus*]. In omnibus clericalibus Religionibus et Societatibus vitae communis iuris pontificii, Superiores, iuxta Constitutiones, iurisdictionem habent ad confessiones recipiendas suorum subditorum aliorumve in instituti domibus diu noctuque causa famulatus, educationis, hospitii aut infirmae valetudinis degentium.[1]

Ad eamdem iurisdictionem in institutis clericalibus saecularibus iuris pontificii quod attinet, standum est propriis uniuscuiusque instituti Constitutionibus.[2]

115. [*De delegatione iurisdictionis ad confessiones sacramentales in Institutis*]. Omnibus supradictis Superioribus facultas est, ad normam Constitutionum, iurisdictionem ad confessiones sacramentales qua pollent, concedere sacerdotibus proprii aliusve instituti necnon e clero saeculari.

Illam autem ne conferant, nisi iis quorum idoneitas, si de sodalibus proprii instituti agatur ad normam Constitutionum recognita fuerit; si vero de

saecularibus vel alius instituti sacerdotibus, nonnisi iis qui ab aliquo Ordinario vel Superiore approbati sunt.

116. [*De iurisdictione pro confessionibus audiendis religiosarum*]. In directione spirituali religiosarum aliarumque mulierum status perfectionis, coniungere oportet soliditatem, uniformitatem et continuitatem, cum debita conscientiae libertate. Ideoque, sancte serventur praecepta canonica de earum confessariis; sed, circa conditiones ad validitatem et liceitatem confessionis requisitas, etiam religiosae et sodales Societatum vitae communis caeteris mulieribus in omnibus aequiparantur.

117. [*De confessario occasionali religiosarum*]. Praeterea, firmis manentibus canonicis normis de confessariis ordinariis et extraordinariis,[3] si aliqua religiosa aliave sodalis societatis vitae communis confessionem instituat apud quemlibet sacerdotem pro confessionibus mulierum ab aliquo Ordinario loci approbatum, confessio valida et de se licita est, servatis, ad liceitatem dumtaxat, normis de loco pro mulierum confessionibus.

118. [*Obligatio antistitae servandi libertatem conscientiae subditarum*]. Superiorissae in tuto collocare debent libertatem conscientiae suis subditis a iure concessam, simul sedulo vigilando ne usus huius facultatis disciplinae noceat aut abusibus locum det.[4]

Horum praescriptorum observantia speciali vigilantiae Ordinariorum locorum commendatur ut omnis abusus potestatis hac in re praecaveatur et, si casus fuerit, ad normam iuris reprimatur.[5]

119. [*De assistentia spirituali sodalium statuum perfectionis*]. Ad sodalium statuum perfectionis spirituale bonum et in via Dei progressum maxime confert aptum ministerium Confessariorum et Directorum spiritualium. Quapropter, enixe commendatur ut, sive Superiores in institutis clericalibus, sive Ordinarii locorum pro aliorum utriusque sexus communitatibus etiam minoribus, Confessarios et Directores spirituales magna cum sollicitudine seligant, qui cum prudentia et zelo munus sibi commissum in verum animarum Deo consecratarum profectum obire valeant. Provideatur etiam ut in seminariis maioribus alumni circa ea quae vitam religiosam spectant sufficienter erudiantur necnon ut sacerdotes huic muneri specialiter idonei media sese perficiendi in studio theologiae spiritualis habeant.

Cappellani quoque institutis laicalibus tales adsignentur qui ministerii sui partes digne et prudenter expleant.

NOTAE

[1] Cf. can. 514 § 1; 875 § 1.

[2] Cf. Constit. Apost. *Provida Mater Ecclesia,* d. 2 febr. 1947, Lex pec. art. III § 2, 1°: *A.A.S.,* Vol. XXXIX (1947), p. 121; Instruct. S. C. de Relig. *Cum Sanctissimus,* d. 19 martii 1947, n. 7, *a*): *A.A.S.*, Vol. XL (1948), p. 295.

[3] Cf. can. 520 § 1; 524, 526.

[4] Cf. can. 521 § 3; 522; 523.

[5] Cf. can. 2414.

Caput XXX

DE PRECATIONE PUBLICA IN INSTITUTIS STATUS PERFECTIONIS AUGENDA

120. [*De precatione publica congruenter augenda*]. Praeeminenti dignitate Officii Divini choraliter persolvendi servata, ad multiplicandos eorum coetus qui ubique terrarum laudes Deo cotidie persolvunt, ad ecclesiasticum sensum in Corpore Christi Mystico promovendum, ad spiritualem animarum Deo consecratarum profectum, magnopere confert ut precatio in modum Divini Officii confecta, cui sodales cuiusvis instituti status perfectionis vi Constitutionum adstringuntur, tamquam oratio Ecclesiae publica habeatur.

121. [*Indoles officii conficiendi*]. Haec autem officia, conditionibus uniuscuiusque instituti consentanea, approbationi Sanctae Sedis subiiciantur.

122. [*De lingua vernacula permittenda in Officiis*]. Sodales laici institutorum status perfectionis sive viri sive mulieres, monialibus exceptis, in Officio Divino ceterisque precibus in modum eiusdem confectis tum in commune tum a solo recitandis, linguam vernaculam adhibere valent iuxta textum rite approbatum.

Caput XXXI

DE SACERDOTIBUS ALIISQUE RELIGIOSIS QUI DEFECERUNT

123. [*De sodalibus status perfectionis a vocatione deficientibus*]. Quamvis maxima cura fuerit adhibita in admittendis unis candidatis vere dignis et aptis illisque rite instituendis, nihilominus, humana inspecta fragilitate iugi experientia comprobata, coniectare licet aliquem ex iis, non obstante Superiorum vigilantia, propriae vocationi infidelem evasurum ab Instituto suscepto apostatam discedentem vel legitime dimissum.

124. [*De cura pastorali erga religiosos lapsos exhibenda*]. De miserrima autem conditione religiosorum sacerdotum qui a sua vocatione tam sancta defecerunt, Superiores institutorum et Ordinarii locorum solliciti sint. Ideoque, in quantum fieri poterit, media adhibeant quae caritas prudenter ordinata suadet et adiuncta rerum sinunt ad eos a peccato retrahendos, ita ut, etiamsi vitae sacerdotali denuo restitui nequeant, eorum tamen aeternae saluti aptiore modo consulatur.

Erga ceteros quoque religiosos vel sodales a religione apostatas valde solliciti sint Superiores ut, si casus ferat, ad institutum redeant aut eorum conditio canonica rite componatur.

125. [*De speciali vigilantia Superiorum super sacerdotum castitate*]. Perspectis vero periculis quae Sacerdotum castitati specialiter imminere possunt, Superiores super iisdem sedulo invigilent; neque eos in apostolatus

opera quae peculiarem consuetudinem cum mulieribus secumferunt citius et incaute immittant; aptas quoque adhibeant providentias quas ipsis paterna sollicitudo et diuturna experientia monstraverunt, ut eorum castitas quae Ecclesiae est commune bonum simul atque singulorum sacerdotum in tuto ponatur.

126. [*Quaestiones de coelibatu Sanctae Sedi reservatae*]. Cum denique lex sacri coelibatus ecclesiastici, praecipue propter publicum Ecclesiae bonum, instituta fuerit, firmis canonicis praescriptis de reductione clericorum ad statum laicalem, auctoritativa solutio omnium quaestionum circa susceptam obligationem coelibatus sacerdotalis, Sanctae Sedi exclusive reservata manet.

127. [*Leges processuales dimissionis sodalium emendandae*]. Sacra Synodus aestimat opportunum ut leges processuales observandae in sodalibus status perfectionis ab instituto dimittendis emendentur, vigentem proceduram iudicialem penes exemptos ad simpliciorem formam reducendo et normas pro non exemptis praescriptas aequa ratione perficiendo; ita ut hi processus dimissionis, perfecta aequitate semper servata, expeditius et securius in omnibus institutis peragantur.

CAPUT XXXII *

DE APOSTOLATU RELIGIOSORUM IN LOCIS MISSIONUM

128. [*Opera religiosorum in locis Missionum: in genere*]. In locis Missionum ubi tot tantisque variis necessitatibus spiritualibus populorum in peculiaribus et quandoque valde arduis conditionibus vitae et laboris est occurrendum, normae de immissione religiosorum in opera apostolatus opportune aptandae sunt iuxta speciales Instructiones S. Sedis. Nihilominus, etiam in his locis, principia fundamentalia ad eorum immissionem in opera apostolatus servanda sunt ita ut religiosa vita et disciplina, peculiaribus exigentiis accommodata, sarta tecta maneant et Superiorum religiosorum auctoritas in suos subditos cum potestate Ordinarii loci rite coordinetur ut effective exerceri valeat.

129. [*De Missione a Sancta Sede alicui instituto committenda*]. In di-

---

* Hoc caput ad sectionem V « De apostolatu Religiosorum sub moderamine Episcoporum » pertinebat, quae hic sublata est, quia in schemate ab utraque Commissione de Episcopis et Religiosis concordato aequivalenter inserta. Hic tamen servatum est capitulum de Missionibus de quibus in praefato schemate concordato parum habetur.

Caput XXXII discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quarta congregatione sessionis septimae, die 15 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 352-383.

vino mandato exsequendo praedicandi Evangelium omni creaturae in mundum universum, Ecclesia, imprimis in partibus infidelium, quandoque alicui Instituto committit regionem quamdam evangelizandam. Institutum autem hoc munus acceptans, ipsam Ecclesiae missionem in hoc territorio arcte complectitur atque veluti suam facit ita ut operarios evangelicos e gremio suo mittat atque etiam media ad opus exsequendum pro posse suppeditet.[1]

130. [*De Superiore Ecclesiastico Missionis*]. Ecclesia autem, non intendit illum tractum terrae evangelizandum instituti curis plane ac omnino relinquere. Quamobrem, verum Superiorem Ecclesiasticum Missionis, inter sodales instituti selectum, ipsa Sancta Sedes nominat qui sub eius directo regimine missionis curam gerit, perfecta tamen coordinatione servata cum Superioribus religiosis, quibus competit missionarios mittere atque, post sufficientem in ipsis locis missionum praeparationem, operibus missionalibus sub auctoritate Superioris ecclesiastici explendis addicere.

131. [*De duplici auctoritate cui Missionarii subduntur*]. Unde apparet duas esse in missionibus alicui instituto commissis potestates quibus missionarii subduntur, alteram ecclesiasticam, alteram religiosam. Et licet utrique proprius atque omnino distinctus campus sit actionis: una missionariis qua missionariis imperante, altera religiosis qua religiosis praecipiente; cum tamen circa easdem personas exerceantur, nemo profecto non videt, quanti momenti sit, ut concorditer agant. Quoad particularia definienda specialis conventio iniri poterit inter Superiorem Ecclesiasticum et Superiorem Religiosum competentem, probante Sancta Sede.

132. [*De destinatione missionariorum intra territorium missionis*]. Intra territorium missionis, in Superioribus stationum missionalium nominandis aut transferendis et in missionariis ad varia munera et officia eligendis et destinandis, Superior Ecclesiasticus missionis collata utatur semper opera Superioris religiosi, scilicet: hic diversarum stationum rectores et officiis aptos viros proponat; Superior vero Ecclesiasticus missionis eos nominat prout in Domino iudicaverit.

Si vero in territorio missionis adsint sacerdotes saeculares, missionarii religiosi nequeunt in eorum domibus cum ipsis cohabitare, ne impediantur a regulari observantia ad tramitem Constitutionum, nisi id ad tempus necessarium fuerit ob peculiaria adiuncta.

Superior religiosus autem si quandoque persuasum sibi habeat, alicuius subditi spirituale vel etiam temporale bonum postulare ut ab uno in alium locum transferatur, vel ab officio aliquo aut munere amoveatur, reverenter et fiducialiter rem Superiori missionis exponat. In casu tamen dissensus, Superioris missionis sententia praevalere debet, firmo iure competentis Superioris religiosi ad normam Constitutionum, sodalem, praemonito Superiore missionis, a missione definitive revocandi.

Superior vero missionis nequit missionarios extra territorium missionis mittere, etsi in bonum missionis vel ad negotium eiusdem gerendum, sine assensu proprii Superioris religiosi competentis.

133. [*De domibus religiosis canonice erigendis in locis Missionum*]. Licet stationes vel residentiae in quibus missionarii degunt sola auctoritate Superioris missionis canstitutae sint, non prohibetur quominus praeterea domus religiosae, etiam exemptae, quinimmo etiam religiosae provinciae vel aliae circumscriptiones ad instar provinciarum, servatis de iure servandis, canonice erigantur. In hisce et similibus casibus Superiori missionis ea tantum competunt, quae a iure communi, congrua congruis referendo, Ordinariis locorum conferuntur.

134. [*De re oeconomica rite definienda*]. Nisi aliter provisum fuerit, Superiori Ecclesiastico missionis onus incumbit providendi ad missionariorum congruam sustentationem.

Nihilominus, honoraria SS. Missarum et iura stolae non missioni sed secundum Constitutiones missionario vel instituto cedunt, quibus eiusdem instituti communibus necessitatibus subveniri possit, praesertim ad missionariorum institutionem quod attinet.

Insuper, fructus personalis industriae non missionalis sodalium, ut scriptio libri, confectio operae artis, necnon proventus ipsis titulo personali obtingentes uti pensiones ordinis civilis, similiter instituto vel ipsi missionario secundum Constitutiones proprias devolvuntur.

135. [*De apostolatu religiosorum in Missionibus non commissis proprio Instituto*]. Valde diversa est conditio sodalium statuum perfectionis qui operam apostolicam navant in missionibus non commissis proprio instituto, sed ad easdem ab Ordinario loci vocantur. Pro ipsis leges communes de apostolatu religiosorum generatim applicantur. Nihilominus, omnino iuvat ut specialis ineatur inter Ordinarium loci et Superiorem instituti conventio, quae mutua officia et iura accurate et aequa ratione definiat.

Idem observandum erit quando missio alicui instituto commissa ab eo aufertur, ut missionarii qui in eadem permanent, certam habeant normam quomodo sese gerere debeant.

NOTA

[1] Cf. Instruct. S. C. de Prop. Fide, d. 8 dec. 1929: *A.A.S.*, Vol. XXII (1930), pp. 111-115.

COMMISSIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

I

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS *

CAPUT 1
DE MINISTRO CONFIRMATIONIS

Communis omnium mater Catholica Ecclesia, sanctificationis filiorum suorum et perfectionis cupida, Sacramentum Confirmationis, in quo Spiritus Sanctus datur « ad robur spiritualis pugnae » et promovetur homo « ad perfectionem spiritualis aetatis » (Sanctus THOMAS, *S. Th.,* III, q. 72, aa. 8, 9), omnibus fidelibus semper exhibere curavit, ut in praesenti peregrinatione gratiae augmentum fideique confessionis virtutem habeant, et in coelesti patria maius assequantur gloriae incrementum (*Catechismus Romanus,* P. II, n. 17).

Sacrum Tridentinum Concilium (sess. VII, *de sacr. confirmationis,* can. 3) declaravit ministrum ordinarium huius administrandi Sacramenti esse solum Episcopum; quod haec quoque Oecumenica Synodus iterum declarat ac definit. Omni igitur ope Pastores ecclesiarum ministerium hoc ipsis valde proprium exercere conabuntur, quod pro bono et exspectatione plebis per se ipsi ordinarie administrare tenentur.

Sollicitudo autem matris Ecclesiae, inde ab antiquis temporibus (cf. S. GREG. M., *Epist. ad Ianuarium Episc. Caralitanum,* ML. 77, 696), presbyteris quibusdam imprimis dignitate praestantibus per ministerium Summi Pontificis indulsit, ut, necessitate bonoque fidelium id flagitante, hoc Sacramentum Spiritus Sancti, tamquam extraordinarii ministri conferre valerent ad subveniendum sive infantibus, sive adultis in mortis periculo constitutis, sive illis qui in certis rerum et personarum adiunctis a ministro ordinario sacramentum Confirmationis haud susciperent. Cuius rei argumentum Sanctae Sedis indulta et praescriptiones sunt.[1]

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in congregatione altera sessionis tertiae, die 16 ian. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 96-116.

[1] Decretum S. C. de Sacramentis, *Spiritus Sancti munera* d. 14 septembris 1946 (*A.A.S.,* v. 38 [1946] p. 349 ss.); Instructio S. C. de Sacramentis d. 20 maii 1934 (*A.A.S.,* v. 27 [1935] p. 11 s.); cf. Decretum S. Congr. de Prop. Fide, d. 18 decembris 1947 (*A.A.S.,* v. 40 [1948] p. 41); Decretum S. Congr. pro Eccl. Orientali, d. 1 maii 1948 (*A.A.S.,* v. 40 [1948] p. 422 s.).

I. Ut maternarum Ecclesiae in filios suos curarum testimonium eluceat novum, auctis dominici gregis necessitatibus, ne plures fideles gratia tanti Sacramenti propria careant, Sacrum hoc Concilium largitur, ut in Ecclesia Latina Sacramentum Confirmationis ministrandi facultate ipso iure gaudeant, etsi episcopali charactere carentes, praeter S. R. E. Cardinales (*C.I.C.*, can. 239, § 1, n. 23; can. 782, § 3), Abbas vel Praelatus nullius, Vicarius et Praefectus Apostolicus, Administrator Apostolicus, qui tamen hac facultate valide uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum. Eamdem facultatem iisdemque conditionibus habent Vicarius Capitularis et Vicarius Generalis, hic autem de speciali Episcopi mandato. Praeterea Concilium derogare non intendit facultatem Cappellanis navigantium eorumque Directoribus a Pio XII tributam, *durante munere* (*A.A.S.*, v. 46 [1954], n. 82, p. 416).

II. Pro iis qui ex gravi morbo in mortis periculo sunt constituti, facultas conferendi sacramentum Confirmationis conceditur sequentibus presbyteris:

a) parochis intra limites proprii territorii paroecialis;

b) vicariis paroecialibus, qui locum parochi tenent in omnibus, quae ad animarum curam spectant, necnon missionariis emigrantium quibus curam animarum in propria dioecesi locorum Ordinarii commiserint (S. Congr. Consist., *Declaratio,* d. 7 octobris 1953, *A.A.S.*, v. 45 [1953], p. 758);

c) sacerdotibus, quibus exclusive et stabiliter commissa sit in certo territorio et cum determinata ecclesia plena animarum cura, cum omnibus parochorum iuribus et officiis;

d) vicariis cooperatoribus paroeciarum de licentia saltem praesumpta parochi.

Parem habeat facultatem Cappellanus Vicariatuum Castrensium legitime constitutorum, si et in quantum ab Ordinario Castrensi stabiliter pro militibus sit deputatus, durante munere, aut si plures sint stabiliter constituti, eorum primus.

In publicis autem valetudinariis vel in hospitalibus infirmorum curandorum aedibus, Ordinarius loci moderatori cappellanorum concedere poterit facultatem, qua ille in memoratis valetudinariis domibusve tantum fruatur, sacramentum Confirmationis morientibus administrandi (cf. Ioannes XXIII, *Prima Romana Synodus,* art. 154, 2°).

Insuper Cappellani navigantium eorumque Directores gaudent facultate *durante munere* hoc sacramentum conferendi cuilibet christifideli in navi versanti, ex gravi morbo in periculo mortis constituto (S. Congr. Consist., *Normae et Facultates,* n. 8, 1°, d. 14 martii 1954, *A.A.S.*, v. 46 [1954], p. 416).

Hae facultates pro bono spirituali eorum qui vita periclitantur, conceduntur, ea lege ut Episcopus dioecesanus haberi non possit vel legitime impediatur quominus Confirmationem per se ipse valeat conferre, nec alius praesto sit Episcopus communionem habens cum Apostolica Sede, licet titularis tantum, qui sine gravi incommodo sacramentum conferre queat. Confirmatio in descriptis adiunctis gratis quovis titulo est conferenda.

CAPUT 2

DE AETATE CONFIRMANDORUM

In Ecclesia Latina sacramentum Confirmationis fidelibus ad septimum circiter annum convenienter administratur (cf. *C.I.C.,* can. 788).

Etiam ante septennium hoc sacramentum conferre licet si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob iustas causas videatur. Equidem opportunum est et conformius naturae et effectibus sacramenti Confirmationis, pueros ad sacram Mensam prima vice non accedere nisi post receptum Sacramentum Confirmationis, quod est veluti complementum Baptismi et in quo datur plenitudo Spiritus Sancti; non tamen iidem censendi sunt prohiberi quominus ad eamdem Mensam prius admittantur, si ad annos discretionis pervenerint, quamvis Confirmationis sacramentum antea accipere non potuerunt (cf. S. Congregatio de Sacramentis, decr. *Plures petitiones,* d. 30 iunii 1932, in *A.A.S.,* v. 24 [1932], p. 272).

Quodsi Ordinarius loci aetatem confirmandorum differendam esse crediderit usque ad duodecimum circiter aetatis annum, id non nisi ex iustis gravibusque causis fiat oportet, praesertim uberioris ac plenioris catechisticae instructionis ipsius confirmandi.

CAPUT 3

DE PATRINIS

Iuxta vetustissimum Ecclesiae morem, ut in baptismo, ita etiam in Confirmatione adhibendus est patrinus, si haberi possit (cf. *C.I.C.,* can. 793).

Haec Sacrosancta Synodus Ordinarios loci aliosque animarum pastores hortatur, ut populum fidelem edoceant de munere praestantissimo patrinorum in sacramento Confirmationis, confirmatum videlicet perpetuo sibi commendatum habendi eiusque christianam educationem curandi, praesertim si parentes propriam obligationem negligant vel non adimpleant.

Obligatio patrinorum nititur in cognatione spirituali per validam confirmationem inter confirmatum et patrinum exorta (cf. *C.I.C.,* can. 797).

Textus definitive adprobatus in Sessione Generali Commissionis de disciplina Sacramentorum habita a die 24 mensis februarii usque ad diem 4 mensis martii 1961.

II

DE SACRAMENTO POENITENTIAE *

Absolutio sacramentalis sacerdotis est actus iudicialis (*Concil. Tridentinum,* sess. XIV, can. 9); et ideo ille iurisdictione in confitentes sibi peccata praeditus sit oportet, quae aut ordinaria aut delegata esse potest (cf. *Conc. Trid.,* sess. XIV, cap. 7).

Ordinaria iurisdictione ad confessiones excipiendas in universa Ecclesia, praeter Romanum Pontificem, potiuntur S. R. E. Cardinales; pro suo quisque territorio Ordinarius loci, et parochus aliique qui loco parochi sunt (*C.I.C.,* can. 873, § 1).

Ministerii autem apostolici in animarum salutem officium postulat, ut plures alii apti et animarum studio compulsi sacerdotes « confitentibus actionem poenitentiae dent et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admittant » (S. LEO M., *Epistola ad Theodorum Episcopum Foroiuliensem,* ML, 54, 1011).

Quare, necessariam ad peccatorum absolutionem iurisdictionem, sive ordinariam sive delegatam, Ecclesia quamplurimis sacerdotibus sollicita largitate concedit, prae oculis habitis personarum dignitate atque populi christiani necessitatibus.

Cum vero vitae consuetudines hodiernae celeriter se evolvant, et cum itinera impraesentiarum cotidie frequentiora evadant, plurimi locorum Ordinarii significarunt facultates audiendi confessiones adhuc extendi oportere, ut facilior et frequentior fidelibus occasio adsit ad poenitentiae sacramentum recurrendi. Huius extensionis necessitas exhibetur in haud paucis canonibus a Conciliis plenariis aut particularibus latis, necnon in conventionibus quas in plerisque regionibus locorum Ordinarii inter se inire voluerunt. Accedit commune votum ut casus Ordinariis reservati perpauci sint.

Haec igitur Sancta Oecumenica Synodus, quod sit huiusmodi exoptatis satis, per sequentia capita statuere decrevit.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in congregatione altera sessionis tertiae, die 16 ian. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 116-137.

CAPUT 1

DE IURISDICTIONE AD AUDIENDAS CONFESSIONES EXTENDENDA

1. *Privilegium Metropolitarum.*

Metropolita seu Archiepiscopus qui praeest provinciae ecclesiasticae, gaudet in eadem privilegio audiendi confessiones etiam religiosorum utriusque sexus et absolvendi ab omnibus peccatis et censuris etiam reservatis, exceptis tantum censuris Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatis et illis quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii.

2. *Privilegium Episcoporum.*

Ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis, Episcopi sive residentiales sive titulares gaudent ex iure privilegio audiendi confessiones ubique terrarum, et absolvendi a peccatis, exceptis iis tantum quae Sedi Apostolicae reservata sint, salvis iuribus Episcoporum in propria dioecesi (cf. IOANNES XXIII, *Prima Romana Synodus,* art. 69).

3. *Privilegium sacerdotum.*

Sacerdotes omnes peccata sua confiteri possunt apud quemlibet sacerdotem, qui nullo canonico impedimento sit irretitus et ab aliquo Superiore competente ad confessiones audiendas approbatus (cf. IOANNES XXIII, *Prima Romana Synodus,* art. 67).

4. *Facultates sacerdotum peregrinantium.*

Salvis facultatibus iam concessis sacerdotibus qui iter maritimum aut aereum arripiunt (*C.I.C.,* can. 883; PIUS XII, Motu Proprio *Animarum studio,* d. 16 decembris 1947, *A.A.S.,* v. 40 [1948], p. 17), in sacris peregrinationibus aliisve itineribus religionis aut caritatis causa communiter susceptis, sacerdotes eisdem addicti vel quomodolibet in eisdem participantes, dummodo vel a proprio Ordinario vel ab Ordinario loci in quo eisdem adiunguntur vel etiam ab Ordinario cuiusvis loci per quem in itinere transeunt facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere expeditioneve, quorumlibet fidelium secum itinerantium et eorum qui ipsis confiteri petant confessiones excipere, eosque absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis (cf. IOANNES XXIII, *Prima Romana Synodus,* art. 65).

5. *Facultates confessoris occasionalis.*

Sacerdos ad confessiones excipiendas ab aliquo loci Ordinario approbatus, nec canonice impeditus, etsi in loco quo versatur facultate confessiones audiendi careat, valide et licite, etiam a peccatis Ordinario reservatis, absolvere poenitentes potest qui eidem confiteri petunt, si difficilis sit recursus

ad loci Ordinarium, nec praesens sit alius sacerdos in loco approbatus, vel, si adsit, poenitentes eidem confiteri nequeant vel recusent.

In iis adiunctis, idem sacerdos confessiones audire potest aliarum quoque personarum, quae ad eundem forte accedant.

6. *Facultates a parocho delegatae.*

Parochi et ii qui parochorum nomine in iure veniunt, facultatem audiendi confessiones in proprio dumtaxat territorio concedere possunt sacerdotibus ab aliquo Ordinario loci ad confessiones excipiendas approbatis nec ullo canonico impedimento correptis, non ultra octo integros dies, non computato die concessionis.

Caput 2

DE POTESTATE CONCILIORUM PARTICULARIUM

Salvis facultatibus ad audiendas confessiones ab hac Sacrosancta Synodo elargitis, Concilia plenaria vel provincialia ad normam iuris celebrata, alias quoque pro suo cuiusque territorio et iuxta necessitates eiusdem particulares concedere possunt, quas Episcopi in sua dioecesi revocare nequeunt, nisi in casibus particularibus et iusta de causa.

A casibus vero reservandis abstineant.

Caput 3

DE PECCATIS RESERVATIS

Haec Oecumenica Synodus affirmat iterum potestatem Episcoporum reservandi sibi casus (*Conc. Trid.*, sess. XIV, cap. 11), limitando nempe inferioribus absolvendi potestatem et ad suum avocando iudicium quaedam peccata.

In mentem quoque revocare voluit verba Concilii Tridentini: « Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus, absolverentur » (sess. XIV, cap. 7).

Extraordinarium hoc remedium ad inolitum publicum vitium extirpandum aut collapsam forte christianam disciplinam instaurandam perstringendum est (cf. *Instructio S. S. C. S. Officii,* d. 13 iulii 1916, n. 2, *A.A.S.*, v. 8 [1916], p. 313).

Non, enim, in eo consistit quod fideles a peccatis absterreantur quorum absolutionem noverint difficilem, siquidem temporibus nostris absolutio fere semper est impertienda, si peccator debite poeniteat. Reservationes potissimum valent ut fideles a peccatis arceantur quorum specialem malitiam et gravitatem inde saltem percipiunt quod reservata sint iudicio Superiorum, ita ut eorum absolutio non nisi ab eis detur aut saltem de eorum facultate.

Experientia vero satis comprobavit, reservationes peccatorum, si debitam mensuram et modum excedant, in animarum perniciem potiusquam in earum utilitatem vergere posse (cf. *Instr. S. S. C. S. Officii,* l. c.).

Ideoque, attentis desideriis SS. Congregationum, Episcoporum et Superiorum Religiosorum Concilio Oecumenico expositis, haec Sancta Synodus censuit peccata ratione sui vel censurae reservata ulterius esse restringenda.

Quod ad reservationes Episcoporum attinet, ne plus quam duo peccata sint in dioecesi reservata, neve in vigore maneant ultra triennium, nisi Episcopus ob speciales rationes prorogandam reservationem esse censuerit.

* * *

Nota – Circa reservationes autem peccatorum ratione censurae, Commissio de disciplina Sacramentorum censuit quaestionem integre tractari non posse, nisi totum systema poenale Ecclesiae examini subiiciens.

At tale examen competentiam huius Commissionis excedere visum est; quin etiam alias Commissiones propriam competentiam hac de re potiori forte titulo affirmare posse.

Cum autem reformatio iuris poenalis ecclesiastici maxime in votis habeatur, Commissio desiderium expressit, ut Commissio Centralis illis providere ne dedignetur iuxta formam et modum quem aptiorem esse crediderit.

Textus definitive adprobatus in Sessione Generali Commissionis de disciplina Sacramentorum habita diebus 4-11 maii 1961.

III

DE SACRAMENTO ORDINIS *

Christus Dominus sacram hierarchiam in Ecclesia constituere voluit, quae Episcopis, presbyteris et ministris constaret. Officiis, enim, in sacrorum administratione et animarum cura fungi illos oportebat, qui potestatem haberent gratia divina concessam per manuum impositionem.

Sane, « sacramentum ordinis a Christo institutum, quo traditur spiritualis potestas et confertur gratia ad rite obeunda munia ecclesiastica, unum esse idemque pro universa Ecclesia, catholica fides profitetur ».[1] Totus autem ordo sacer ad sancti sacerdotii ministerium conducit.

« Consentaneum autem fuit, ait Sacra Tridentina Synodus, quo dignius et maiori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines (*Matt.,* 16, 19; *Luc.,* 22, 19; *Io.,* 20, 22 ss.), qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi ut, qui iam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent (can. 2). Nam non solum de sacerdotibus sed et de *diaconis* sacrae litterae apertam mentionem faciunt (*Act. Ap.,* 6, 5; *I Tim.,* 3, 8 ss.; *Philip.,* 1, 1), et, quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent » (*Conc. Trid.,* sess. XXIII, cap. 2).

Ab ipso autem Ecclesiae initio diversorum ordinum nomina atque uniuscuiusque eorum propria ministeria in usu fuisse cognoscuntur, in minores et maiores ordines distributa, quique omnes in sacerdotale ministerium tendunt.

Porro sacrorum ministrorum ordinumque varietas et amplitudo in Ecclesia cum Latina tum maxime Orientali per multa saecula perduraverunt manifestae; sed quorumdam functiones pluribus in locis decursu temporis aliquandiu sunt intermissae (cf. *Conc. Trid.,* sess. XXIII, c. 17, *De reformatione*). Etsi ordines conferrentur maiores et minores iuxta traditiones ab ecclesiis receptas, tamen ministri in suo quisque gradu stabiles, ultimis praesertim saeculis, rariores facti sunt. Immo Codex Iuris Canonici edixit: « Prima tonsura et ordines illis tantum conferendi sunt, qui propositum habeant ascendendi ad presbyteratum et quos merito coniicere liceat aliquando dignos futuros esse presbyteros » (*C.I.C.,* can. 973, § 1).

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in tertia congregatione sessionis tertiae, die 17 ian. 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars II, pp. 138-179.

[1] Pius XII, Const. Ap. *Sacramentum Ordinis* d. 30 novembris 1947, *A.A.S.,* 1948, vol. XL, p. 5.

Legislator tamen expresse praecavere voluit, ordinatum, qui superiores ordines recipere recusaret, ab Episcopo ad eos recipiendos cogi non posse, nec prohiberi a receptorum ordinum exercitio, nisi impedimento canonico detineretur, aliave, iudicio Ordinarii, obstaret causa (cf. *ib.,* § 2). Canon igitur ordinationis libertati consulere intendit, ac simul stabile officium in functionibus ministerii sacri infra presbyteratum non exclusit.

Praesentis temporis Ecclesia laetatur de cleri mirabili actuosaque in bonum animarum industria ac de populi quoque christiani aucto fervore; quare supernaturalis vita atque Dei regni in terris propagatio ac dilatatio magis magisque revirescunt pro honore Dei ac totius redempti generis salute.

In Domino igitur magnam spem fovere licet fore ut vocationes ad sacra ministeria cotidie numerosiores excitentur gratia Dei, adiuvantibus pastorum zelo animarum atque populi christiani collaboratione in aedificationem et perfectionem Corporis Iesu Christi Mystici (cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis Christi,* d. 29 iunii 1943, *A.A.S.,* 1943, vol. XXXV, p. 241). Non minuit sed auget illam fiduciam aetatis huius operositas christianorum, qui Ecclesiae sortes adeo diligunt ut in apostolatu sub ductu Episcoporum militare copiosius adspirent.

Tempus idcirco advenire videtur ordines minores et diaconatum, apte atque ad hodiernas exigentias accommodate, iuxta veterem praxim denuo instaurandi, illis praesertim regionibus, in quibus peculiares necessitates ob sacerdotum penuriam instant. Si autem ministri sacerdotibus inferiores istorum defectum iuxta proprium gradum in multis supplere valebunt, vel ipsi presbyteri cum ministrorum inferiorum actuosa participatione, curam populi pastoralem, propriis suis ministeriis incumbentes, exactius ac fructuosius gerere poterunt, neminem latet quam salutares fructus pro Ecclesia Dei inde oriri valeant.

Haec itaque Sancta Oecumenica Synodus ad sacra quoque officia peragenda in gradibus sacerdotio inferioribus stabiliter constitutis eos adsciscere desiderat, qui divinam vocationem sentientes et prosequentes sacerdotum ministerio postulent ac valeant inservire, iuxta proprium gradum in clerum adnumerati.

Quoniam autem huiusmodi instauratio nonnullas difficultates disciplinae clericali a saeculis servatae afferre poterit, Sancta haec Synodus exoptat ut ea sub immediata tutela fiat Sedis Apostolicae, cuius est debitis cum cautelis in arduis rebus procedere.

Imprimis clerici omnes, pro suo cuiusque gradu ministerii, idonei sint oportet, cum debita scientiae ac virtutis praeparatione, peculiari curae Episcoporum commissa; universum dein animarum ministerium sub regimine ac disciplina procedat necesse est Pastorum dioeceseon, qui clericos secundum potestatem receptae ordinationis in paroeciis, quasi-paroeciis, aut aliis officiis ecclesiasticis apte ac congruenter distribuant.

Omnes autem clerici speciali obligatione tenentur suo quisque Ordinario reverentiam et oboedientiam exhibendi (*C.I.C.,* can. 127). Igitur clericis,

quoties et quamdiu id, iudicio proprii Ordinarii, exigat Ecclesiae necessitas, ac nisi legitimum impedimentum excuset, reverenter suscipiendum erit ac fideliter implendum munus quod ipsis fuerit ab Episcopo commissum (*C.I.C.*, can. 128).

Quo vero efficacius haec principia in praxim deducantur atque universi cleri disciplina ad hanc nostram aetatem congruentius aptetur, Sancta haec Oecumenica Synodus per sequentia capita quaedam maioris gravitatis disponere decernit.

Caput 1

DE DIACONATU PERMANENTE SEU STABILI INSTAURANDO

1. *Instauratio.*

Haec Sancta Synodus censet diaconatum permanentem seu stabilem, uti in Ecclesia Orientali a saeculis viget (cf. Motu Proprio *Cleri sanctitati,* can. 62, § 2), etiam in Ecclesia Latina iuxta veterem praxim instaurari expedire.

Quod quidem pro illis dioecesibus ac regionibus potissimum valeat, in quibus defectus sacerdotum difficiliorem reddit curam animarum. Haec autem instauratio ne fiat nisi de iudicio Sanctae Sedis.

2. *Quinam diaconi stabiles dicantur.*

Diaconi permanentes seu stabiles sunt clerici in sacro ordine diaconali constituti, ut in eo gratia sacramentali corroborati ministerium sibi peculiariter commissum exerceant, nec ad ordinem presbyteralem adspirent.

3. *Quibus diaconatus stabilis conferendus.*

Diaconi permanentes illi tantum ordinandi sunt, quos merito coniicere liceat hunc sacrum ordinem elegisse ut Deo fidelem cultum praestent et in bonum spirituale animarum adlaborent (cf. *Conc. Trid.,* sess. XXIII, cap. 4, *De reformatione*).

Ad illum autem ascendere non poterunt, nisi postquam eis ordines inferiores gradatim, servatis interstitiis, conferantur, ita ut ordinationes per saltum omnino prohibeantur (cf. *C.I.C.,* can. 977).

4. *Quod officium eisdem tribuendum.*

Ex Sacrarum Litterarum testimonio (*Acta Apost.,* 6, 2), apostolica traditione et ecclesiastica praxi constat diaconos fuisse constitutos tamquam Episcoporum et Ecclesiae ministros (Hippolytus, *Traditio Apostolica,* ed. H. Achelis, pag. 109; Cyprianus, *Epistola* 2, 3, ed. CV, 3, 471); nam diaconus « Episcopi auris et os et cor et anima » (*Didascalia,* ed. Funk, I, 102) sit oportet. Cuius ministerii explicatio in decursu saeculorum ad plura aptata est quae tum liturgiam cultus divini, tum administrationem sacrorum et

verbi Dei, tum disciplinam ecclesiarum, tum rerum temporalium curam et distributionem comprehendebant.

In praesenti autem instauratione diaconorum stabilium Sancta haec Synodus ad normam iuris sequentes functiones eisdem tribuere statuit:

a) *functiones sacras*: ad altare ministrare, « commentatoris » officium in s. liturgia peragere, baptizare, S. Eucharistiam etiam infirmis distribuere, matrimoniis assistere, sacramentalia, praesertim benedictiones non reservatas, dare, in expositione Sanctissimi Sacramenti etiam benedictionem Eucharisticam impertire, exequias peragere, Verbum Dei praedicare;

b) *functiones ministeriales seu pastorales*: catechesim peragere, adiutorium parocho praestare in cognoscendis ovibus et errantium correctione, aegrotos visitare et infirmis assistere, sodalitates et fidelium associationes dirigere, operariorum consociationibus adesse, nupturientium christianam praeparationem curare, actionem catholicam in diversis coetibus promovere, caritatis sive spiritualis sive temporalis opera iuvare, statum animarum conficere, libros paroeciales conscribere et alia eiusmodi;

c) *functiones iurisdictionales*: munera eis committi possunt aliquam participationem secumferentia potestatis ecclesiasticae iurisdictionis, quae in Curia dioecesana aut in Tribunali ecclesiastico absolvi debent, uti sunt officia cancellarii, promotoris iustitiae, defensoris vinculi, notarii; at eis officia conferre non expedit, quae iurisdictionem proprie dictam exigant;

d) *functiones administrativas*: munera explere possunt in Consilio dioecesano administrativo, aliisve consiliis quae in dioecesibus constitui debent, necnon bona ecclesiastica administrare sive dioecesana sive paroecialia sub regimine tamen Episcopi vel parochi.

Omnes diaconi suas functiones intra ambitum sacrum peragentes habitum ecclesiasticum secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta induant necesse est.

5. *Status canonicus.*

Diaconi invalide matrimonium attentant, nisi ad statum laicalem auctoritate legitima reducti fuerint. Viri uxorem habentes, ex dispensatione generali a Sancta Sede pro certis regionibus statuta, aut ex dispensatione apostolica particulari, diaconi stabiles, observatis canonicis requisitis, ordinari poterunt.[2]

Clerici caelibes, in dioecesi cui diaconos stabiles habere Sancta Sedes permiserit, auctoritate Episcopi proprii ordines suscipere possunt usque ad diaconatum, in quo cum obligatione caelibatus permaneant. Non autem interdicitur, ut iidem, si secundum canonica praescripta omnes requisitas conditiones habeant, ab Episcopis propriis, accedente dispensatione apostolica, sacerdotes aliquando ordinentur.

---

[2] Hoc comma non adprobaverunt Exc.mi Fares (Archiep. Catacen.), Morgante (Ep. Asculanus), Chedid (Ep. tit. Arcen.) et Rev.mi Pinto et Bastnagel.

In Religionibus clericalibus iuris pontificii, necnon in Societatibus in communi viventium sine votis atque in Institutis saecularibus, si iuris pontificii ac clericales sint, diaconi stabiles sub conditionibus iisdem ordinarii poterunt, dummodo illarum Constitutiones a Sede Apostolica speciali modo approbatae id permittant.

6. *Scientia requisita.*

Diaconi stabiles congruam eorum statui scientiam habeant, quam ante ordinationem possidere debebunt. Scientia debita ad sacras disciplinas se referat, in quibus ea futuri diaconi addiscant, quae pro ministeriis iisdem committendis necessaria vel opportuna videbuntur; rectam ac solidam formationem attingant in rebus fidei et morum, in disciplina sacramentali et ecclesiastica, in praxi liturgica ac usu linguae ecclesiae, in normis adhibendis pro cura pastorali, in operibus caritatis maxime socialibus exercendis, in aliis quae dioecesibus aut missionibus secundum diversitatem regionum utilia reputabuntur.

Cum vero pro diversis locis scientia debita non aequalis appareat, ante ordinationem diaconalem ea requirenda erit, quae, per instructiones a Sancta Sede dandas, pro variis locis praescribatur.

7. *Titulus canonicus.*

« Cum non deceat eos qui divino ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere » (*Conc. Trid.*, sess. XXI, cap. 2, *De reformatione*), etiam pro diaconis stabilibus titulus canonicus sustentationis haberi necesse est.

Si agatur de diaconis qui caelibatum perpetuum servant, unus praesto eis ante ordinis maioris susceptionem esse debebit ex titulis, qui iure communi tamquam securus pro ordinati vita et vere sufficiens ad congruam eiusdem sustentationem reputetur, secundum normas ab Ordinario pro diversis locorum et temporum necessitatibus et adiunctis dandas (cf. *C.I.C.*, cc. 979, § 2, et 980).

Pro diaconis coniugatis quoque titulus canonicus sustentationis requirendus erit, praesertim si totaliter servitio dioecesis sese mancipare debeant. Quodsi Sancta Sedes indulserit, ut diaconus ordinetur vir coniugatus, qui, in professione saeculari permanendo, servitium dioecesis praestet eidem ab Ordinario praecipiendum, tamquam eius titulus canonicus ordinationis admitti poterit, titulus subsidii suppletorii. Hic titulus in cuiusvis generis fructibus ac proventibus constitui poterit, dummodo hi reditus, complexive sumpti, iudicio Ordinarii, securam dent cautionem de congrua, sufficienti et perpetua diaconi eiusque familiae sustentatione.

Pro diaconis stabilibus regularibus titulus canonicus est solemnis religiosa professio seu titulus, ut dicitur, paupertatis.

Pro diaconis stabilibus religiosis votorum simplicium perpetuorum est

titulus *mensae communis, Congregationis* aliusve similis, ad normam constitutionum.

Ceteri religiosi, sodales Societatum in communi viventium sine votis, ac membra Institutorum saecularium, quoad titulum ordinationis in diaconum stabilem, iure saecularium reguntur, salvis peculiaribus iuris praescriptionibus (cf. *C.I.C.*, can. 982 et can. 678).

Si Episcopus aliquem ordinaverit sine titulo canonico cum pacto ut ordinatus non petat ab ipso alimenta, hoc pactum, omni vi caret (cf. *C.I.C.*, can. 980, § 3).

8. *Obligatio divini officii recitandi.*

Diaconi stabiles, si caelibes sint, tenentur obligatione divinum officium persolvendi iuxta praescripta iuris canonici.

Si coniugati fuerint, quamdam officii divini partem recitare debebunt, iuxta modum et formam eisdem praescribendam.

9. *De reductione diaconorum stabilium ad statum laicalem.*

Etsi sacra ordinatio, valide recepta, numquam irrita fit, diaconus stabilis ad statum laicalem redigitur aut rescripto legitimae auctoritatis iusta de causa dato, aut poena depositionis.

CAPUT 2

DE ORDINIBUS MINORIBUS INSTAURANDIS

1. *Instauratio.*

Sacrum hoc Concilium exoptat, quemadmodum Concilium Tridentinum (sess. XXIII, c. 17, *De reformatione*) desiderio flagrans pristinos mores restituendi decrevit, ut in ecclesiis cathedralibus et paroecialibus, praesertim in missionibus aut locis dissitis functiones ordinum minorum propriae, in quantum commode fieri poterit, ab eis exerceantur, qui illos ordines susceperint. « Quodsi ministeriis ordinum minorum exercendis clerici caelibes praesto non erunt, suffici possint etiam coniugati vitae probatae, ad ea munia obeunda idonei, et qui tonsuram et habitum clericalem in ecclesia gestent » (*Conc. Trid.*, sess. XXIII, c. 17, *De reformatione*, in fine).

2. *Modus instaurationis.*

Sacra haec Synodus imprimis vehementer commendat ut illi qui ad sacerdotium adspirantes ordines minores receperint, eo tempore quod post receptum unumquemque usque ad susceptionem superioris ordinis, iuxta inferius dicenda, intercedet, ordines exerceant sub ductu Superiorum Seminariorum aut parochorum aut alius Superioris proprii, ita ut initia ministerii apostolici vere et realiter sumant atque in eodem experimentum capiant.

Quoad coniugatos attinet, alii ad munera ordinum minorum propria assumi poterunt, ut in eo statu tamquam clerici minores aut subsidiarii maneant; alii qui ad diaconatum stabilem adspirant munia ordinum minorum exercebunt per tempus determinatum quo melius ad altiora munera se praeparent.

In Ordinibus et Congregationibus religiosis, in Societatibus in communi viventium sine votis necnon in Institutis saecularibus, sodales, qui sacerdotium non assument nec diaconatum stabilem, clerici minores constitui poterunt ad normam constitutionum speciali modo a S. Sede approbatarum.

3. *Singulorum ordinum minorum munia.*

Collatio ordinum minorum in posterum ita fiet, ut prior ordo conferatur simul cum prima tonsura. Ordines minores, qui iuxta traditionem Ecclesiae Romanae quattuor numerantur: videlicet ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus (cf. *Pontificale Romanum,* tit. *De Ordinibus conferendis; C.I.C.,* can. 949) ita conferantur ut duobus tantum ordinibus constent: *lectoratu* qui ostiariatum continet, et *acolythatu* qui exorcistatum continet.

Lectoribus assignentur munia quae sequuntur: legere ei qui praedicat; lectiones cantare; officium « commentatoris » peragere (cf. *Instruct. S. C. R. de musica sacra et sacra liturgia,* die 3 septembris 1958 promulgata, nn. 96, 14 c; *A.A.S.,* v. 50 [1958] pp. 636, 659); instructiones pastorales legere; fidelium precationibus moderari; processiones sacras aliasque sacras functiones, in quibus populus ordinatim participat, dirigere; disciplinam sacrarum aedium et praesertim ecclesiae curare; coemeteriorum custodiam ad clausuram necnon religionem pietatemque in eis servandam fovere ac cavere; pueros in catechetica et religiosa institutione sub ductu parochi erudire.

Acolythis autem munera propria sunto: altaris ministerium tam in Missa cum cantu quam in Missa lecta (cf. *Instruct. S. C. R.,* cit. loco, nn. 3, 26, 27); partes populi proprias in missis, quae « dialogatae » dicuntur (cf. *Instruct. cit.,* n. 31), dirigere; in liturgicis actionibus piisque exercitiis operam parochi aut sacerdotis iuvare; altarium, praesertim in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur, curam habere; sacrae supellectilis conservationi et decori prospicere; aedem sacrarii curare; « parvum clerum », ut aiunt, seu pueros Missae in servitio liturgico apte erudire; benedictiones impertire aquae et salis, camporum, domorum, ciborum, atque animalium; parochum in visitatione infirmorum comitari, itemque in illius actione pastorali adiutorium praestare.

4. *Clericorum minorum assumptio.*

Assumantur in minoristas stabiles candidati selecti, qui primum temporaliter ad nutum Episcopi statum atque obligationes proprias experiantur, ut tandem perpetuo Ecclesiae servitio per convenientem promissionem se mancipent.

5. *Eorumdem eruditio.*

Instructioni et culturae saeculari pariter ac religiosae adiungere clericos minores oportet vitae interioris educationem ac formationem: per sacramentorum frequentiam, exercitia pietatis, studiorum ecclesiasticorum eorum munerum propriorum accommodatam renovationem. Praecipiatur minoristis ut a negotiis saecularibus se abstineant, quae iuxta proprium statum indecora aut periculosa videantur. Quorum omnium normae apte ab Ordinariis emanatae, iuxta principia in iure communi statuta, ac traditionibus, moribus, necessitatibus peculiaribus aptatae, eorumdem Ordinariorum vigilantiae executionique committuntur.

6. *Clericorum minorum sustentatio.*

Quoad ad minoristas stabiles attinet, ii adscripti intelligantur dioecesi (nisi candidatus sit religiosus) pro cuius servitio promoti ad ordines fuerint. Pro eorumdem sustentatione e reditibus ecclesiasticis stipendium assignetur, quo, prae oculis habitis conditionibus candidati qui proventus proprios habere potest, honeste vivat et suis familiaeque necessitatibus provideantur. Quodsi clericus minor ministerio ecclesiae totum se dedicet, honestam sustentationem ex stipendio Ecclesiae habere debebit.

7. *De ascensu clerici minoris ad superiores ordines.*

Clerici minores qui ad sacerdotium adspirant in ordinibus sacris recipiendis ius commune promotionis ad eos ordines servare tenentur.

Clerici minores stabiles qui ad diaconatum stabilem ascendere voluerint, si iudicio Ordinarii apti ad tale munus inveniantur, servatis conditionibus quae in capite praecedenti descriptae sunt, promoveri poterunt.

8. *De regressu ad statum laicalem.*

Clericus minor, qui nondum Ecclesiae servitium perpetuum assumpsit, ad statum laicalem regreditur sua ipsius voluntate, praemonito loci Ordinario. Si vero servitio Ecclesiae in perpetuum se mancipare spoponderit, eius regressus ad statum laicalem eget Ordinarii loci dispensatione, gravi de causa danda. In religionibus vero professus sive votorum simplicium sive sollemnium, dum religionem legitime deseruerit, eo ipso ab ordine clericali quem forse habuerit decidit, nisi Episcopum benevolum receptorem inveniat, qui illum in sua dioecesi sive temporaliter sive perpetuo recipiat.

Clericus minor ad statum laicalem regreditur etiam Ordinarii loci decreto, si graves causae adsint iudicio eiusdem Ordinarii, praesertim ubi servitium Ecclesiae perpetuum iam assumpserit. Ordinarius loci ad decretum ferendum ne procedat nisi monitionem opportunam clerico dederit cum reductionis comminatione et tempus resipiscentiae assignaverit ad clerici emendationem. Quodsi Ordinarius pro conscientia sua prudenter aestimaverit nullam spem emendationis adesse, decretum reductionis ad statum laicalem ferre poterit.

Caput 3

DE IRREGULARITATIBUS ALIISQUE IMPEDIMENTIS AD ORDINES

Irregularitates atque impedimenta in iure canonico ad ordines suscipiendos stabilita, media sunt quibus Ecclesia utitur ad dignitatem et fecunditatem sacri ministerii tuendas per accuratam selectionem ministrorum Christi et dispensatorum mysteriorum Dei (cf. *I Cor.* 4, 1). Sollicitudo enim Ecclesiae a tempore apostolico manifesta fuit ut ii ab ordinibus arcerentur qui idonei et digni novi Testamenti ministri non aestimarentur. Nullis autem non temporibus disciplina canonica pro diversis rerum adiunctis tam consuetudine quam Conciliorum praescriptis atque Romanorum Pontificum legibus, determinavit casus in quibus collatio et susceptio ordinum et consequenter eorum exercitium prohiberentur.

Codex Iuris Canonici canones promulgavit, ubi natura, dispositio irregularitatum atque impedimentorum, disciplina dispensationum pro iure vigenti accurate exprimebantur. Sacrum hoc Concilium considerans candidatos Ecclesiae viros boni testimonii (cf. *Act. Apost.,* 6, 3) esse debere, statuta Codicis Iuris Canonici confirmare intendit, nonnulla tamen ad hodiernorum temporum mentem et vices accommodare desiderans. Etenim fieri non potest quin, consuetudinibus mutatis, amplius non exstet relatio, quae hactenus vigebat, inter determinatas quasdam irregularitates sive impedimenta et personae vel ordinis dignitatem, quae ratio fuit praecipua institutionis irregularitatis eiusque perdurationis. Itaque:

1. *Irregulares ex defectu.*

Irregulares ex defectu (*C.I.C.,* can. 984) amplius non censeantur bigami, iudex qui mortis sententiam tulit, qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii ac immediati ministri in executione capitalis sententiae. Quod ad defectus corporis attinet, Ordinarii in eis aestimandis prae oculis habeant oportet progressus mediorum, quae scientia et technica huius aevi maximeque futuri corrigendorum corporum defectuum causa in dies perfectius adhibent, quaeque securitatem in altaris ministerii functione augent. Defectus quoque animi accurate perpendendi erunt per testimonia peritorum. Non solum morbus epilepticus vel amentia sed prae oculis habeantur etiam alii morbi, qui psychici dicuntur, quique peritorum iudicio ministerium ecclesiasticum impediunt cum decore et securitate exercendum. Quod si post receptos ordines morbum contraxerint et iam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere. Antequam aliquis a daemone possessus declaretur signa possessionis certa sint oportet (*Rituale Rom.,* tit. XII, cap. 1); quare peritorum, qui in catholica fide eximii sint, iudicium exquirendum erit.

2. *Irregulares ex delicto.*

Cum delicta irregularitatem non pariant, nisi fuerint peccata gravia, externa, sive publica sive occulta (cf. *C.I.C.*, can. 986), irregulares habeantur apostatae a fide vel haeretici et schismatici qui haeresim aut schisma post septimum aetatis annum amplexati sint. Irregulares autem non sint qui baptismum ab acatholicis receperint.

3. *Impedimenta ad ordines.*

Nostrorum quoque temporum adiuncta postulant ut ex impedimentis in *Codice Iuris canonici* (can. 987) recensitis quaedam, ob mutatam aestimationem aut causae recessionem, dispareant. Talis est conditio filii acatholicorum, aut servi servitute proprie dicta. Abolitionis huiusmodi ratio abunde constat ex eo quod accessus ad ordines filii acatholicorum, si ceteras conditiones possideat, non impediri sed laudari oportet; conditio vero iuridica servilis iam penitus abolita ubique censenda est.

Caput 4

DE AETATE ORDINANDORUM ET DE INTERSTITIIS PRODUCENDIS NECNON DE CASTITATE SERVANDA

E Romanorum Pontificum sollicitudine sapientissima documenta recentiore tempore emanarunt, quibus sacerdotis dignitas in utroque clero, saeculari seu dioecesano et religioso, per plenissimam atque solidam quam exigit institutionem, in tuto collocaretur (cf. Pius XI, Litt. Enc. *Ad Catholici Sacerdotii* [*A.A.S.*, 1936, pp. 1 ss.]; Pius XII, Alloc. *Sollemnis conventus* [*A.A.S.*, 1939, pp. 245-251]; Motu prop. *Quandoquidem* [*A.A.S.*, 1949, pp. 165-167]; Adhort. Apost. *Menti Nostrae* [*A.A.S.*, 1950, pp. 657-702]). Supremi Ecclesiae Pastores omnibus sanctuarii ministris sanctimoniae quoque officium, quo tenentur, exhibere, atque ad id eos adhortari non destiterunt, quippe quod « ad idoneam exsecutionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens; ut sicut illi, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis » (S. Thomas, *Summ. Theol., Supplem.*, q. 35, a. I, ad 3^{m}).

Nostrorum vero temporum discrimina suadent, ut pericula quae undique sacrorum ministrorum virtutibus insidiantur, quantum humanis remediis licet, evitentur; sin minus illorum formatio et educatio omnibus numeris praestent ad ministerium sacrum necessariis et opportunis. Alia ex parte non solum spiritualis et intellectualis alumnorum sacrorum institutio omnino est requirenda, verum etiam « praeter sanctitatem et scientiam congruentem, ad apostolicum ministerium rite implendum omnino postulari (dicendum est)

in sacerdote accuratissimam et omni ex parte perfectam pastoralem praeparationem, eam scilicet, qua vera peritia et dexteritas in multiplicibus christiani apostolatus muneribus rite obeundis gignatur et efformetur » (cf. PIUS XII, Const. Ap. *Sedes sapientiae,* IV, par. 35, in *A.A.S.,* 1956, vol. XLVIII, pag. 363).

Etsi ad id assequendum tempus formationis et educationis producere necessarium videatur, enixe tamen contendendum est, ut sanctuarii alumnus « ad omne opus bonum instructus » (*II Tim.* 3, 17) efficiatur. « Praeter igitur philosophica et theologica studia ad pastoralem quoque actionem opportune ordinanda, necesse omnino est ut futuris dominici gregis pastoribus per peritos magistros et ad Apostolicae Sedis normas tradatur ea de rebus psychologicis et paedagogicis, didacticis et catecheticis, socialibus et pastoralibus aliisque id genus eruditio, quae harum disciplinarum hodierno progressui respondeat, quaeque illos multiplicibus nostrorum temporum apostolatus necessitatibus idoneos paratosque efficiat. Quam doctrinalem de re apostolica institutionem et formationem, ut usu et experientia firmetur, practica quoque, quae dicitur, per gradus sapienter progrediens prudenterque moderanda exercitatio comitetur oportet » (cf. PIUS XII, Const. Ap. *Sedes Sapientiae,* l. c., par. 38-39).

Sacrum hoc Concilium bene novit hanc desideratam formationem sacrorum ministrorum obtineri non posse, nisi ex parte Episcoporum et religionum Antistitum multiplices adhibeantur curae, quae onera gubernationis ecclesiasticae peculiariter aggravant. Verum meminerint oportet « quaedam ad rei catholicae profectum ita necessaria (esse), ut cum iisdem ipsius Ecclesiae status atque incrementum coniungantur quam maxime. In quibus quidem recta adulescentis cleri institutio ac conformatio ponenda est » (PIUS XII, Motu Proprio *Quandoquidem, A.A.S.,* 1949, pag. 165).

Ut autem his necessitatibus subventum maxime sit, haec Sancta Synodus quaedam stabilienda esse censet, quae in posterum accurate observari decrevit:

1. *De duratione institutionis clericalis.*

Imprimis clericalis informatio tamdiu durare debebit quamdiu necesse sit ut praescripta de aetate ordinandorum, de scientia debita et de interstitiorum observantia apprime teneantur. Omnis igitur dispensatio in dictis praescriptionibus, reprobata quavis contraria consuetudine et revocato quovis contrario privilegio, uni Sedi Apostolicae sit reservata.

2. *De maiore aetate requisita ad clericum faciendum.*

Nemo sive saecularis sive religiosus ad primam tonsuram promoveatur et primum ordinem minorem recipiat qui maiorem aetatem (cf. *C.I.C.,* can. 88, § 1) non attigerit, neve ante inceptum cursum theologicum, si de iis agatur qui ad sacerdotium adspirent.

3. *De aetate et studiis requisitis in ordinatione eorum qui ad sacerdotium adspirant.*

Subdiaconatus ne conferatur ante annum vigesimum tertium completum, neve ante expletum tertium cursus theologici annum; diaconatus ante vigesimum quartum completum, post expletum cursum theologicum; presbyteratus ante vigesimum quintum completum, post expletum saltem annum diaconalem in quo ministerium apostolicum diaconi exercere debebunt.

4. *Diaconorum institutio pastoralis.*

Diaconi post absolutum cursum theologicum, ad institutionem pastoralem rite accipiendam, saltem per annum in speciali tirocinio versentur, quo peritis magistris usi, ad studia et praxim theologiae pastoralis provehenda et perficienda incumbant, iuxta Apostolicas ordinationes et instructiones (cf. PIUS XII, Motu Proprio *Quandoquidem* [*A.A.S.*, 1949, pag. 165]; Const. Ap. *Sedes Sapientiae* et *Statuta Generalia* adnexa, art. 48, § 1).

5. *Institutionis et exercitationis pastoralis continuatio.*

Post ordinationem presbyteralem neomystae curriculum pastorale saltem per unum annum continuabunt, vitam communem agent, sacris concionibus exercebuntur, impertiendaeque christianae doctrinae institutione; qua de causa in paroeciales aedes statis temporibus se conferent ubi eorum opera apte utiliterque dirigetur (cf. PIUS XII, Motu Proprio *Quandoquidem,* l. c., pag. 166).

6. *De interstitiis observandis*

In ordinationibus serventur temporum interstitia quibus promoti in receptis ordinibus, secundum Episcopi praescriptum, se exerceant (*C.I.C.*, can. 978, § 1).

Interstitia primam tonsuram atque lectoratum inter et acolythatum, itemque inter acolythatum et subdiaconatum unius anni sint; subdiaconus ad diaconatum ne antea promoveatur quam unum annum in suo ordine versatus fuerit; diaconus ad presbyteratum ne promoveatur nisi saltem annum diaconalem, iuxta superius dicta, consummaverit.

7. *De aetate requisita in ordinatione eorum qui ad sacerdotium non adspirant.*

Clerici caelibes qui ordines suscipere intendunt usque ad diaconatum, in quo cum obligatione caelibatus permaneant, lectoratum ne suscipiant nisi expleto vigesimo secundo aetatis anno, acolythatum autem non nisi post vigesimum tertium annum. Subdiaconatus iisdem ne conferatur ante expletum vigesimum quintum; diaconatus conferri poterit expleto trigesimo aetatis anno.

Qui coniugati sunt ordines minores suscipere nequeunt nisi vigesimum quintum aetatis annum expleverint, subdiaconatum non ante trigesimum, diaconatum vero non ante quadragesimum aetatis annum.

8. *De interstitiis observandis in ordinatione eorum qui ad sacerdotium non adspirant.*

Interstitia lectoratum inter et acolythatum sint saltem unius anni; acolythus ad subdiaconatum, subdiaconus ad diaconatum ne antea promoveantur quam acolythus duos annos, subdiaconus quinque annos in suo quisque ordine versati fuerint.

9. *De castitate servanda.*

Subdiaconi omnes et diaconi, qui ad sacerdotium adspirent, obligationem servandae castitatis perfectae et nuptias non contrahendi assumunt usque ad ordinis superioris receptionem, vel renuntiationem status clericalis coram Ordinario proprio, vel reductionem ad statum laicalem. Praesbyteri, necnon Diaconi stabiles, qui hunc sacrum ordinem caelibes susceperint, a nuptiis perpetuo arcentur et obligatione tenentur servandae castitatis.

Textus definitive adprobatus in Sessione Generali Commissionis de disciplina Sacramentorum habita diebus 10-23 octobris 1961.

IV

DE IMPEDIMENTIS AD MATRIMONIUM *

Sacramenti matrimonii disciplinam Sacrosancta Tridentina Synodus [1] feliciter reformavit; atque hodie post plura saecula substantialiter eadem perseverat non sine ingenti bono societatis tum ecclesiasticae tum civilis.

Sancta Mater Ecclesia suis legibus in id maxime intendit, ut matrimonium, prout a Deo est institutum cum suis proprietatibus essentialibus, sartum tectumque custodiatur, atque dignitas Sacramenti, ad quam Christus Dominus ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos evexit, eluceat, omnesque eam revereantur in bonum totius Societatis et imprimis ipsorum coniugum.

Attamen multis in regionibus matrimonium, quod dicunt, civile, etiam ipsis catholicis hodie imponitur. Equidem Ecclesia bene novit atque recognoscit competentiam Status circa mere civiles matrimonii effectus.[2]

Verumtamen haec competentia occasio aut praetextus esse non debet, ut celebratio actus civilis sit pro vero matrimonio habenda. Et contra hoc Ecclesia animadvertit suos filios ut caveant ne quod debitum est matrimonio christiano, id est, ut habeat de se effectus civiles, uni matrimonio civili eos attribuant, si quando non nisi illud celebrando obtineri possint.

Pia vero Mater Ecclesia maxime solet esse ad benignitatem indulgentiamve proclivis in rebus omnibus, quae cum incolumitate iurium et sanctitate officiorum suorum possunt una consistere.

Quare ipse Leo XIII [3] circa modum et curam quam catholici actum civilem ponentes habere debent, ne matrimonio christiano effectus civiles umquam desint, haec gravissima pertulit: « Omnibus exploratum esse debet, si qua coniunctio viri et mulieris inter Christifideles citra Sacramentum contrahatur, eam vi ac ratione iusti sacramenti carere; et quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen pluris esse non posse, quam ritum aut morem, iure civili introductum; iure autem civili res tantummodo ordinari atque administrari posse, quae matrimonia efferunt ex sese in genere civili, et quas gigni non posse manifestum est, nisi vera et legitima illarum causa,

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in septima congregatione sessionis sextae, die 10 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 1181-1221.

scilicet nuptiale vinculum, existat. Haec quidem omnia probe cognita habere maxime sponsorum refert, quibus etiam probata esse debent et notata animis, ut sibi liceat hac in re morem legibus gerere; ipsa non abnuente Ecclesia, quae vult atque optat ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur ».[4]

Haec principia religiose servanda sunt. Sancta autem haec Synodus animo reputat celebrationem matrimonii, quod dicunt civile, apud christifideles hodie frequentiorem, non parvas difficultates gignere, si nimis distent leges ecclesiasticae et civiles. Nam utrinque conditiones matrimonio celebrando imponuntur praesertim impedimentorum, validitatem aut liceitatem celebrationis diversimode afficientium. Alia autem ex parte hodiernis moribus inductus est vitae socialis novus cursus, ex quo impedimenta matrimonialia, praeteritis diebus accommodata, hodiernis moribus minus consona videri possunt; sed et dispensationes certis casibus in foro ecclesiastico fere numquam denegantur, unde fideles eorumdem utilitatem difficulter percipere valent. Atque adeo impedimentorum dirimentium multiplicitas, praesentibus adiunctis, matrimoniorum invalide contrahendorum numerum augere potest, quod devitare necesse est ne coniuges putativi gratia Sacramenti careant absque possibilitate saepe saepius eamdem obtinendi. Quapropter, impedimentorum matrimonialium accommodatio et reductio in foro canonico consentanea personis et temporibus nostris dicenda est, prout legislator ecclesiasticus etiam anteactis aetatibus opportune facere non destitit.

Itaque Sacrosanctum hoc Concilium in disciplina Codicis Iuris Canonici circa impedimenta ad matrimonium ea mutanda statuit, quae sequuntur:

1. *De impedimento voti.*

Omne votum validum, utpote promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore, ex virtute religionis impleri debet,[5] ideoque eius observatio, nisi cesset aut legitime dispensetur, ipso iure divino obligat.

Haec tamen Sancta Synodus votum *privatum* virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, amplectendi statum religiosum et suscipiendi ordinem sacrum, decernit ne in posterum impedimentum canonicum ad contrahendum matrimonium constituat.

Animadvertit autem fideles, eos, dum ligati praedictis votis coram Deo sint, promissis suis stare oportere.

Votum *publicum* perpetuum castitatis perfectae in professione religiosa emissum posthac sit impedimentum dirimens matrimonii.

Votum publicum temporale castitatis in professione religiosa emissum, dum obligat, matrimonium prohibet.

2. *De impedimento mixtae religionis* (cf. Schema proprium *de matrimoniis mixtis*).

3. *De impedimento impotentiae* (cf. *Appendicem* huius Schematis).

4. *De impedimento disparitatis cultus* (cf. Schema proprium *de matrimoniis mixtis*).

5. *De impedimento ordinis sacri.*

Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti.

6. *De impedimento professionis religiosae.*

Invalide matrimonium attentant religiosi qui votis perpetuis ligantur, ad normam n. 1.

7. *De impedimento criminis.*

Ob patratum crimen valide contrahere nequeunt matrimonium:

1) Qui, perdurante eodem valido matrimonio, adulterium inter se consummarunt eorumque alter coniugem occidit;

2) Qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem coniugi intulerunt.

8. *De impedimento consanguinitatis*:

1) In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales.

2) In linea collaterali irritum est usque ad secundum gradum inclusive.

3) Matrimonii impedimentum consanguinitatis non multiplicatur, etiamsi communis stipes multiplicetur. Attamen quotiescumque dispensatio petatur ab hoc impedimento, in precibus necessario exprimenda erit illa circumstantia quod impedimentum consanguinitatis procedit ex communi multiplicato stipite.

4) Numquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae, aut in primo gradu lineae collateralis.

9. *De impedimento affinitatis*:

1) Affinitas oritur ex matrimonio valido, etsi non consummato.

2) Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu; in linea collaterali in primo gradu tantum.

3) Affinitatis impedimentum non multiplicatur.

10. *De impedimento publicae honestatis.*

Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex notorio vel publico concubinatu; et nuptias dirimit in primo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa.

11. *De impedimento spiritualis cognationis.*

Impedimentum cognationis spiritualis abrogatur.

12. *De impedimento cognationis legalis.*

Qui lege civili prohibeantur aut inhabiles sint ad nuptias inter se ineundas ob cognationem legalem ex adoptione ortam, vi iuris canonici pariter matrimonium inter se aut contrahere probibentur aut valide inire nequeunt.

13. *De gradus maioris vel minoris impedimentis non distinguendis.*

Cum impedimenta matrimonii hucusque appellatione gradus minoris recensita, nunc sint abrogata, in omnibus rescriptis dispensationis impedimentorum subintelligenda est, etsi non expressa, conditio: « *Si preces veritate nitantur* ».[6]

APPENDIX

CIRCA IMPEDIMENTUM IMPOTENTIAE IN VIRO

RELATIO

PONTIFICIAE COMMISSIONIS DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM
AD PONTIFICIAM COMMISSIONEM CENTRALEM

Praesens argumentum omni cum sollertia praeparatum Votis Ill.mi ac Rev.mi Arcturi Wynen, Praelati Auditoris S. Romanae Rotae, Rev.mi P. Marcellini Zalba, S. I., Professoris Theologiae Moralis, dissertatione ab ipsa Secretaria minutim compilata, necnon amplissima Relatione Ill.mi ac Rev.mi Ioannis Pinna, Praelati Auditoris S. Romanae Rotae, discussum fuit in Sessione Plenaria Pontificiae Commissionis de disciplina Sacramentorum, die 23 octobris 1961.

Membra seu Sodales disceptationi praesentes, qui erant 24, rem omni ex parte diligenter examinaverunt, atque in duplicem sententiam venerunt, quae ceteroquin iam notae sunt in iurisprudentia ecclesiastica et in doctrina auctorum.

Omnes quidem convenerunt de gravitate et difficultate quaestionis, praesertim vero de necessitate eidem solutionem auctoritative dandi, cum praxis Dicasteriorum Curiae Romanae et Tribunalium sive Sanctae Sedis sive dioecesanorum aut regionalium in sententias abeat diversas atque inter se contradictorias, ita ut consectaria exinde gravia gignantur atque periculum scandali apud populum fidelem enascatur.

Ad rem autem maturius considerandam, communi consilio Sodales proposuerunt omnem suffragationem pro tunc esse differendam, atque denuo libratis argumentis quae in alterutram partem militant, i. e. sive pro sententia *negativa* sive pro sententia *positiva*, scripto esse disserendum circa puncta sequentia:

a) de necessitate solvendae quaestionis;

b) de principiis solutionis atque eiusdem fundamentis;

c) de sententia pro qua suffragium unusquisque emittendum proponeret.

Insuper, cum quidam aestimaverint novam adhuc instantiam experiri posse apud Pontificiam Commissionem Centralem, ut ipsa totius quaestionis solvendae causa Commissionem specialem designare dignaretur, Pontificia Commissio nostra de hac quoque propositione deliberare statuit.

Vota omni diligentia a Membris Pontificiae Commissionis de disciplina Sacramentorum exarata et ad nostram Secretariam missa viginti et quatuor sunt.

In eis unanimi consilio edicitur quaestionis solutionem novas non con-

sentire moras ob magnum detrimentum quod hac de re discussiones afferunt et honori qui auctoritati Ecclesiae debetur et animarum saluti.

Quod ad discussionem attinet, duplex sententia in considerationem venit:

a) *negativa,* scilicet, quae negat necessitatem cooperationis testiculorum, et in specie negat necessitatem materiae in testiculis elaboratae (« seminis ») ad hoc, ut copula naturalis sit per se apta ad prolis generationem;[7]

b) *positiva,* quae affirmat spermia esse *per se* necessaria ad coitum per se aptum ad prolis generationem, seu virum esse impotentem qui non habet potentiam emittendi in coitu naturali secretionem spermogeneticam testiculorum.

Sententia *positiva* obtinuit *suffragia 13.*

Sententia *negativa* obtinuit *suffragia 8.*

A suffragando *se abstinuerunt 3.*

Plerique suffragantes, fautores sive sententiae *positivae* sive sententiae *negativae,* optandum esse dixerunt ut Commissio quaedam mixta constitueretur cum Membris a Dicasteriis romanis, quorum controversia maxime interest, designatis, eum in finem ut communi deliberatione tam gravi quaestioni finis imponeretur.

Post examen huius propositionis ex parte omnium Pontificiae Commissionis nostrae Sodalium seu Membrorum, Commissio ad unanimitatem conclusit:

« Non esse a Pontificia Commissione de disciplina Sacramentorum Schema proprium proponendum, sed Pontificiae Commissioni Centrali *Relationem* fieri oportere omnium actorum Commissionis nostrae circa argumentum controversum, illamque rogare ut, si opportunum crediderit, constitutionem decernere dignetur propositae Commissionis Mixtae, quae controversiam definitive solvat. Solutionem autem Concilio proponere vel ipsimet Summo Pontifici, Pontificiae Commissionis Centralis sit ».

Textus definitive adprobatus in Sessione Generali Commissionis de disciplina Sacramentorum habita a die 29 ianuarii usque ad diem 8 februarii 1962.

NOTAE

[1] Cf. Conc. Trid., sess. XXIV, *De reformatione matrimonii.*

[2] Cf. *C.I.C.,* can. 1016.

[3] Cf. Litt. Encycl. *Arcanum,* d. 10 februarii 1880, in *C.I.C. Fontes.* III, n. 580, pag. 164, n. 21.

[4] Cf. Litt. Encycl. *Arcanum,* l. c., pag. 166, n. 25.

[5] Cf. *C.I.C.,* can. 1307, § 1.

[6] Cf. *C.I.C.,* can. 40.

[7] Cf. *C.I.C.,* can. 1081, § 2.

V

DE MATRIMONIIS MIXTIS *

[*Matrimonii mixti defectus*]. « Religiosa matrimonii indoles, celsaque eius significatio gratiae et coniunctionis Christum inter et Ecclesiam, sanctam a sponsis postulat erga christianum connubium reverentiam sanctumque studium, ut matrimonium quod ipsi inituri sunt, ad archetypum illud ipsum quam proxime accedat. Multum tamen in hoc deficiunt, et aliquando non sine salutis aeternae periculo, qui temere mixtas ineunt nuptias a quibus maternus Ecclesiae amor et providentia, gravissimis de causis, retrahit suos ».[1]

[*Matrimonia mixta nimium hodie diffunduntur*]. A multis quidem temporibus Ecclesia matrimonia mixta ubique prohibuit, inlatis quoque impedimentis ut mala exinde contingentia, quantum fieri poterat, amoverentur.

Graviter dolendum est, matrimonia catholicos inter et non catholicos immodice hac nostra aetate increbuisse; idque temporis recentioris duras conditiones magnopere adiuvisse. Etenim qui e propria domo civitateque expelluntur, alia petunt loca ubi diversae religionis gentes inveniunt quibus commiscentur, numerus quoque fugitivorum suorum liminum cotidie, augetur, gentes denique e suis sedibus in regiones industriales emigrant, ubi serpit religiosa illa indifferentia, qua nunc Ecclesia vastatur.

[*Pericula quae eis insunt*]. Pericula itaque quae pro contrahentibus catholicis secum eiusmodi nuptiae trahunt, non deminuta, sed aucta esse facile comperimus. Quod si Ecclesia nonnumquam, pro temporum, rerum, personarum rationibus, a severioribus suis prohibitionibus (salvo iure divino et per opportunas cautiones remoto, quantum fieri potest, a fide catholica defectionis periculo), dispensationem non recusat, difficulter tamen fieri potest ut coniux catholicus nonnihil detrimenti ex istis nuptiis non capiat.[2]

[*Pastorum officia*]. Quare, Sacrosancta haec Oecumenica Synodus Ordinarios aliosque animarum pastores obtestatur, ut fideles, a mixtis nuptiis, quantum possunt, absterrere curent.[3] Causas scrutentur unde eae conciliari solent, ut si quid remedii aut industriae pro suorum locorum conditione reperire valeant, quod aptum et opportunum sit ad huiusmodi nuptiarum frequentiam tollendam, adhibere non negligant.

Cum vero non semper eas nuptias impedire possint, omni studio curent

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in septima congregatione sessionis sextae, die 10 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 1186-1221.

ne contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur;[4] semper autem coniuges ante nuptias celebrandas de matrimonio ipso eiusque proprietatibus essentialibus atque de praecipuis catholicae fidei doctrinis ac obligationibus sufficienter instruere oportebit.[5]

In cautionibus autem exigendis ante oculos contrahentium ponant, quantum eae caritati et paci coniugali efficiendae conferant.

[*Media periculis diminuendis*]. Haec certe Ordinariorum officia adimplenda sunt iuxta temporis nostri conditiones, et secundum normas quae pro diversitate regionum ac morum, sive a conferentiis episcoporum sive a conciliis particularibus, proponendae erunt.

Multum enim interest ut quae, per consentaneam pastoralem curam illorum qui matrimonio mixto coniuncti sunt, fidei catholicae integre conservandae iuvare queunt, normis peculiaribus fulciantur.

Persuasum defixumque in animis pastorum sit, pericula in istis connubiis pro catholica fide insita removeri non posse, nisi frequentes per parochos instructiones fideles edoceant de prohibitione Ecclesiae matrimonia mixta contrahendi, accuratae indagationes fiant de canonicis et gravibus causis quae requiruntur pro dispensatione concedenda, praeparatio apta coniugi non catholico comparetur, quae doctrinae catholicae de matrimonii dignitate et officiis intelligentiam praebeant.

Idcirco, haec Sacrosancta Oecumenica Synodus valde probat incepta multarum synodorum dioecesanarum atque provincialium in regionibus ubi mixtae nuptiae frequentiores sunt, quae per libros vel scripta apte composita coniuges huiusmodi illustrare ac iuvare contendunt, ut promissiones adimpleant quas antequam contraherent, iuxta Ecclesiae praescripta, facere debuerunt.

Cum autem Sanctissimus Dominus Noster Ioannes Papa XXIII hoc Oecumenicum Concilium coegerit praesertim « ut christiani apostolatus rationes ad temporum necessitates atque adiuncta, quae elabentibus saeculis sat diversa in Ecclesia fuerint, opportune accommodarentur »,[6] visum est leges de impedimentis mixtae religionis ac disparitatis cultus, quae in Codice Iuris Canonici prostant, in aptiorem formam, intacta substantia, redigi oportere, ut « nemini dantes offensionem »[7] ministerium apostolicum in re vere momentosa pastores animarum exerceant efficacius.

Itaque, canones, qui impedimenta praedicta proponunt, Patres Concilii nova sequenti forma colligendos esse censuerunt:

[*Impedimentum mixtae religionis*].

1. Severissime Ecclesia prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero communitati religiosae non catholicae adscripta; quodsi adsit periculum defectionis a fide coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur.

2. Ecclesia super impedimento mixtae religionis non dispensat, nisi:
   a) urgeant iustae ac graves causae;
   b) sincere cautionem praestiterit coniux non catholicus de comparte

non avertenda a fide catholica neque impedienda a suae religionis exercitio, et uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda;

c) moralis habeatur certitudo de cautionum implemento.

3. Cautiones regulariter in scriptis exigantur.

4. Coniux catholicus exemplo vitae et oratione tenetur curare, ut compars fidem catholicam recte aestimare valeat, atque ad eam amplectendam allici.

5. Ordinarii aliique animarum pastores:

a) fideles a mixtis nuptiis, quantum possunt, absterreant;

b) si eas impedire non valeant, omni studio curent ne contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur;

c) coniuges ante nuptias celebrandas de matrimonio ipso eiusque proprietatibus essentialibus atque de praecipuis catholicae fidei doctrinis ac obligationibus sufficienter instruant;

d) mixtis nuptiis celebratis sive in proprio sive in alieno territorio, sedulo invigilent ut coniuges promissiones factas fideliter impleant;

e) asssistentes matrimonio servent praescriptum n. 8 de quo infra.

[*Impedimentum disparitatis cultus*].

6. Matrimonium contractum a persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem conversa, cum persona non baptizata est nullum.

Si pars tempore matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, standum est, ad normam canonum, pro valore matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam.

7. Quae de nuptiis contractis cum impedimento mixtae religionis supra (nn. 1-5) praescripta sunt, applicari quoque debent matrimoniis quibus obstat impedimentum disparitatis cultus.

[*Matrimonii mixti celebratio*].

8. In matrimoniis mixtis interrogationes de consensu fieri debent, secundum praescripta canonum circa formam substantialem matrimonii.

Optandum est ut in matrimoniis mixtis quidam ritus sacri, non exclusa benedictione, etiam in ecclesia adhibeantur; Missae autem celebratio, praesertim Missae « pro sponsis » erit omittenda, nisi Ordinarius loci licentiam celebrandi concedat.

Textus definitive adprobatus in Sessione Generali Commissionis de disciplina Sacramentorum habita diebus 12-17 martii 1962.

NOTAE

[1] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii,* d. 31 decembris 1930, in *A.A.S.,* v. 22 (1930), pp. 570-571.

[2] Cf. Litt. Encycl. *Casti Connubii,* l. c., p. 571.

[3] Cf. *C.I.C.,* c. 1064, 1°

[4] Cf. *C.I.C.,* c. 1064, 2°.

[5] Cf. *Votum Conferentiae Episcopalis Fuldensis,* in *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* v. II, p. I, p. 768.

[6] Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* v. I, p. 68; *Prima Romana Synodus,* 1960, pp. 304-305.

[7] *II Cor.,* VI, 3.

VI

DE CONSENSU MATRIMONIALI *

Consensus matrimonialis est pars necessaria et essentialis contractus matrimonii, etiam quando hic contractus ad dignitatem sacramenti, uti inter baptizatos, elevatur.[1]

« Cum in matrimonio sit quaedam spiritualis coniunctio, inquantum matrimonium est sacramentum, et aliqua materialis, secundum quod est in officium naturae et civilis vitae, oportet quod mediante materiali fiat spiritualis, virtute divina. Unde cum coniunctiones materialium contractuum fiant per mutuum consensum, oportet quod hoc modo etiam fiat matrimonialis coniunctio ».[2]

Proinde « singulare quodque matrimonium, prout est coniugalis coniunctio inter hunc virum et hanc mulierem, non oritur nisi ex libero utriusque sponsi consensu; qui quidem liber voluntatis actus, quo utraque pars tradit et acceptat ius coniugii proprium [3] ad verum matrimonium constituendum, tam necessarius est ut nulla humana potestate suppleri valeat ».[4]

Porro, Sancta Mater Ecclesia tum libertati consensus adversus coactionem externam gravem et iniustam apte consulere semper quaerit, tum consensus puritatem et manifestationis sinceritatem tuetur, ac sanctitatem in ipso coniugio adipiscendam fovet etiam pro illis adiunctis quibus periculum peccandi facilius adest, sartumque tectumque desiderat *honorabile in omnibus* [5] consortium coniugale permanere.

Quare, Sacrosancta haec Oecumenica Synodus volens ut nuptiarum coniunctio apud christianos purior ac sanctior quotidie evadat, quaedam monere et alia disponere, quae urgentiora videntur, in sequentem modum statuit.

1. De recta intentione in contrahendo matrimonio necessaria

Sacrosanctum Concilium Vaticanum secundum non sine moerore conspicit numerum haud exiguum causarum matrimonialium, quae in tribunalibus ecclesiasticis ex aliquo consensus defectu agitantur, multoties a prava voluntate contrahentium originem repetere.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in septima et octava congregatione sessionis sextae, diebus 10-11 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 1221-1263.

Odiosum est et legi Dei ac Ecclesiae iniuriosum ad nuptias coram Ecclesia celebrandas cum intentionibus accedere quae matrimonium ipsum corrumpunt et bona eiusdem essentialia vitiant, unice suis cupiditatibus indulgentes.

Matrimonium certissime facit partium consensus, qui nulla humana potestate suppleri valet. Sed contractus matrimonialis, propria sua natura et inter baptizatos per elevationem ad dignitatem Sacramenti, ordinatur et determinatur non voluntate hominis, sed Dei. Qui igitur matrimonium et praecipue matrimonium christianum celebrare contendit, opus est ut debita intentione ad Magnum Sacramentum veniat; nec putet sine gravi peccato posse foedari, nec, si tale fecerit, ab obligatione liberari illud convalidandi, ut saepe saepius comparti illatum damnum sic reparet.

Ius canonicum non potest non praesumere matrimonium celebrantes recta intentione nuptias inire, praesertim post investigationes praematrimoniales ad normam legis accuratissime peractas,[6] super quibus conscientia pastoris animarum graviter oneratur.

Ecclesia vero, quae pia mater est, in tali, etsi gravissima, praesumptione sustinenda cedit, sed id tantum facit quando concludentissimis argumentis in iudicium ad normam iuris allatis, contrarium probetur.

Non quidem ita procedit ut hominum sceleribus conniveat, cuius sola cogitatio horrore omnes afficeret, verum ut gravissimis consectariis ex pravis illis voluntatibus derivantibus, medelam conferat, cum matrimonia similibus intentionibus celebrata, matrimonia revera non sint.

Caveant igitur contrahentes ne tam gravibus peccatis se maculent; animadvertant pastores animarum ne iniuriam hanc atque culpam participent, qui nupturientes, etsi inconsiderate tantum, ad celebranda matrimonia admittunt, graviter neglecto officio sibi commisso accurate explorandi ne contra legem Dei et SS. Canonum statuta eadem nectantur; [7] meminerint denique iudices, quibus causae matrimoniales sunt commissae, arduum sane munus illos explere in quo firmitatem doctrinae catholicae demonstrare et tutores iustitiae esse debent, indagatores veritatis, et in iudicio ferendo providentes honori Ecclesiae ac animarum saluti.[8]

2. De vi vel metu

Invalidum est matrimonium initum ob vim vel metum gravem extrinsecum et iniuste, etiam inconsulte, incussum, a quo ut quis se liberet eligere cogatur matrimonium.

Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumfert.

3. De matrimonio sub conditione contracto

Matrimonium sub conditione contrahi nequit, nisi ex gravi causa et de licentia Ordinarii loci.[9]

Severissime moneantur fideles, qui sub conditione, etiam a loci Ordinario approbata, nuptiae inierint, coniugio eos uti non posse donec matrimonium conditione, si de futuro sit, purificata, perfectum evadat, aut, si conditio sit de praeterito vel de praesenti, dubium perseveret de existentia eius quod conditioni subest.

Textus definitive adprobatus in Sessione Generali Commissionis de disciplina Sacramentorum habita diebus 12-17 martii 1962.

NOTAE

[1] LEO XIII, Litt. Encycl. *Arcanum,* d. 10 februarii 1880, in *C.I.C. Fontes,* III, n. 580, n. 12, pag. 160.

[2] S. THOMAS, *III Partis Supplem.,* q. 45, art. 1.

[3] Cf. *C.I.C.,* c. 1081, § 2.

[4] PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii,* d. 30 decembris 1930, in *A.A.S.,* v. 22 (1930), p. 541; PIUS VI, Epist. ad Episcopum Agriensem, d. 11 iulii 1789, in *Ius Pontificium de Propaganda Fide,* v. IV, p. 336; *C.I.C.*, c. 1081, § 1.

[5] *Ad Hebr.,* XIII, 4.

[6] Cf. S. C. de Sacramentis, *Instructio* ad Rev.mos Ordinarios locorum super probatione status liberi ac denuntiatione initi matrimonii, d. 4 iulii 1921, in *A.A.S.,* v. 13 (1921), p. 343; S. C. de Sacramentis, *Instructio,* de normis a parochis servandis in peragendis canonicis investigationibus antequam nupturientes ad matrimonium ineundum admittant, d. 29 iunii 1941, in *A.A.S.,* ser. II, v. 8 (1941), pp. 297-318.

[7] Cf. cit. *Instructio S. C. de Sacramentis,* d. 29 iunii 1941.

[8] Cf. IOANNES XXIII, *Allocutio ad Praelatos Auditores S. R. Rotae,* d. 25 octobris 1960, in *A.A.S.,* v. 52 (1960), p. 903.

[9] Cf. PIUS XII, Motu Proprio *Crebrae allatae sunt,* De disciplina Sacramenti Matrimonii pro Ecclesia Orientali, art. 83, in *A.A.S.,* v. 41 (1949), p. 107.

VII

DE FORMA CELEBRATIONIS MATRIMONII *

A lege Tridentina repetendum est, ut matrimonia baptizatorum iuxta formam substantialem celebrentur.

Licet Tridentina Synodus determinatam formam praescriberet, eamdem aliquantisper mutaverunt leges ecclesiasticae posteriores, et signanter Decretum *Ne Temere* et Codex Iuris Canonici, ut quibusdam difficultatibus ex iure tridentino ortis remedium adaequatum poneretur, utque nuptiis valide contrahendis firmiore lege consuleretur.

Matrimonium, quia « inest in eo sacrum et religiosum quiddam » [1] et quia « Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos »,[2] secundum formam celebrari oportet, quam legislator ecclesiasticus matrimonio baptizatorum praefecerit. Forma autem debet non in parte, sed in totum adimpleri, et illa in parte, quamvis minima, non adimpleta, in totum matrimonium corruit, ubicumque forma est de substantia actus.

Hac de causa leges, quae formam actuum iudiciorum respiciunt, constanti vigilantiae legislatoris committuntur, ne nocumentum potius quam efficaciae actus praestent iuvamen.

Praesertim auctor legis providere debet ut formae seu solemnitates iuris ad valorem matrimonii requisitae tales sint quae bono publico prospiciant, certitudinem iuris concilient et animarum saluti conferant.

Hodiernae leges nuptiis copulandis sive ob contrahentium ignorantiam, sive ob negligentiam aut inscitiam quorumdam qui celebrationi nuptiarum adsistere debent, sive ex abusu quem nupturientes benignitatis Ecclesiae nonnumquam faciunt, gravi periculo existentiam ipsam matrimonii nonnumquam exponunt; consequenter putativi coniuges sacramento carere possunt, vel laqueis inextricabilibus eorum salus animarum non semel implicatur; aut bonum commune societatis in grave discrimen venire valet.

Patres igitur huius Concilii Oecumenici volentes ut his defectibus medeatur, atque matrimonii validitas firmior evadat, leges nuptiarum celebrandarum in sequentem modum retractare statuerunt.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in septima et octava congregatione sessionis sextae, diebus 10-11 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars III, pp. 1224-1263.

FORMA ORDINARIA MATRIMONII

I. [*Forma substantialis matrimonii*]. Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas expressas in numeris qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in canonibus 1098, 1099 *C.I.C.*[3]

Parochus autem, loci Ordinarius vel sacerdos valide matrimonio assistunt:

a) si per sententiam non fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi, aut tales declarati;

b) dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.[4]

II. [*Assistentia valida iure proprio ad matrimonium*]. Parochus et loci Ordinarius iure proprio valide matrimonio assistunt a die adeptae canonicae possessionis, ad normam iuris, beneficii, vel initi officii, intra fines dumtaxat sui territorii; in quo matrimoniis nedum suorum subditorum sed etiam non subditorum valide assistunt.[5]

III. [*Assistentia valida iure delegato ad matrimonium*]. Parochus et loci Ordinarius cuilibet sacerdoti facultatem etiam generalem dare possunt ut matrimoniis intra fines sui territorii valide assistant. Quae facultas, ut valeat, expresse dari debet.[6]

IV. [*Conditiones assistentiae validae sacerdotis ad matrimonium*]. Firmo praescripto n. I, defectus necessariae potestatis de qua in nn. II et III, non reddit invalidum matrimonium, dummodo sacerdos assistens ne sit a Missa celebranda suspensus vel prohibitus, et matrimonium in ecclesia vel in oratorio publico celebretur.

V. [*Assistentia licita ad matrimonium*]. § 1. Parochus autem vel loci Ordinarius matrimonio licite assistunt:

a) constito sibi legitime de libero statu contrahentium ad normam iuris;

b) constito insuper de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

c) habita, si conditiones deficiant de quibus litt. *b*), licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii aut menstruae commoratonis alterutrius contrahentis, nisi vel de vagis actu itinerantibus res sit, qui nullibi commorationis sedem habent, vel gravis necessitas intercedat quae a licentia petenda excuset.[7]

§ 2. Sacerdos qui ex delegatione matrimonio assistit, ea uti nequit nisi parochus vel loci Ordinarius, pro singulis casibus, licentiam dederit, quae concedenda non est, nisi expletis omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda.[8]

VI. [*Assistentia illicita ad matrimonium*]. Sacerdos, qui sine delegatione, vel, etiamsi delegationem habuerit, sine debita licentia matrimonio assistere ausus fuerit, incurrit ipso facto in suspensionem a divinis loci Ordinario reservatam.

FORMA EXTRAORDINARIA MATRIMONII

VII. [*In periculo mortis*]. In periculo mortis si haberi nequeat parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus, matrimonium validum et licitum est contractum coram solis testibus.

[*Extra periculum mortis*]. Extra periculum mortis si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam nn. II, III, validum et licitum est matrimonium coram solis testibus, dummodo:

a) prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam;

b) recursus, si fieri possit, ad loci Ordinarium omissus non fuerit;

c) matrimonium non celebretur contra Ordinarii vetitum;

d) vel (saltem) non celebretur nisi post mensem ab interposito recursu sine responsione.

[*In utroque casu*]. Si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus.[9]

NOTAE

De forma ordinaria matrimonii

Formam substantialem matrimonii retinendam esse in comperto est. Usum autem formae in Codice Iuris Canonici determinatae haud leves difficultates in praxi quandoque genuisse omnes sciunt, qui ministerio paroeciali incumbunt, aut iudices ecclesiastici qui saepius causas matrimoniales ex capite defectus formae pertractant.

Maior pars nullitatum matrimonialium ob formae defectum hodie originem habet in delegationis invalida concessione vel in carentia delegationis sacerdotis qui nuptiis in forma ordinaria contrahendis assistit.

Nonnullies neque praesentia parochi aut loci Ordinarii in nuptiis celebrandis has a nullitate matrimonii salvavit.

Quin etiam praesentia et celebratio nuptialis coram aliquo Praesule Ecclesiae aut sacerdote in dignitate ecclesiastica constituto, in plerisque casibus nullitatem non impedivit.

Neminem fugit quantam dein admirationem suscitet, causas huiusmodi in tribunalia ecclesiastica trahi, ibique sententiam nullitatis obtinere.

Aliae nullitates ex defectu formae producuntur ob incertum munus sa-

cerdotis assistentis, ob assistentiam rectoris ecclesiae non paroecialis vel cappellani militum, ob delegationem concessam extra fines competentiae delegantis, ob incertam paroeciae territorialitatem.

Ut quibusdam casibus remedium afferret, Pontificia Commissio ad canones Codicis Iuris Canonici interpretandos, die 26 martii 1952, *Responsionem* sequentem publicavit: « An praescriptum can. 209 applicandum sit in casu sacerdotis, qui delegatione carens, matrimonio assistit. *Resp. Affirmative* ».[10]

Verum enim vero, Responsio sine dubio plerisque casibus providit; at cum ipsa notio « erroris communis » non eodem modo ab auctoribus explicetur, et praesertim quia nonnulli doctores adeo largam applicationem Responsi in praxi tenendam docuerunt, res devenit ad tales incertitudines et extensiones, quod in praxi necessitas formae substantialis in plerisque casibus abolita videretur.

Ideo multi Episcopi in suis Propositionibus ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam Concilii scripserunt applicationem canonis 209 *C.I.C.* ad assistentiam matrimonialem melius definiri oportere, vel eandem prohiberi.

Haud dissimili modo, de exigentia delegationis faciendae sacerdoti determinato pro matrimonio determinato ut matrimonium validum sit, Antistites plerumque postulaverunt ut rigiditas huius formae aliquatenus mitigaretur, cum matrimonia nullitati frequentissime exponeret.

Pontificia Commissio de disciplina Sacramentorum haec aliaque inconvenientia attentissime consideravit. Quasdam propositiones, v. g. quod forma canonica matrimonii non ad validitatem, sed ad liceitatem tantum requireretur, attendendas non esse credidit.

Nam si id aut quid ei simile admitteretur, iurisdictio ecclesiastica in matrimonium valde minueretur et maiores forsitan difficultates in foro ecclesiastico inde suscitarentur. Alias propositiones, v. g. ut omne matrimonium coram aliquo sacerdote quocumque modo ac loco celebratum validum esset, nimis largas et periculis plenas esse pro disciplina sacramenti matrimonii, facile patebat.

Nonnullis visum est ad omnes sacerdotes iurisdictione praeditos delegationem rite assistendi matrimoniis extendi oportere, vel ad quemlibet sacerdotem approbatum intra suae dioecesis limites, vel proposuerunt delegationes generales non solum vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt, sed omnibus sacerdotibus paroeciae quomodolibet addictis concedi posse; alii alias formulas proposuere, de quibus conferantur *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series I, Appendix Voluminis II, pp. 166-174.

In particulari haud pauci Episcopi considerarunt consequentias applicationis c. 209 *C.I.C.,* seu de vi erroris communis in casu sacerdotis, qui delegatione carens, assistit matrimonio, sicut statuerat Pontificia Commissio ad canones *C.I.C.* interpretandos, de qua supra dictum est. Hinc petebatur, vel

clarior applicatio matrimonio doctrinae de errore communi, vel explanatio naturae et extensionis erroris communis, vel restrictio applicationis ad casum quo in Ecclesia paroeciali matrimonium celebratum fuerit, vel ut alio modo incertitudini doctrinae provideretur.

Quae omnia Pontificia Commissio de disciplina Sacramentorum examini subiiciens, eorumque fundamentum agnoscens, solutionem quamdam praeparavit, quae bono communi et convenientiae iurisdictionis ecclesiasticae satisfacere posset.

Imprimis, iterum affirmavit necessitatem formae substantialis ab Ecclesia statutae, ut matrimonia baptizatorum valide celebrari possint.

In numeris supra propositis matrimonii celebratio tamquam functio propria paroecialis integre sustinetur. Ideoque nuptiae ordinarie celebrari debent coram parocho aut Ordinario loci vel sacerdote ab alterutro delegato, secundum regulas a iure canonico sive ad validitatem matrimonii sive ad liceitatem assistentiae determinatas.

Regimen autem delegationum extenditur, tum ut dignitati quorumdam Praesulum ecclesiasticorum facilius consulatur, tum ut ex capite defectus delegationis nullitates matrimonii magis ac magis eliminentur. Quin etiam, ut applicatio canonis 209 *C.I.C.* ad assistentiam matrimonialem ad minimum quoddam reduceretur (v. g. matrimonium celebratum coram parocho putativo extra ecclesiam aut oratorium publicum, aut coram vicario oeconomo qui non constituatur ad normam c. 472, etc.), Schema providet ut matrimonium celebratum coram sacerdote iuxta conditiones in n. IV expositas validum sit, exclusa qualibet applicatione canonis 209, seu de errore communi.

Sed cum assistere matrimonio sine debita delegatione et licentia parochi vel loci Ordinarii sit gravissima res, sacerdoti, qui ita assisteret, comminatur gravissimam poenam.

Positis autem conditionibus in n. IV Schematis recensitis, omnes abusus graviores eliminati remanent.

NOTAE

De forma extraordinaria matrimonii

Disciplina formae extraordinariae celebrandi matrimonii inducta est ob necessitatem componendi ius naturale ad matrimonium cum impossibilitate aliquando servandi formam statutam a celeberrimo Decreto tridentino *Tametsi*.

Etiam ex praescriptione formae substantialis servandae in celebratione matrimonii multa quidem commoda proveniunt, ea tamen non ita est urgenda ut nimis coarctet naturale ius contrahendi nuptias; secus lex nociva et periculosa evaderet.[11]

Exceptiones igitur in iurisprudentia SS. Congregationum paulatim efformatae sunt. Dein Decretum *Ne Temere* et Codex Iuris Canonici [12] illas in leges traduxerunt.

Necessitatem statuendi huius formae extraordinariae in missionibus ipsa adiuncta rerum vehementer suadebant. Paulatim vero etiam in regionibus ubi hierarchia catholica normaliter constituta est, auctores applicari illam voluerunt pluribus casibus in quibus ex usu formae ordinariae quaedam incommoda sequuntur ob impositam a lege civili necessitatem praemittendi actum, quem matrimonium civile vocant.

Ex illa enim impositione, nuptiae, ubi pro animarum salute matrimonii urgeat celebratio, iniri in forma canonica non possunt, nisi actus civilis praemittatur; cuius positioni graves difficultates vel etiam impossibilitates plerumque obstant.

Quomodo his casibus providere expediret, sive S. C. de disciplina Sacramentorum, sive Pontificia Commissio pro interpretatione canonum *C.I.C.* diversimode statuerunt aut casus ipsos resolverunt.[13]

His non obstantibus, applicatio canonis 1098 *C.I.C.* in plures abusus venit, eo praesertim quod « grave incommodum » de quo ille canon loquitur, practice coniugibus ipsis aestimandum relinquitur. Tristis experientia docuit in dies abusus crescere ob imprudentem agendi modum consiliariorum ecclesiasticorum, etiam confessariorum.

1. In postremo immani bello, non defuerunt sacerdotes qui iuvenes et puellas, ad laborem necessarium adstrictos et ex omnibus Europae regionibus in aliqua regione coadunatos, ad matrimonium inter se ineundum secundum formam extraordinariam inducerent ad vitandam fornicationem, quia occasio peccati erat proxima et instrumenta lege civili requisita nisi magna difficultate obtineri non poterant.

Bello finito, coniuges qui matrimonia sic inierant, sese separaverunt, et cum tale matrimonium munimine legis civilis careret quoad effectus suos, impossibile erat vitam communem renovare, quae figuram concubinatus coram lege civili induebat.

2. Si puella quatuordecim annos nata cuidam iuveni sexdecim annorum, iuxta formam extraordinariam nubet, quia attento canone 1034 *C.I.C.*, eorum nuptiis parochus assistere non vult, matrimonium ab istis minoribus sic initum validum (ergo indissolubile) canonistae reputant.

3. Accidit ut coniuges qui matrimonium secundum formam ordinariam contraxerunt, aliquando invaliditatem matrimonii in foro externo demonstrare non possunt. Sunt confessarii, qui nullitatem matrimonii in foro conscientiae declarant et poenitentes hortantur ut novum matrimonium secundum formam extraordinariam ineant.

4. Contingit etiam ut Ordinarius iure vetet celebrationem alicuius matrimonii mixti, quando, parte non catholica sed baptizata suetas cautiones respuente, dispensatio super impedimento mixtae religionis concedi non potest. Parti vero catholicae aliquando suadetur celebratio matrimonii coram solis testibus, quia agitur de impedimento quod matrimonium non irritat.

Haec exempla facile multiplicari possent.

Unum commune praebent indicium: quod ea via disseminantur matrimonia clandestina, quam adeo rigorose Concilium Tridentinum reprobavit.

At obiicies: « Cur in similibus casibus non habetur recursus ad matrimonium conscientiae de quo Codex Iuris Canonici in cc. 1104-1107? ».

Respondetur: « Matrimonium conscientiae est matrimonium in forma ordinaria celebratum, quamvis secretissime, ab ipso loci Ordinario, excluso Vicario generali sine speciali mandato, permissum ob gravissimas et urgentissimas causas ».[14] Cuius matrimonii substantia est secretum quod ipsis coniugibus servare necesse est, dum salus animarum celebrationem postulat.

Requirit ad validitatem assistentiam activam sacerdotis competentis, qui fit obnoxius poenis gravissimis si contra praescripta iuris civilis agit.

At vigilantia Ordinarii supra haec matrimonia est strictissima.[15]

Cum vero matrimonia celebrata in forma extraordinaria in disciplina actuali aliena esse possint ab hac Ordinarii vigilantia, quae tamen in multis casibus, ut supra diximus, necessaria foret ad abusus impediendos et practice clandestinitatem tollendam, visum est necessarium inter conditiones ad illorum validitatem recursum ad Ordinarium introducere, quoties ipse recursus fieri potest.

Quod in votis est plurimorum Episcoporum, qui in suis Consiliis et Votis ad Concilium Oecumenicum sub diversis modis id postulare videntur.[16]

Ceterum, si canon de forma extraordinaria matrimonii, prout in Schemate proponitur, introduceretur, legislationis harmonia melior fieri videretur, bonum publicum Ecclesiae aptius conservaretur atque cum iure ad nuptias, quod singuli habent, satius componeretur, iurisprudentiae denique a S. S. C. Sancti Officii ac S. C. de Sacramentis hucusque servatae plene aptaretur.

Firmum denique fit praescriptum canonis 1039 *C.I.C.*: « Ordinarii locorum omnibus in suo territorio actu commorantibus et suis subditis etiam extra fines sui territorii vetare possunt matrimonia in casu peculiari, sed ad tempus tantum, iusta de causa eaque perdurante.

Vetito clausulam irritantem una Sedes Apostolica addere potest ».

Textus definitive adprobatus in Sessione Generali Commissionis de disciplina Sacramentorum habita diebus 12-17 martii 1962.

NOTAE

[1] Cf. Leo XIII, Ep. Encycl. *Arcanum,* d. 10 februarii 1880, in *C.I.C. Fontes,* III, pag. 159.

[2] *C.I.C.,* c. 1012.

[3] Cf. *C.I.C.,* c. 1094.

[4] Cf. *C.I.C.,* c. 1095.

[5] Cf. *C.I.C.,* c. 1095.

[6] Cf. *C.I.C.,* c. 1096.

[7] Cf. *C.I.C.*, c. 1097, § 1.
[8] Cf. *C.I.C.*, c. 1096, § 2.
[9] Cf. *C.I.C.*, c. 1098.
[10] Cf. *A.A.S.*, v. 44 (1952), p. 497.
[11] Cf. *A.A.S.*, c. 41, p. 535.
[12] Cf. *C.I.C.*, c. 1098.
[13] Cf. S. C. Concilii, d. 27 iulii 1908, in *A.S.S.*, v. 41, p. 511; S. C. de Sacramentis, d. 12 martii 1910, in *A.A.S.*, v. 2, p. 193; S. C. de Sacramentis, d. 31 ianuarii 1916, in *A.A.S.*, v. 8, p. 36; S. C. de Sacramentis, d. 16 iunii 1922, in *Apollinaris*, I (1928), p. 338; Pont. Comm. Interpr. C.I.C., d. 25 iulii 1931, in *A.A.S.*, v. 23 (1931), p. 388; S. C. de Sacramentis, d. 24 aprilis 1935, in *Periodica*, t. 27 (1938), pp. 45-46.
[14] Cf. *C.I.C.*, c. 1104.
[15] Cf. Leo XIII, Epist. *Il divisamento*, 8 febr. 1893, in *A.S.S.*, v. 25, pp. 459-474.
[16] Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando*, Series I, Appendix Voluminis II, pp. 170-172.

VIII

DE PROCESSU MATRIMONIALI *

Mutatae nostri temporis conditiones matrimoniorum disciplinam de recta via in quosdam abusus declinaverunt.

Quod quidem Pius XII denuntiavit, hac nempe nostra aetate, qua contemptus et religionis officiorum segnities spiritum novi paganismi, voluptuarii atque superbi, ad vitam revocavit, haud paucis in locis manifestari divortii quasi libidinem, quae ad coniugia contrahenda et dissolvenda impellit maiore facilitate levitateque quam quae ad contractus locationis et conductionis faciendos adhibetur.[1]

Idcirco, nemo mirabitur, si Sacrosanctum hoc Concilium prae oculis habens quae Summi Pontifices ea de re sapientissime monuerunt, ac nominatim quae Sanctissimus Dominus Noster Ioannes XXIII nuper inculcare non intermisit,[2] disciplinam processus matrimonialis munimentis quibusdam vallare quaesiverit, ut semper resultet « *Ministerium veritatis*: *salus animarum* ».[3]

Praecipua capita huius desideratae emendationis sunt sequentia:

1. *De regimine totius processus matrimonialis.*

In causis matrimonialibus normae processuales *C.I.C.,* Instructionis S. C. de disciplina Sacramentorum *Provida Mater* diei 15 augusti 1936,[4] aliorumve S. Sedis documentorum, uti conspicuum veritatis subsidium, iudicandi cautio, publici privatique boni praesidium, sedula cura serventur oportet.

2. *De sollicita rectaque iuris dictione.*

Iudices, qui stabiles, non per intermissiones intervallaque, eligantur, sint omni ex parte idonei, saltem iuris canonici doctores et usum in re forensi habentes laudabilem; [5] iidem congrue retribuantur, et aliis officiis ac beneficiis minime intervertantur.

3. *Ad consulendum raritati clericorum qui processui praeesse vel interesse valeant.*

Praxis, iam a S. Sede pluribus indulta locis, erigendi Tribunalia Regionalia vel Interdioecesana, diffundatur, et, quoadusque difficilis hic rerum status perseveret, si opus sit, praecipiatur.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in octava congregatione sessionis sextae, die 11 maii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. I, Pars III, pp. 1263-1280.

4. *De can. 1990 C.I.C. seu de casibus exceptis.*

Firmo principio causas matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exclusivo ad iudicem ecclesiasticum spectare [6] idemque obtinere si una tantum pars sit baptizata,[7] hunc vero iudicem esse collegialem,[8] Sancta Synodus aliena non est ab augendis casibus exceptis, iuxta tamen normas quas Legislator opportunas censuerit, atque dummodo, extantibus condicionibus can. 1990, novi casus definite dinumerentur.

5. *De foro competenti.*[9]

Salvo praescripto canonum 1962-1963, in causis matrimonialibus iudex competens est iudex loci ubi matrimonium celebratum est, aut ubi pars conventa, vel, si alterutra pars sit acatholica, ubi pars catholica domicilium vel quasi-domicilium habet.

Sancta Synodus, ad praecavendas fraudes in matrimonialibus causis transferendis coram Iudicibus rerum personarumque ignaris, ceterosque abusus coërcendos, Instructionem S. C. de disciplina Sacramentorum, diei 23 decembris 1929 « *De competentia iudicis in causis matrimonialibus ratione quasi-domicilii* »,[10] retinendam esse decernit.

Forum autem peregrinorum in Urbe, quamvis innitatur Ecclesia Romana « omnium ecclesiarum matre et magistra »,[11] placuit non obtinere in causis nullitatis vinculi matrimonialis.

6. *De procuratoribus et advocatis.*[12]

Advocati iure in foro ecclesiastico nonnisi viri catholici fruantur, qui sint aetate maiores, bona fama et religionis cultu praestantes, (saltem) iuris canonici renuntiati doctores in aliqua Studiorum Universitate vel Facultate Iuris a S. Sede adprobata, quique, simul, per triennium tyrocinium laudabiliter exercuerint.[13]

Procuratores et advocati, insuper, ut ad sua munera exercenda admittantur, indigent adprobatione Ordinarii loci ubi Tribunal sedem habet, quae aut generalis sit ad omnes causas, aut specialis pro certa causa.[14]

Adprobatione hac minime indigent sive advocati S. Consistorii, sive advocati in albo S. R. Rotae admissi.[15]

Hi novissimi autem, cum, recentioribus hisce temporibus, numero creverint, non videntur ulterius subducendi ab Ordinarii adprobatione.

Advocati et procuratores, immodicum lucrum ex matrimonialibus causis inhiantes, ecclesiastica Tribunalia dedecore afficiunt, et scandalum fidelium, una cum detrimento animarum, concitant. Ne ingrata haec accidant, iidem vel honoraria sua a partibus accipiant qua definita mensura statuta fuerint a Tribunali, vel, si opus fuerit, ab ipso Tribunali solvantur ex deposita, in archa, partium pecunia. Aliter facere districte prohibeantur. Si nihilominus fecerint, poena pecuniaria a iudice mulctentur, vel etiam, pro culpae gravitate, ab Ordinario suspendantur, destituantur, et titulo priventur.[16]

7. *De iure matrimonium accusandi.*[17]

(Prooemium) « Cum non sit malitiae hominum indulgendum » [18] placuit Sacro Oecumenico Concilio ut ius accusandi matrimonium ad coniugem in-

nocentem coarctetur. Coniugis autem ad accusandum inhabilitas [19] incapacitatem standi in iudicio secumferat.

I - 1. *Ex capite simulationis vel conditionis illicitae* ius accusandi matrimonium ad illum coniugem pertineat, qui alterius vel ignoraverit perversam voluntatem, vel hanc quidem noverit, sed eidem restiterit nuptiasque nonnisi deceptus inierit.

2. Coniugi autem qui alterius voluntatem novit, eidem non restitit, quia imprudenter speravit illum recessurum, ius esto dumtaxat nullitatem matrimonii denuntiandi Promotori iustitiae.

3. Si vero coniux perversae voluntati compartis *positive* consenserit, vel ipsemet nullitatis causa directa et dolosa exstiterit, denuntiatio, si qua fiat, ex una gratia iustis gravibusque de causis atque imposita congrua poenitentia, recipi possit.

II - *Ex capite conditionis licitae* matrimonium accusari nequit nisi intra annum ab accepta notitia conditionis non purificatae.

III - Matrimonium *ex capite vis et metus* accusari nequit post triennalem pacificam et spontaneam cohabitationem cum affectu coniugali. Praesumitur cohabitatio pacifica et spontanea cessante a triennio causa metus, nisi concludenter probetur contrarium.

Textus definitive adprobatus in Sessione Generali Commissionis de disciplina Sacramentorum habita a die 29 ianuarii usque ad diem 8 februarii 1962.

NOTAE

[1] Cf. PIUS XII, *Allocutio ad S. R. Rotae Auditores*, die 3 octobris 1941 habita, in *A.A.S.*, v. 33 (1941), p. 425.

[2] Cf. IOANNES XXIII, *Allocutio ad S. R. Rotae Auditores*, die 13 decembris 1961 habita, in *A.A.S.*, v. 53 (1961), p. 819.

[3] Cf. IOANNES XXIII, in cit. *Allocutione.*

[4] *A.A.S.*, v. 28 (1936), p. 313 ss.

[5] Cf. Instr. *Provida Mater*, aa. 19-36.

[6] *C.I.C.*, can. 1960.

[7] Cf. Instr. *Provida Mater*, art. 1, § 1.

[8] *C.I.C.*, can. 1576, § 1, n. 1.

[9] Cf. *C.I.C.*, cc. 1960-1965; Instr. *Provida Mater*, aa. 1-12.

[10] In *A.A.S.*, v. 22 (1930), pp. 168-171.

[11] Cf. X, II, 2, 20.

[12] Cf. *C.I.C.*, cc. 1655-1666; Instr. *Provida Mater*, aa. 43-54.

[13] Cf. *C.I.C.*, can. 1657, §§ 1, 2; Instr. *Provida Mater*, a. 48.

[14] Cf. *C.I.C.*, can. 1658, § 2; Instr. *Provida Mater*, a. 48, § 4.

[15] Cf. Instr. *Provida Mater*, a. 48 § 4.

[16] *C.I.C.*, can. 1665, § 2.

[17] Cf. *C.I.C.*, cc. 1970-1973; Instr. *Provida Mater*, aa. 34-43.

[18] Cf. X, 4, 18, c. 5.

[19] Cf. *C.I.C.*, can. 1971; Instr. *Provida Mater*, aa. 34-42.

IX

DE PRAEPARATIONE AD MATRIMONIUM *

De necessitate praeparationis ad matrimonium

1. Exposcit dignitas atque excellentia Sacramenti matrimonii, ut eiusdem administratio atque susceptio debitis praeparetur curis, utque eiusdem celebratio sit non modo valida et licita, sed etiam fructuosa.

Praeparationis necessitas eo apparet urgentior quod hoc Sacramentum gratiam conferens iuxta recipientis dispositionem, semel in vita, saltem cum eadem persona, suscipi potest.

Matrimonium est primordium novi et permanentis status vitae. Status autem coniugalis, propter vitae communitatem individuam et insolubilem quam inducit, par quodammodo est statui clericali vel religioso, qui per se perpetui etiam sunt. Si igitur in ingressu vitae clericalis vel religiosae diligentiam adhibendam, tam ex parte Ecclesiae vel religionis quam ex parte ipsius subiecti, multitudo cautionum declarat, non minorem sedulitatem introductio in statum coniugalem exigere videtur, in quo vivere coniugibus sine discrimine fas sit per omnem vitam.

Accedit quod Christus Dominus ac Redemptor « venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector »[1] matrimonium esse voluit effecitque imaginem suae ineffabilis cum Ecclesia coniunctionis.[2]

Summi denique valoris ac momenti est, sicut omnes agnoscunt atque proclamant, coniugiis recte constitutis familias condere, quoniam ex connubio tamquam ex suo fonte oritur familia, quae vicissim est humanae et civilis societatis fundamentum et principium.

2. Matrimoniorum frequentissima naufragia, quae praesenti aetate lugemus, magnam partem ab omissa pendent coniugum tam remota quam proxima ad nuptias praeparatione.

Remotae quidem praeparationis initium ab ipsis fere vitae incunabulis sumitur. « Illud enim negari non potest, ait Summus Pontifex Pius XI, felicis coniugii firmum fundamentum, et infelicis ruinam, iam pueritiae et iuventutis tempore in puerorum puellarumque animis instrui ac poni ».[3]

Iuvenes igitur annos nostrorum christifidelium ea informari disciplina

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quinta congregatione sessionis septimae, die 16 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 383-403.

in familia et in Ecclesia debent, qua bene dein animati paratique, sponsi ad statum coniugii ineundum accedant. Etenim sic coniuges ea qua par est ope se mutuo iuvare valebunt in adversis vitae vicibus subeundis, multoque magis in aeterna salute procuranda et in interiore homine ad plenitudinem aetatis Christi [4] conformando.

3. Ad proximam vero boni matrimonii praeparationem maximopere pertinet eligendi coniugis studium; nam plurimum inde pendet utrum matrimonium felix futurum sit necne.[5]

Quoties inconsulta electio atque compartis incompleta cognitio ruina fuere coniugibus, quorum animorum inaequalitas tantum contracto matrimonio patuit!

Sponsi christiani eligant oportet coniugem secundum prudentiam christianam, minime vero caeco et indomito cupiditatis impetu neque solo lucri desiderio aliove minus nobili impulsu ducti, sed vero rectoque amore et sincero erga futurum coniugem affectu; praeterea eos fines in matrimonio quaerant propter quos illud est a Deo constitutum.[6]

Non amor coniugalis plene evolvetur, non virtutes ad onera vitae coniugalis sustinenda necessariae eiusdemve difficultates superandas, generatim habebuntur, nisi futuri coniuges recta intentione ac conveniente matrimonii praeparatione ad nuptias accedant.

« Neque omittant denique, de eligendo altero coniuge prudens parentum consilium exquirere, illudque haud parvi faciant, ut, eorum maturiore humanarum rerum cognitione et usu, perniciosum hac in re errorem praecaveant et divinam quarti mandati benedictionem, matrimonium inituri, copiosius assequantur: « Honora patrem tuum et matrem tuam (quod est mandatum primum in promissione), ut bene tibi sit, et sis longaevus super terram ».[7-8]

4. Patres huius Sacrosancti Concilii Oecumenici sponsos christianos invitant ad pleniorem praeparationem sibi acquirendam, antequam perpetuo foedere coram Deo et coram Ecclesia se coniungant. Spem nostram fovet quoddam conscientiae christianae inter fideles instaurandi desiderium, quod hac nostra aetate inter eos diffunditur, per quod sanam de matrimonio doctrinam melius noscere cupiunt, et pericula ab errorum praeconibus parata cavere sedulius curant.

Quare Sacrosanctum Concilium pastores animarum hortatur ne omittant tanto huic sponsos adiuvandi ministerio vires apponere validissimas, ut christiana et casta connubia inter fideles floreant, cum ex eis fructuosum vitae christianae augmentum iure expectare liceat.

Coniugum christianorum pastoralis praeparatio

5. Enixe commendandum ac summopere fovendum est quod futuri coniuges bene et apprime cognoscant christiani matrimonii naturam, dignitatem, commoda beneficiaque inde in familiam atque humanam ipsam societatem

emanantia, errores gravissimo huic evangelicae doctrinae capiti contrarios, vitia eidem coniugali vitae adversa, praecipua denique remedia adhibenda.[9]

Horum capitum lucidissimas explanationes habent animarum Pastores in Litteris Encyclicis Leonis XIII, *Arcanum,* et Pii XI, *Casti Connubii,* necnon in memorandis Allocutionibus Pii XII, quibus illa sollemniora monumenta sapientiae suorum Praedecessorum continuantur, complentur confirmanturque.[10]

Umquam satis assidua eorum documentorum lectio ac consideratio non commendabitur iis, qui, tam salutari ministerio incumbentes, pro aetatis nostrae conditionibus ac necessitatibus fideles de tam gravissimo argumento docere debent.

6. Institutio ante matrimonium nupturientibus tradenda, non levis sit oportet, et quasi perfunctoria, occasione nempe eorum quae matrimonio praeire debent data, sed solida atque plena, quae vix acquiri a sponsis poterit, nisi ordine et systemate servato, sicut, iuxta opportunas nostri temporis industrias, hodierna quaevis institutio praeberi solet.

Antiquitus quidem ipse ordo moralis publicus validis munimentis unitatem, fidelitatem, indissolubilitatem matrimonii non raro defendere solebat; hodie e contrario pravi mores publici frequentissime incitant ad separationes, infidelitates ac divortia, quibus connubii firmitas multiplici ex parte labefactatur.

7. Sicut ante baptismi susceptionem adultus probe instructus esse debet,[11] et ante administrationem sacramenti Confirmationis, quae est sacramentum plenitudinis gratiae,[12] confirmandus ut licite et fructuose confirmetur debet esse in statu gratiae constitutus et, si usu rationis polleat, sufficienter instructus,[13] ac sicut a puero, qui primum ad divinam dapem accedit, plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior praeparatio merito exigitur,[14] opus quoque est ut nuptiarum celebrationi praecedat sponsorum debita institutio catechetica aetati eorum ac novo statui suscipiendo consentanea.

8. Haec catechetica institutio, non nisi gravibus de causis omittenda, tradi debet iuxta locorum, personarum, nuptiarum quoque adiuncta, prout in iure particulari statuere ac magis determinare oportebit.[15] Quoad maiora autem capita haec, quae sequuntur, praescripta generalia observentur:

1) Complectatur doctrinam de matrimonii dignitate, de natura et fine coniugii, de iuribus et obligationibus coniugum, de effectibus sacramenti fructuose recepti, de prolis educatione, de vita christiana in sinu familiae fovenda, ac de muuto coniugum adiutorio, etiam in ordine ad eorum sanctificationem.

2) Sub ductu parochorum peragatur, invocato adiutorio aliorum sacerdotum, ac, si opus fuerit, auxiliantibus medicis catholicis, coniugibus optime in doctrina et moribus christianis informatis et educatis, necnon associationibus quae eum in finem iam constitutae sunt atque efficaciter laborant.

3) Nupturientium examen de doctrina christiana ne omittatur, nisi ob personarum qualitatem hoc examen inutile appareat.[16]

Praeparatio iuridica et pastoralis matrimonii

9. Parochus cui ius est assistendi matrimonio, opportuno antea tempore, diligenter investiget num matrimonio contrahendo aliquid obstet.[17]

Ad rem Ecclesia onus commisit animarum Praesulibus impertiendi parochis sibi subiectis idoneas normas pro investigationibus sedulo et opportuno tempore peragendis; itemque ut, si reapse impedimenta adsint, actuose studeant ea auferre, aut secus nupturientes infecto coniugio dimittant.[18]

Ordinarii etiam in parochorum memoriam revocare satagant haud licere ipsis adstare matrimonio, ne praetextu quidem et intentione avertendi fideles a turpi concubinatu, aut praecavendi scandalum coniugii, quod vocant, civilis, nisi constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis.[19]

10. Parochi igitur est antequam ad matrimonii assistentiam procedat, documenta omnia colligere sive ecclesiastica sive etiam civilia quae a iure praescribuntur, atque acta omnia compilare, servata adamussim *Instructione* S. Congregationis de disciplina Sacramentorum d. 29 iunii 1941 atque servatis normis a Sancta Sede datis vel in posterum edendis. Inter quas praecipuum momentum habent examen nupturientium opportuno tempore ante matrimonium peragendum,[20] et examen testium ad cognoscendam libertatem status nupturientium.[21]

Munus vero inquirendi parocho sub gravi incumbere patet ex gravitate rei; neque a tali onere ipse eximitur, licet moraliter certus sit nihil obstare validae et licitae matrimonii celebrationi.

Examen peragendum est *personaliter a parocho,* nisi iusta causa excuset.[22]

11. Obiectum inquisitionis parochi bene determinat Codex Iuris Canonici [23] et praesertim *Instructio* S. Congregationis de disciplina Sacramentorum anni 1941: opportune vero parochi actione pastorali compleri convenit. Parochus videlicet explicationes seu elucidationes praebere sponsis non omittet ita ut claram notitiam habeant de impedimentis ad matrimonium deque consensu matrimoniali, in iis praesertim quae illius libertatem respiciunt.

In locis ubi, Episcopi iudicio, id expedire videatur, utrique nupturienti innuat, se pro certo habere ambos matrimonium contrahere velle ad tramitem doctrinae catholicae, prout universim usu fit a fidelibus, nempe unum, indissolubile, ad prolem procreandam ordinatum, sine ulla contraria intentione vel conditione.[24]

De intentionibus vero et conditionibus quae matrimonii valori quomodocumque adversentur, parochus recolat nupturientibus doctrinam Ecclesiae: in sacramentum graviter et sacrilege delinquere si eas habeant vel apponant, peccatorum illaqueari propemodum infinita congerie, neque coniugem culpabiliter posse matrimonium ita contractum nullitatis accusare. Quodsi nupturiens declaraverit intentiones aut conditiones huiusmodi se adiecisse aut velle adiicere nuptiis ineundis, ad has retrahendas omni studio illum indu-

cat parochus; si autem ille renuat, eum ab ineundo coniugio dimittat.[25]

12. Parochi matrimoniis ne assistant, inconsulto loci Ordinario, si ex universa actorum praematrimonialium consideratione dubium emerserit circa inquisitionis canonicae conclusionem, circa spiritualis praeparationis sufficientiam, vel circa rectam intentionem coniugum in matrimonio ineundo. Ut gravia evitentur incommoda quae contra sanctitatem christiani connubii e neglectis praescriptionibus iuris oriuntur, Sacrum hoc Concilium valde exoptat sicuti S. Congregatio de disciplina Sacramentorum significavit, ut, antequam parochus ad matrimonii assistentiam procedat, licentiam suae Curiae, quam *nihil obstat* nuncupant, consequatur: id vero praecipit cum nupturientium parochi sunt diversae dioecesis.[26]

Nota: Quoad ritum celebrandi matrimonium, Commissio de disciplina Sacramentorum calculum suum adiicere desiderat iis quae in Schemate Constitutionis de Sacra Liturgia (caput III, *De Sacramentis et Sacramentalibus,* pp. 18-19) scite proponuntur.

Textus definitive approbatus in Sessione Generali Commissionis de disciplina Sacramentorum, habita diebus 12-17 martii 1962.

NOTAE

[1] Conc. Trid., sess. XXIV, prooem.

[2] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii,* d. 31 decembris 1930, in *A.A.S.,* v. 22 (1930), p. 591.

[3] Pius XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii,* l. c., p. 584.

[4] Cf. *Eph.,* IV ,13.

[5] Pius XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii,* l. c., p. 586.

[6] Pius XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii,* l. c., p. 586.

[7] *Ephes.,* VI, 2-3; cf. *Exod.,* XX, 12.

[8] Pius XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii,* l. c., p. 586.

[9] Cf. Pius XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii,* l. c., p. 540.

[10] Pius XII, *Allocutio* iis qui interfuerunt Conventui Unionis Catholicae Italicae inter Obstetrices, Romae habita, die 29 octobris 1951, in *A.A.S.,* v. 43 (1951), pp. 835-854; *Allocutio* iis qui interfuerunt Conventui, Romae habito, Sodalitatis vulgo nuncupatae « Fronte della Famiglia » atque Consociationum inter Familias copiosae prolis, habita die 26 novembris 1951, in *A.A.S.,* v. 43 (1951), pp. 855-860. Duarum Allocutionum exstat versio latina in *Textus et Documenta,* series theologica, 30 (ed. 2). Pont. Universitas Gregoriana, a. 1955.

[11] Cf. *C.I.C.,* can. 752.

[12] S. Th., III, q. 72, a. 1, ad 4.

[13] Cf. *C.I.C.,* can. 786.

[14] Cf. *C.I.C.,* can. 854, § 3.

[15] Cf. *C.I.C.,* can. 1020, §§ 2, 3.

[16] Cf. *C.I.C.,* can. 1020, § 2.

[17] Cf. *C.I.C.,* can. 1020, § 1.

[18] Cf. *C.I.C.,* can. 1020, § 3; S. C. de disciplina Sacramentorum, *Instructio*

de normis a parocho servandis in peragendis canonicis investigationibus antequam nupturientes ad matrimonium ineundum admittant, d. 29 iunii 1941 n. 2, in *A.A.S.,* v. 33 (1941), p. 298.

[19] Cf. S. C. de disciplina Sacramentorum, *Instructio* ad Rev.mos Ordinarios *super probatione status liberi ac denuntiatione initi matrimonii,* d. 4 iulii 1921, n. 1, in *A.A.S.,* v. 13 (1921), p. 348; *C.I.C.,* cc. 1020 et 1097, n. 1.

[20] Cf. *Instructionem* cit., *Appendix,* Allegatum I.

[21] Cf. *Instructionem* cit., *Appendix,* Allegatum I.

[22] Cf. *Instructionem* cit., n. 4.

[23] Cf. *C.I.C.,* can. 1020, § 2.

[24] Cf. S. C. de disciplina Sacramentorum, *Instructio* a. 1941, l. c., p. 312.

[25] Cf. S. C. de disciplina Sacramentorum, *Instructio* a. 1941, l. c., p. 312.

[26] Cf. S. C. de disciplina Sacramentorum, *Instructio* a. 1941, l. c., p. 299.

X

DE SACERDOTIBUS LAPSIS *

Excelsa sacerdotalis dignitas postulat ut gravissimo officio suo, omnes qui ea aucti sunt, summa fidelitate respondeant.

Sacerdotium enim magnum est donum Divini Redemptoris: qui humani generis redemptionis operam, quam Ipse e Cruce pendens consummavit, ad saeculorum usque occasum perpetuari voluit, potestatem suam Ecclesiae committens.[1] Sacerdos est veluti « alter Christus », qui « pro Christo legatione fungitur ».[2]

Haec catholici sacerdotis excelsitas, eius « incredibilis honor ac dignitas »[3] magnam in illo sanctitudinem vitae exposcit ac animi puritatem. Propterea honor sacerdotis summum evincit caelibatus decus, opportunitatemque legis qua sacris altaris administris castitas perfecta praecipitur,[4] ut magis magisque pateat sacerdotes esse Dei administros animorumque patres, qui « nitidi, mundi, puri, casti sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei »,[5] haec mystici Iesu Christi Corporis membris impertiant.

Ab hac igitur sanctissima lege « quae per saeculorum decursum fuit et est sacerdotii praeclarum et nitissimum ornamentum »[6] Ecclesia Catholica desistere non intendit.[7] « Quodsi eiusmodi lex Orientalis Ecclesiae administros non omnino tenet, iisdem tamen ecclesiasticus caelibatus (prout fert unanimis cum Orientalis tum Latinae Ecclesiae traditio)[8] honori ducitur ».[9]

Quare Sacra haec Oecumenica Synodus solemniter affirmateque testatur sanctissimam maximeque salutarem legem ecclesiastici caelibatus, a qua roboris gloriaeque Ecclesiae magna pars profluit, nec antiquari, nec in discussionem venire posse.

NOTAE

[1] PIUS XII, Adhort. *Menti Nostrae,* in *A.A.S.,* 1950, p. 659.

[2] Cf. *II Cor.,* V, 20.

[3] S. EPIPH., *Adversus haeres., contra Catharos,* 59, 4, in *PG,* 41, 1023.

[4] Litt. Encycl. PII XI, *Ad catholici sacerdotii,* d. 20 decembris 1935, in *A.A.S.,* v. 28 (1936), p. 27.

---

* Schema discussum est a Commissione Centrali Praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II, in quinta congregatione sessionis septimae, die 16 iunii 1962. Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), Vol. II, Pars IV, pp. 403-436.

[5] Pontif. Romanum. *In ordinatione diaconi.*

[6] IOANNES XXIII, *Prima Synodus Romana,* p. 376.

[7] GREGORIUS XVI, Epist. Encycl. *Mirari vos,* d. 15 augusti 1831, in *Actis Gregorii XVI,* v. I, p. 171; BENEDICTUS XV, Epistola ad Ioannem S. R. E. Card. Csernoch, Archiepiscopum Strigonensem, in *A.A.S.,* v. 11 (1919), p. 123; BENEDICTI XV, Allocutio Consistorialis diei 16 decembris 1920, in *A.A.S.,* v. 12 (1920), p. 587.

[8] Cf. PII XII, Litt. Apost. Motu Proprio datas, *Cleri sanctitati,* de ritibus orientalibus, de personis pro Ecclesiis Orientalibus, can. 68, in *A.A.S.,* v. 49 (1957), p. 456.

[9] PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* in *A.A.S.,* v. 28 (1936), p. 24.

CAPUT I

DE NORMIS TUTANDAE SACERDOTALIS CASTITATIS

1. [*Ante s. Ordinationem*]. Gravissimum officium manus cito nemini imponendi [1] sacros Antistites monet ut hi qui ad presbyteratus ordinem assumuntur, « diligenti examine praecedente idonei comprobentur, atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab eis possint exspectari ».[2]

Apostolicae Sedis repetita documenta Episcoporum conscientiam hortantur ut cautelas maximopere aptas atque efficaces adhibere non desinant ad praeparationem futurorum altaris ministrorum. Quae, sive iuris praescripta sint, sive instructiones, haec Sacrosancta Synodus nedum in memoriam Pastorum sacrorum revocare intendit, sed earum exsecutionem urgere, sperans fore ut eorum accurata observantia fructus comparet salutares « arduo operi canonicae idoneitatis explorandae candidatorum ad ordines ».[3]

2. Singillatim Episcopi attendant oportet, ipsis solis iudicium ultimum de idoneitate promovendorum pertinere, eorumque conscientiam super hoc onerari. Propterea eorum est adamussim advigilare candidatorum praeparationem et scrutinium ut accurate investigent per observantiam Ecclesiae praescriptionum tum alumnorum institutionem tum indolem ac signa vocationis divinae, cum « nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo ».[4]

3. Siquidem peculiari ratione contendendum est « ut spiritualis corporis animique libertatem sacrorum administri adipiscantur, utque terrenis negotiis ne implicentur, Latina Ecclesia ab iisdem postulat ut volentes libentesque perfectae castitatis obligationi pareant ».[5]

Et ideo in alumnorum institutione castitas sacerdotalis diligentissime praeparanda est expositione tum doctrinae theologicae et asceticae circa angelicam hanc virtutem, tum mediorum quibus incolumis servatur. Sed de periculis etiam moneantur, quae hanc ob rem afferri ipsis possint.[6]

4. Sint igitur spiritus Moderatores pro munere suo qui alumnos instruant;

sint quoque alii Seminarii institutores qui congruenter hac de re procedant. Concionatores, praesertim in exercitiis spiritualibus, de puritate vitae, quomodo ea servetur, aptum sermonem teneant. Et « licet valde excellentior sit virginitas propter regnum caelorum quam matrimonium, non tamen candidati ad sacerdotium ignorare debent honestatem vitae coniugalis prout in matrimonio christiano ex ordinatione divina instituto habetur. Ita ergo instituantur ut, bonum matrimonii satis agnoscentes, maius bonum castitatis sacerdotalis et religiosae deliberate et libere amplectantur ».[7]

5. Quamvis omni ope vocationes ad sacerdotium promovendae sint, cavendum est tamen ne immodicus conatus augendi earum numerum qualitati noceat et selectioni. Semper necessarium erit in singulos sacerdotii candidatos penitius introspicere ac praesertim exquirere qua mente, quibus de causis eiusmodi inierint consilium.[8]

Eorum idoneitas prudenter perpendatur, audita quoque peritorum sententia, quoties consentaneum fuerit.

Diuturna denique statuatur vocationis exploratio, iuxta praescriptiones canonicas, atque omnia subsidia diligenter adhibeantur ut, intra temporis limites a iure praefinitos, selectio candidatorum facta sit, quae non nisi rarissime prorogari poterit.

6. Demum, specialis exploratio seu scrutinium candidatorum ante susceptionem ordinum, praesertim presbyteralis, accurate, ad normam iuris, est peragenda. Huic explorationi magna tribuatur vis: nam ex ea pendebit Episcopi iudicium positivis argumentis innixum, quibus moraliter certus sit de canonica promovendi idoneitate. Nec desit paternum colloquium sive ab ipso Episcopo sive ab alio insigni viro cum candidato tenendum, in quo per internam cordis effusionem suos sensus intimiores filiali modo pandere possit. Denique postquam ordinandus *manu propria* declarationem scripserit atque subscripserit,[9] in qua, iuramento coram Ordinario praestito, fateatur omnimoda libertate se ad sacros ordines accedere velle, plene eidem esse cognita cuncta onera ex sacro ordine dimanantia ac praecipue quae caelibatus lex importet clare percipere ostendat, Episcopus omnium inquisitionum ac declarationum veritatem prudenter satagens, coram Deo et Ecclesia tranquilla conscientia ac suavi cum gaudio manus imponere non dubitabit.

7. [*Post s. Ordinationem*]. « Initio ministeriorum tum ex passionibus iuventutem vexantibus, tum ex usu frequentiore cum saeculo, non paucae nec parvae oriri solent sacerdotibus iuvenibus difficultates et novi generis tentationes; et cum sui iuris se sentiant neo-sacerdotes et sua industria quodammodo procedere debeant in ministeriis sibi commissis, facile ad omne iugum excutiendum adducuntur et, propter inexperientiam, in plures errores et defectus incurrere possunt, quam ob rem miserae defectiones timeri merito possunt ».[10]

8. Valde igitur probatur novellos hosce sacerdotes, ubicumque potest, per aliquot annos in certa collegia recipi, quibus locis, viris gubernantibus multarum rerum peritis, altius ad pietatem ad sacrasque disciplinas excolan-

tur, ac pro suo cuiusve ingenio ad sacerdotalia munia erudiantur. Iuvenes sacerdotes gradatim inducantur ad opus apostolicum, sapienti vigilique cura custodiantur et paterne in suis ministeriis regantur. Idcirco consuetudo cum saeculo nec repentina sit nec frequens, nec exsecutione difficilis; verum potius moderata sit, humilis et facilis.[11]

9. Praesertim sacerdotes iuvenes paroeciis ubi cum solitudine colluctantes sint, ne praeficiantur, neve eis assignentur loca, vel ab urbe Dioecesis principe vel a celebrioribus eius oppidis remota.

In huiusmodi enim vitae statu si versarentur, segreges, imperiti, periculis oppositi, a magistris prudentibus inopes, incommoda procul dubio ipsi capere eorumque alacritas posset.

Comprobamus et commendamus vehementer quod in votum iam venerat Ecclesiae,[12] iniri scilicet vel ab unius curiae vel a plurium vicinarum curiarum clero communis vitae consuetudinem. Ex ea enim, praeter maximas utilitates quae inde proficiscuntur, palam fieri omnibus posset quam religiosa cura sacerdotes castimoniae suae consulant.[13]

10. Qua de causa adhuc et paterna verba Sanctissimi Patris IOANNIS XXIII commemorari libet, quibus omnes alloquitur Episcopos: « Quod ad vos attinet, Venerabiles Fratres, pro viribus contendite atque nullis parcite laboribus, ut concreditus vobis clerus talibus vitae sacrique laboris conditionibus uti queat, quae ipsorum alacri navitati summopere faveant. Scilicet omni ope ac studio efficiendum est, ut nimis solitariae vitae pericula removeantur, ut quidquid inconsiderate vel inconsulte agitur opportunis admonitionibus prohibeatur, ut denique cum desidiae illecebrae, tum immodica externae actionis discrimina compescantur. Quam ad rem prorsus expedit sapientiae plena praecepta in memoriam revocare a proximo Decessore Nostro impertita per Encyclicas Litteras, quae a verbis *Sacra Virginitas* incipiunt ».[14]

NOTAE

[1] Cf. *I Tim.*, V, 22.

[2] Conc. Trid., sess. XXIII, cap. 14: *De reformatione.*

[3] S. C. de Sacramentis. *Circulares litterae ad Exc.mos locorum Ordinarios quibus urgetur scrutinium alumnorum peragendum priusquam ad Ordines promoveantur.* Die 27 decembris 1956 (Reservata).

[4] Cf. *Hebr.*, V, 4.

[5] PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra virginitas,* d. 25 martii 1954, in *A.A.S.*, v. 46 (1954), p. 169.

[6] S. C. de Religiosis. *Instructio de candidatis ad statum perfectionis et ad sacros ordines sedulo deligendis et instituendis.* Die 2 februarii 1961 data, n. 29 (Reservata).

[7] Cf. S. C. de Religiosis, *Instructio* cit., n. 29.

[8] Cf. PII XII, Adhortatio *Menti Nostrae,* l. c., p. 684.

[9] S. C. de Sacramentis. *Instructio ad Rev.mos locorum Ordinarios de scrutinio alumnorum peragendo antequam ad ordines promoveantur,* § 3, 1, diei 27 decem-

bris 1930, in *A.A.S.*, v. 23 (1931), p. 125; S. C. de Religiosis. *Instructio* cit., n. 42.

[10] S. C. de Religiosis, *Instructio cit.*, n. 46.

[11] Cf. PIUS XII, Adhortatio *Menti Nostrae*, l. c., p. 692; S. C. de Religiosis, *Instructio cit.*, n. 49.

[12] Cf. *C.I.C.*, can. 134.

[13] Cf. PIUS XII, Adhortatio *Menti Nostrae*, l. c., p. 693.

[14] IOANNES XXIII, Encycl. Litt. *Sacerdotii Nostri primordia*, d. 1 augusti 1959 datae, in *A.A.S.*, v. 51 (1959), pp. 554-555.

CAPUT II

DE REMEDIIS QUIBUSDAM IURIDICIS

A multo iam tempore ius canonicum praevidit fore causas in quibus sacrae ordinationis tum validitas tum obligationes eidem inhaerentes impugnarentur sive ob consensus defectum sive ob libertatis diminutionem in assumendo statu perpetuo cui gravissima officia insunt.[1] « Perfecta castitas liberam a christianis optionem postulat antequam iidem se omnino Deo offerant ac dedant »; [2] cooptatio autem in novum statum, qui adeo graves obligationes imponit, nonnisi re diligenter ac mature considerata, atque vigili animo simul ac generoso fieri oportet.

Quamvis praecepta iuris atque cautelae in Instructionibus aliisque documentis Sanctae Sedis imperatae, inexcusabiles fere semper faciant desertores ac transfugas a susceptis per sacram ordinationem officiis misere recedentes, tamen animum tum Summorum Pontificum, tum aliorum Antistitum valde sollicitum reddit numerus eorum sacerdotum qui de defectibus in eorumdem sacra ordinatione admissis conqueruntur, sive ex eo quod animus eorum non satis exploratus fuit, sive eorum vocatio non satis probata quoad qualitates tam corporis quam animae requisitas, sive quia eorum libertas in capessendo sacerdotio non undequaque patuit.

Accedit quod observatio castitatis post sacram ordinationem, iuxta proborum ac catholicorum medicorum sententiam, superveniente morbo, illis facta sit quandoque ardua nimis et moraliter impossibilis, vel in adiunctis prorsus extraordinariis quandoque versentur, ita ut eorum sacerdotum miserabilem conditionem benignissimis oculis Sancta Mater Ecclesia vix considerare non debeat.

Cum itaque in iure canonico iam provideatur clerico « qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit nec postea, remoto metu, eamdem ordinationem ratam habuit saltem tacite per ordinis exercitium, volens tamen per talem actum obligationibus clericalibus se subiicere »,[3] Sacrum hoc Concilium aliis quoque casibus providere intendit hac sequenti forma:

1) Clericus qui, aut proportionata mentis discretione ex causis congenitis vel adquisitis sacrae ordinationis tempore destituebatur, aut propter

morbum physicum vel psychicum sacris ordinibus praeexistentem, impar erat oneribus illis adnexis sustinendis, ad statum laicalem, servatis canonibus 1993-1998, sententia iudicis redigatur, sine ullis caelibatus ac horarum canonicarum obligationibus.

2) Clerico, qui, sacro ordine iam recepto, morbum contraxerit physicum aut psychicum certum et insanabilem, unde evaserit impar obligationi caelibatus ferendae, via pateat ad Sedem Apostolicam pro reductione ad statum laicalem, sine ullis caelibatus ac horarum canonicarum obligationibus.

3) Clericus, in sacro ordine constitutus, qui in extraordinariis prorsus versetur adiunctis propter quae moraliter impossibile ei sit castitatem servare, concurrentibus quibusdam adiunctis, ab Apostolica Sede reductionem ad statum laicalem, sine ullis caelibatus ac horarum canonicarum obligationibus, implorare poterit.

Quod ad forum internum attinet, Decretum *Lex sacri caelibatus* a Papa PIO XI per tramitem Sacrae Poenitentiariae Apostolicae, die 18 aprilis 1936 [4] latum, in suo robore manere placet; atque adeo benignitati Sanctitatis Suae illius applicationem Sacrum hoc Concilium commendare desiderat.

NOTAE

[1] *C.I.C.*, cc. 214, 1993 s.

[2] PIUS XII, Litt. Encycl. *Sacra Virginitas*, d. 25 martii 1954, in *A.A.S.*, v. 46 (1954), p. 179.

[3] *C.I.C.*, can. 214 § 1.

[4] Cf. *A.A.S.*, v. 28 (1936), p. 242.

CAPUT III

DE CURA PRAESTANDA SACERDOTIBUS QUI DEFECERUNT

Amor animarum exceptiones non patitur; ideoque omnes et singulos homines amplecti compellit. Idcirco extendatur summopere oportet ad confratres sacerdotes quorum animae charactere sacerdotali decoratae speciali modo Christo configuratae sunt, ut et ipsi iuventur tum ad salutem animae consequendam, tum ad recedendum a misero statu in quo infelices forsitan degunt.

Amoris erga sacerdotes manifestatio sit quotidiana ad Deum pro eis precatio, sit oratio ut vocationes ecclesiasticae intemeratae serventur, atque sacerdotum sanctitas augeatur.

Precemur ergo ut Dominus excitet « in Ecclesia sua spiritum pietatis et fortitudinis: qui dignos altaribus suis ministros et verbi sui strenuos assertores efficiat » (Oratio collecta novae Missae ad vocationes ecclesiasticas servandas), oremus ut « quos ministros et mysteriorum suorum dispensatores elegit, in accepto ministerio adimplendo fideles inveniantur » (Oratio collecta Missae Iesu Christi Summi et Aeterni Sacerdotis).

Hae preces sacerdotes haud excludant, qui lapsi sint, ut denuo in bonam frugem reducantur.

Accedat caritas ac misericordia erga fratres qui ab ordinum exercitio defecerunt.

« Sacerdotes censura aliave poena innodati, quamvis forte infeliciter ab Ecclesia Sancta defecerint, numquam Domini misericordiae et ecclesiasticorum Superiorum pietati humanitatique confidere cessent. Ceteri autem sacerdotes, praesertim vero qui cum iis amicitia coniuncti sunt, superna caritate moti sedulo enitantur, ut in eorum animis eiusmodi fiduciam foveant. Erga omnes infelices, qui in defectione perseverant, ea semper norma servetur, quae Pio XI maxime in usu fuit: " Quo minus de Deo cum hominibus loqui possumus, eo magis oportet nos loqui de hominibus cum Deo ".

In huiusmodi etiam rerum adiunctis, sane miseris, nemini neque amica alloquia, neque solacia in adversitatibus, neque temporalia, si opus fuerit, subsidia denegentur ».[1]

Reddatur vacillantibus sacerdotibus iuvamen praeservationis; iam lapsis reditus procuretur appositis officiis atque institutis, ut et prudentia duce ac animarum zelo urgente occasio praebeatur eos adiuvandi tam spiritualiter quam materialiter dum e clericali vita recedunt.

Nec ab iisdem, si vere sincereque resipiscant, servatis servandis debitisque cautelis adhibitis, spes auferatur in sacrorum exercitium saltem partialiter et gradatim redeundi.

[1] IOANNES XXIII, *Prima Synodus Romana*, art. 35, p. 21.

NOTAE

1. Summus Pontifex PIUS XII in Audientia die 3 aprilis 1953 concessa Em.mo Cardinali Secretario Supremae S. C. S. Officii sollicitum animum pandit ob defectionem sacerdotum qui, absque vocatione vitaeque integritate, ad sacrum Presbyteratus ordinem ascenderunt, a quo potius, de confessariorum moderatorumque conscientia et consilio, averti debuissent.

Miserrimi isti confratres saepissime eo perveniunt ut civiles attentent nuptias, communitates protestanticas ingrediantur, et factioni adhaereant communistarum, idque, uti patet, gravi cum praeiudicio suae saluti aeternae et scandalo fidelium. Consilium proinde Summus Pontifex expresserat ut quoddam remedium afferretur his infelicibus presbyteris, qui tabe psychopathica affecti, sacrum ordinem susceperint.[1]

Hanc exigentiam persentierunt plurimi Exc.mi Episcopi qui, in propositionibus ad Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam Concilii Vati-

[1] *Nuove norme* per i processi sulla nullità degli oneri della sacra ordinazione impartite dal Santo Padre Pio XII, confermate da Sua Santità Giovanni XXIII.

cani II, exoptarunt, ut sacerdotes in impura passione inemendabiles ob tabem sive physicam sive psychicam, ex causis congenitis vel adquisitis, ad statum laicalem redigerentur atque ab obligationibus caelibatus liberarentur, praesertim si, ecclesiastica veste abiecta, vitam agant coniugalem prolemque susceperint.[2]

2. Canon 214 *C.I.C.*, dum consulit clerico qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit, non prospicit plures casus in quibus, absque metu, clericus a Deo non vocatus, valide onera sacrae ordinationi inhaerentia non suscepit, vel, deinceps, propter supervenientes causas, obligationibus ferendis factus est impar.

Adiecit equidem S. C. de Sacramentis tertium dubium in processibus eiusmodi celebrandis: « An exstet grave dubium de validitate Sacrae Ordinationis vel de gravi metu et ratihabitionis defectu aliaeque concurrant causae, ita ut consilium praestandum sit Sanctissimo pro dispensatione ab oneribus Sacrae Ordinationis, in casu ». Sub hac postrema dubitandi forma certo certius rigor pristinae disciplinae mitigatus est et latius remedium suppeditatum est, sed nondum adeo efficax ut omnes casus comprehendi possent, quibus vel ex iustitia vel ex aequitate subveniri debeat.

Qui censet satis fore recursum ad Sacram Poenitentiariam, firmo onere vivendi cum uxore civili tanquam frater et soror, vel presbyteros lapsos semper reducendos esse ad statum laicalem cum onere caelibatus, non sufficienter eorum animarum saluti prospicere videtur.

Namque casus certissimi sunt in quibus adest moralis vel physica impossibilitas servandi onera Sacrae Ordinationi adnexa. Quamvis cautissime accipienda sint medicorum placita, nimium extendentium hanc impossibilitatem, nemo profecto negabit causas adesse, Sacrae Ordinationi *praeexsistentes,* quae reddunt irritam ipsam Sacram Ordinationem vel saltem onerum susceptionem, uti puta vel *psychoses* — cyclotimiam seu psychosim maniaco-depressivam, schizophraeniam prius in statu latente atque dein explosam, paranoiam aliave id genus capacitatem criticam auferentia — vel *morbos physicos,* quibus clericus impar sit sustinendis obligationibus.

Eaedem causae, *Sacrae Ordinationi supervenientes*, insuperabilem difficultatem facessere queunt onerum servandorum, *sive* agatur de causis *somaticis,* v. g. de epilepsia, encephalite, morbis toxicis etc., *sive* de psychica tabe, non exclusis impulsionibus obsessivis aut psychopathia gravi, dummodo consequens hypersexualitas opportunis remediis curari non valeat.

Quoties res sit de praeexsistentibus vel de subsequentibus causis, clericus liberandus esset ab obligatione caelibatus.

3. Causae, quae afferri solent tamquam *adiuncta prorsus extraordinaria*

---

[2] Cf. *Acta et documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* vol. II, *pars I*: Europa, pp. 563, 579, 673, 719; *pars III*: Europa, pp. 44, 366, 379, 517, 567 etc.

moraliter impossibilem reddentia onerum iam susceptorum observantiam, sequentes recensentur:

a) qui absque divina vocatione atque sub influxu parentum aliorumve, citra tamen gravem coactionem, Seminarium ingressus est, ibique inter assiduos in vitia solitaria lapsus permansit, confessario et spiritus moderatore non prohibentibus immo suadentibus ascensum ad ordines, quia imprudenter confisi sunt gratiam status mutatam fore naturam;

b) qui egredi Seminario ausus non est, tum quia, idoneo studiorum titulo destitutus, pertimuit sibi defutura esse media congruae sustentationis, tum quia veritus est scandalum in populo adsueto eum conspicere indutum cum veste talari;

c) qui infantilismo affectivo crevit usque ad presbyteratum, et postea, necopinato exploso sexuali impulsu gravissimo, resistere omnino non valuit et miserrime cecidit;

d) qui alcoolismo hereditario laborat, consectariisve quorundam morborum, praesertim infectivorum, perversionibus sexualibus, hereditaria hypersexualitate, gravi neurosi, perturbationibus hormonalibus etc.

Haec omnia elementa quae, *disiunctim,* obstaculum insuperabile haud constituunt, *coniunctim sumpta* secumferre possunt moralem impossibilitatem sustinendi obligationem valide susceptam caelibatus sacerdotalis.

Cum autem agatur in casu de clerico, qui non absolute sit impar oneri ferendo, sed versetur in morali impossibilitate onus, ob exposita adiuncta omnino extraordinaria, servandi, videtur concedendum ut ipsi via pateat ad Apostolicam Sedem pro obtinenda reductione ad statum laicalem sine obligatione caelibatus.

Verum quidem est non semper in recensitis casibus matrimonio remedium afferri, ob status quosdam pathologicos; quin immo: « lo stato patologico del soggetto sarebbe già per se stesso una controindicazione al matrimonio ». Sed « la sola liberazione da una obbligazione insopportabile per il soggetto gli riesce benefica sia psicologicamente sia spiritualmente, anche se non contrae matrimonio. Secondo il parere degli psicologi e degli psichiatri consultati, bisogna rilevare inoltre che gli stati di angoscia e di depressione, nei quali si trovano i soggetti di cui è questione, apportano un grave pregiudizio alla loro vita cristiana e alla loro eterna salute » (Votum R. P. Roberti Zavalloni, O.F.M., Consultoris Pont. Comm. de Sacramentis praeparatoriae Concilii Vaticani II, Quaest. V, p. 23).

4. Supersunt qui, a Deo vocati, presbyteratus ordinem valide et licite susceperunt, sed postquam digne sacerdotale munus exercuere, vel per annos, ob neglecta spiritualia subsidia prudentiaeque dictamina, vocationem suam sanctam prodiderunt, atque matrimonium civile attentare ausi sunt, suscepta inde prole. Si hos sincere poeniteat peccavisse, qui nequeant neque civilem uxorem dimittere neque naturales obligationes erga prolem parvipendere, non aliud remedium consuli posse videtur quam recursus ad Apostolicam Poenitentiariam.

Eapropter expedire videtur miserrimos ministros, quorum inhonesta conversatio in scandalum et ruinam animarum vergit, ad sinceram poenitentiam hortari.

Si autem ob obiectivam rerum conditionem inemendabiles seu irrecuperabiles deprehendantur, praevio eorum discessu in regionem ubi non cognoscantur, normae, quibus Sacra Poenitentiaria Apostolica pro foro interno utitur, applicari possent maiore clementia in componendo eorum statu, concedendo, ubi necessarium sit, etiam dispensationem ab obligatione caelibatus.

Textus definitive approbatus in Sessione Generali Commissionis de disciplina Sacramentorum habita diebus 12-17 martii 1962.

INDEX

APPENDIX

COMMISSIO DE EPISCOPIS ET DE DIOECESEON REGIMINE

COMMISSIO DE DISCIPLINA CLERI ET POPULI CHRISTIANI

COMMISSIO DE RELIGIOSIS

COMMISSIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM